BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
30 D
16

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

H 56
A
29

Digitized by Google

VITA
SANCTI PETRI
DE
ALCANTARA.

Digitized by Google

Verus Crucis Amator S. Petrus de Alcantara.

ANte Crucem Petrus ſeſe proſternit Amator,
Feruida cor fundit vota, preceſque Deo.
Aſſurgit raptus, mittens oculiſque nitorem;
Expanſis manibus conſimilatque Cruci.
Sacra Pater retulit Franciſcus ſtigmata Chriſti,
Petrum nunc dices filium habere Crucem.

De eodem.

QVis Petrum ante Crucem rapidus nunc extulit ardor?
Ex qua ſic iuſti cuncta, bonique tenent.
Est amor hic Crucis, hoc diuini pignus amoris;
Delicię Petro, diuiciaque fuit.

Digitized by Google



Sanctus Petrus de Alcantara Hyspanus strictioris obseruantiæ Sancti Francisci Fratrum Minorum Discalceatorum Pater, et Magister.

Romæ Superi.^{um} *Permi.* *Thibouſt. Scu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

PORTENTVM POENITENTIAE
SIVE VITA
SANCTI PETRI
DE ALCANTARA

Fundatoris Prouinciarum S. Ioſephi, S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Pauli, ex Diſcalceatis Ord. S. Franciſci in Hiſpania, & Magiſtri Spiritus S. THERESIÆ,

IN SEX LIBROS DISTINCTA.

AVTHORE

FR. LAVRENTIO A D. PAVLO SVECO

Ord. S. Franciſci Regularis Obſeruantiæ ex Prouincia Portugalliæ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

CVI

Acceſſit breue Compendium poſthumorum fructuum eiuſdem Sancti.

Ego quippè dedi te hodiè in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram. Ieremiæ cap. 2.

ROMÆ, Sumptibus Angeli Bernabò. M. DC. LXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſſimo Principi

IACOBO ROSPILIOSO

S.R.E. CARDINALI AMPLISS.

Meritò ad Eminentiæ Veſtræ purpuram recurrit, EMINENTISSIME PRINCEPS, Portentum Pœnitentiæ Sanctus Petrus de Alcantara, vt indè patrocinium iterùm efflagitet ſuæ approbationis; vndè nuper auſpicatus eſt ſolemnis celebrationis ſplendorem. Dum enim vota Principum, & imprimis Regis Catholici Caroli II. annuente Sanctiſſimo Pontifice Eminentiæ Veſtræ Patruo, ſupremum honoris apicem obtinuerunt Petri meritis; non indebitè ijſdem Patronis, cunctis denique fidelibus, & vitæ rationem ſibi conſtare, & exempli ſingularitatem commendari, Religionis Seraphicæ zelus exoptat. Vtrumque ſanè vel narrationis huius approbatione, vel deuotionis in Sā-

ctum

Digitized by Google

ctum conſenſu; faciliùs obtineri exiſtimo; ſi vtrumque poſt publicã priuatamque fidem, vel vnico E. V. calculo ſignari obtingat. Quippè haud vano, aut iniurioſo Prouidentiæ ordine, hanc Sancti Petri Canonizationem Clementiſſimo Patruo Veſtro reſeruatam annotaui, quò ſecuriùs vtroque veſtrum, quos eiuſdem Beati gloriæ in Hiſpania conſcios fecerat; ijſdem quoque in Eccleſiæ Romanæ Cathedra, non tanquàm Iudice, ac Conſiliario dumtaxat, ſed & Teſtibus dignioribus vteretur. Gratulatur hinc ſibi Franciſcana Religio, quòd cùm olim Fundatoris ſui Franciſci Itali gloriã à Gregorio IX. Pont. Max. Italiæ, aç Orbi vniuerſo manifeſtatam agnoſcat: Nunc Petri ſui Hiſpani Reparatoris inſignia prodigia, à Clemente IX. publico ſanctitatis præconio condecorata, Eminentiæ quoque Veſtræ patrocinio accepta ferri profiteatur. Nec potuit pijſſimus Pontifex Nationis Hiſpanicæ profuſo obſequio, nobiliorem hac vicem beneficio rependere; quàm cùm Petrum de Alcantara, fama Catholicarum virtutum admirandum, vniuerſæ Eccleſiæ propoſuit & colendum, & imitandum: Altero etenim fidem, pietatemque deuotiſſimæ Gentis comprobaſſe, altero tepiditatem Chriſtianæ profeſſionis excitaſſe non ineptè iudicabitur; hæc namque præ-

ſtigia-

ſtigiatoris Mundi blandiſſimis faſcinationibus ſopita, ſeueriori tuba Fortenti Pœnitentiæ excitari egebat; illa ſuauiori Diuini amoris, cœleſtiumque ſtudiorum præmio allicienda videbatur. Vtrumque igitur nunc Sancti Petri Canonizatione præſtitum egregiè, vitæ quoque eius ſeries diſtinctiùs explicabit, in qua vt miranda auſteritas, velut aculeum Chriſtianæ torpedinis callo infigere agnoſcetur; ita cœleſtis vitæ diſciplinam; ab eadem præſtantiſſimas Regulas addiſcere poſſe, etiam Eminentia Veſtra benigniùs iudicabit. Nolo hìc virtutum Veſtrarum rubori (quam inflammat purpura, & Orbis veneratur) verborum lenocinijs pallorem elicere; vnicam tantùm ad Sancti Petri exemplum, ex Salmanticenſi Lycæo repetere non diſpliceat: Vbi dũ Emin. Veſtra virtutis, ac Sapiẽtiæ ſtudio percarus habebatur; modeſtiæ quoque, ac prudentiæ laude inſigniter inclaruiſſe celebratur. Sic enim ad honorem expetentium applauſus, tum declinare obſeruatus fuit; vt maioribus quibuſque impoſterùm dignior iudicaretur, omniumque ſibi magis affectus conciliaret: Mihi autem, quẽ in Franciſcano Sodalitio nihil acriùs quàm pietatis lucrum extimulat, ſatis magnum aliquod reportaſſe videbitur, ſi acumini Em. Veſtræ vitam S. Petri de Alcantara, prodigijs or-

tam

natam, ſtili mei ſimplicitate monſtrauero mirandam. Et ſi eandem ex perfectionis documentis euangelicam, Chriſtianorum moribus corrigendis, vitæque ſpirituali informandæ perſuaſero, vtiliſſimam: Addat itaque ad vitam pietatem ſuam E.V. bono exiguum benignitatis incrementum; vt quantùm Sancti meritis impēdit deuotionis, publicæ venerationis promotione; tantùm mihi, meiſque Fratribus indulgeat conſolationis, in eiuſdem vitæ, noſtrique obſequij acceptatione. Vale Em. Princeps diù, Eccleſiæ, & tuis. Romæ ex Conuentu Ara-cœlitano die xv. Aprilis. Anni M.D.C. LXIX.

Eminentiæ Veſtræ.

Humillimus cultor

Fr. Laurentius à Sancto Paulo Succus.

Lectori

Lectori deuoto

INſcriptionem vides Vitæ Sancti Petri de Alcantara magna tibi promittentem, ſi argumentum conſideras; ſi narrationem, ac ſtylum introſpexeris, fortè exiguam. Itaque in limine te monendum cenſui, nè illius excellentiæ incautiùs detrahas, quod huius ſimplicitati faciliùs indulſeris: Solet enim interdùm magnarum rerum narratio non tam grandiloquo, quàm familiari, ac veritatis lineamenta referente ſtylo Lectorum animos vehementiùs commouere; cùm factorum potior, quàm verborum ratio habeatur. At vbi Sanctorum geſta Chriſtiana ſinceritate narranda occurrunt, non tàm fucis, ac pigmentis Rethorum, quàm ipſarum rerum ſimplici pietate admirationem magis, ac imitationem noſtram eliciendam fore exiſtimo. Hinc quotquot olim Martyrum, aliorumque Sanctorum geſta conſcripſiſſe leguntur, vix ſupra familiarem dicendi formam, orationem extuliſſe; ideòque etiam maiores in Lectoribus pietatis ſtimulos imprimere, non ſine ſingulari Chriſtianæ ſinceritatis commendatione aduertimus: Qui verò poſterioribus ſeculis ſcribendo Sanctorum vitas, aliquam elegātiæ laudem plus æquo affectarunt; profectò auribus potiùs quàm cordi, temporum pruritui, quàm argumenti grauitati placuiſſe vereor, nè meritò cenſeantur. In S. Petro de Alcantara omnem ornatum non falſum, ſed iniquum exiſtimarem; dum Virum integerrimæ nuditatis ſolis Pœnitentiæ characteribus deſcriptum, non legendum adeò quàm inſpiciendum proponi ſufficeret: Quidquid enim vltra ſimplices res, ab eo mirabiliter geſtas, addere politiùs ingenium poſſet; id non dedecus modò eiuſdem ſanctitati, verùm etiam in perfectionis regulam iniuria quædam vocari deberet; qua dùm nuditatem ingenioſiùs comit; deturpat.

Itaque ego licet ingenio rudis, ac ſtyli incompti hanc tibi vitā latino ſermone ingenuè, magis quàm ingenioſè conſcripſi, ſequutus tàm Sancti, quàm hiſtoriæ eiuſdem exemplaria ſinceriora; quin & profeſſionis rationem, quæ fucum reſpuit; Sanctum quippè imprimis, vt viuendi auſteritate horridum, ita dicendi aſperitate apertiorem quæsÿſſe animarum nitorem, non aurium oblectatio-

nem reperio: Dein ex Authoribus hiſtoriæ ipſius (quos diuerſis linguis editos inſpexi) illos prorsùs ſecutus ſum, qui enarrando ordinatè facta fugiunt pompam, & affectum deuotione impinguant. Reliquus ego, qui cineribus Franciſci obtegor, non Petri flammas ſuffocare; ſed ad mei ipſius, aliorumque incendium latiùs ſpargere: Non ingenij culturam oſtentare; ſed deuotioni priuatæ, ac Confratrum inſtantiæ morem gerere, meæ adhuc conſcius tenuitatis optaui, potiùs quàm præſumpſi. Habes proindè (optimè Lector) vt breuiùs dicam, Vitam Sancti Petri de Alcantara latinam & magis ſuccinctam, fide eadem, quam ex Proceſſibus authenticis, & Authoribus fide dignis alij plurimi collegerunt: Mihi tantùm hoc debebis, quòd zelum Fratrum meorum pro modulo meo zelatus ſum obſequendi, magis promptitudine, quàm aſſequendi ſpe. Vale.

Fr.

FR. Antonius de Velaſco, Lector Iubilatus, Sanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum Qualificator, almæ Diui Iacobi Prouinciæ Pater, ac in Romana Curia Procurator Generalis Ordinis S.P.N. Franciſci Regularis Obſeruātiæ &c.

Dilecto Nobis in Chriſto R.P.Fr. Laurentio à Diuo Paulo Sueco, Lectori Theologo Prouinciæ Portugallię, atque apud nos in hac Romana Curia reſidenti ſalutem in Domino ſempiternam.

Vitam S. Petri de Alcantara à te conſcriptam, & à duobus noſtræ Religionis Theologis examinatam, atque approbatam, iam vt publici iuris facere queas, poſtquàm alia ſeruanda ſeruaueris, noſtram pro Religione facultatem concedimus. In Conuentu Sanctę Mariæ ad Aram Cœli. Romæ die 30. Nouembris Anni 1668.

Fr. Antonius de Velaſco Procurator Generalis Ordinis.

EX mandato Reuerendiſſimi Patris Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Libelli, diligenti mentis acie Vitam S. Petri de Alcantara, pio labore, præclara indagine eruditiſſimi Patris Laurentij Sueci, vberi exaratam calamo perlegi: Verùm cùm nihil orthodoxæ fidei aduerſum, vel Catholicæ Reipublicæ moribus diſſonum depræhenderim, contemplandam fore proindè ab omnibus in luce, dignam laude, ſicut mente iudico, ſic voluntate depoſco. In Monaſterio Sanctorum duodecim Apoſtolorum de Vrbe, duodecimo Kal. Februarij ſalutis Anno 1669.

Fr. Bernardinus Eretinus Minorita, humilis ſacræ paginæ Magiſter.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſs. P.Mag.Sacri Palatij Apoſt.

I. de Angelis Archiep. Vrbin Viceſg.

Imprimatur,
Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſt. Magiſt.

De Sancto Petro de Alcantara ſcripſerunt.

SAncta Thereſia Carmelitarum Diſcalceatorum Fundatrix. Vitæ ſuæ Cap. 27. 30. 32. 35. 36. 38. 40. Lib. Caſtelli interioris, ſeu Mãſionũ. Mãſione 4. cap. 3. mãſione 6. c. 6. præcipuè autẽ eius pœnitẽtiã, & vitæ cõtẽplatiuę experiẽtiã fusè deſcribit. c. 27. circa finẽ, & C. 30. in principio. In lib. fundationum. In fundatione Conuentus de Medina del Campo. cap. 6. circa finem. In fundatione Conuentus Villæ-nouæ della Xara. cap. 27. circa finem.

Franciſcus Gonzaga Ord. Min. S. Franciſci Generalis, & poſteà Epiſcopus Mantuanus, Chronicorum parte 3. In fũdatione Prouinciæ S. Ioſephi. In fundatione Conuentus Immaculatæ Conceptionis Pedroſi. In fundatione Conuentus S. Mariæ Magdalenæ de Aldea del Palo. In fundatione Cõuentus S. Andreæ del Monte Arenis: Vbi etiam vitam eius deſcribit. In fundatione Prouinciæ Arabidæ. In fundatione Conuentus S. Antonij Abulæ.

Didacus de Yepes Epiſcopus Turriaſonenſis in vita S. Thereſiæ. In Prologo §. 3. poſt initium lib. 1. cap. 21. in medio lib. 2. cap. 7. in fine. Vbi ponit eius epiſtolam ad Sanctã Thereſiam, & cap. 8. à medio, ac deinceps.

Franciſcus de Ribera Societ. Ieſu, in vita eiuſdem Sanctæ Thereſiæ lib. 1. cap. 12. per totum, & cap. 17. ferè totũ. lib. 2. cap. 3. circa medium.

Antonius Poſſeuinus Societ. Ieſu, in Apparatu ſacro.

Fr. Hieronymus Gratian Carmelita in ſuo Dilucidario veri ſpiritus cap. 3.

Fr. Franciſcus à S. Maria Hiſtoriographus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum. In Tomo 1. hiſtoriæ Reformat. lib. 1. cap. 31. per totum cap. 32. & cap. 33. n. 1. & 3. Item cap. 41. num. 8. Epiſtola B. Petri ad Thereſiam num. 10. Item cap. 43. per totum, & cap. 44. num. 2.

Fr. Ioannes à Trinitate Ord. S. Franciſci Prouinciæ Diſcalceatorum S. Gabrielis bis Prouincialis. In Chronico vitam eius ſcribit lib. 2. à cap. 49. vſque ad cap. 56. & in multis alijs capitibus eius mentionem facit.

Fr. Ioannes à S. Maria Prouinciæ S. Ioſephi bis Prouincialis, ſcribit eius vitam in prima parte Chronici eiuſdem

Pro-

Digitized by Google

Prouinciæ lib. 1. à cap. 12. vſque ad cap. 31. & in multis alijs locis primæ & ſecundæ partis de illo loquitur, eius vitam ſeparatim conſcripſit.

Fr. Ioannes Moles Prouinciæ S. Gabrielis, & Commiſſarius Generalis Curiæ, in ſuo Memoriali cap. 27.

Fr. Antonius Panes in 1. parte Chronici Prouinciæ S. Ioannis Baptiſtæ Diſcalceatorum lib. 1. cap. 1. cap. 15. cap. 18.

Fr. Martinus à S. Ioſeph in Hiſtoria Fratrum Diſcalceatorum S. Franciſci 1. parte lib. 1. à cap. 1. vſque ad 26. & multis alijs locis primæ & ſecundæ partis dictæ Hiſtoriæ.

Fr. Arturus RecollectusGallus. In Martyrolog. Frãciſcano.

Ioannes Tamayo Salazar in Martyrologio Sanctorum Hiſpanorum tom. 5. ad 15. Kal. Nouembris.

Fr. Andreas à S. Nicolao in Hiſtoria generali Eremitarum Sancti Auguſtini Diſcalceatorum tom. 1. Decade 2. cap. 4. in fundatione deſerti S. Ioannis Baptiſtæ in Valle Vicioſæ.

Hilarion à Coſta Hiſtoriæ Catholicæ lib. 2.

Galterius In tab. Chronolog. ſeculo 16. in Sãctis & illuſtribus Viris.

Ferrarius in Martyrologio ad 15. Kal. Nouemb.

Barezius in Chronicis Minorum 4. p. lib. 4. cap. 29.

Fr. Antonius Daza in 4. p. Chronicorum Ord. Seraphici lib. 3. cap. 52. & ſequen.

Rapineus inHiſtoria generali Recollectorũ Decade 8. p. 1.

Syluester Lauallẽſis. De magnitudineEccl. Rom. lib. 3. c. 12

Algezire in Arbore Epilogico Ord. Minorum.

Peyreus de triplici corona Virginis tractatu 5. cap. 3.

Marianus in Chronica Reformatorum lib. 4. cap. 1,

Grauina in voce turturis 2. p. c. 13. & 24.

Fortunatus Licitus de his, qui diù viuunt abſque alimento lib. 1. cap. 2.

Sancti Petri vitam ſcripſerunt.

ALexander Pocquelinus Prouincialis Sancti Dionyſij in Gallia, & Friardus.

Fr. Damianus à Ieſu Procurator Generalis Diſcalceatorũ in Curia Regis Catholici.

Michael Angelus Lapius. vitæ Compendium.

Pr. Franciſcus Marcheſius Presbiter Cõgregationis Oratorij: vitam, & vitæ compendium. IN-

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

A Natiuitate eiuſdem, & vſque dum vixit in Prouincia S. Gabrielis.

De S. Petri incunabulis. Cap. I. pag. 1
Miſſio ad ſtudia Salmanticentia. C. II. 3
Deliberatio de ſuſcipiendo habitu S. Franciſci Diſcalceatorum. Cap. III. 4
Acceſſus ad Conuentum de Manxarretes, & habitus Diſcalceatorum ſuſceptio. Cap. IV. 6
De exercitijs S. Petri de Alcantara tẽpore Nouitiatus, & poſt Profeſſionem. C. V. 8
Miſſio ad Conuentum Beluiſi, vbi virtus eius inclaruit. Cap. VI. 10
Iter ad Pacem Iuliam (vulgò Badajos) *pro fundando Conuentu, cui Superior præficitur.* Cap. VII. 12
Promotio ad Ordines Sacros, & prædicandi munus. Cap. VIII. 14
Electio in Guardianum Sanctæ Mariæ Angelorum, & eius ſucceſſus. C. IX. 15
De lucro animarum ab ipſo facto in Vrbibus, & Oppidis Eſtremaduræ, ac Plaſentiæ. Cap. X. 18
Aliæ res mirandæ S. Petri de Alcantara poſtquã Plaſentiæ Guardianus factus. Cap. XI. 21
De eius mirabilibus operationibus in Pace Iulia, ac locis vicinis. C. XII. 24
Seceſſus eius ad Conuentum S. Onofrij de Lapa, vbi tractatum de Oratione compoſuit. Cap. XIII. 26
Defendit cauſam Prouinciæ S. Gabrielis, & in Patria ſua Alcantara mira operatur. Cap. XIV. 29
Vocatus a Rege Portugalliæ, ibi varia operatur, ac indè regreditur. C. XV. 30
Electio in Prouincialem, eiuſquè gubernium. Cap. XVI. 35
Incipit Reformationem Prou. S. Gabrielis, & fundat aliquot Conu. C. XVII. 37
Abſoluto Prouincialatus officio in Portugalliam vocatur, vt fundandæ Prouinciæ Arrabidæ adſiſtat. C. XVIII. 39
Creſcit hæc Congregatio, & S. Petrus de Alcantara Guardianus & Magiſter Nouitiorum deſtinatur in Conuentu Paliaeni: Cap. XIX. 42
Reditus in Prouinciam S. Gabrielis, & in locis Beluiſi, & Oropeſa mira operatur. Cap. XX. 44
Vocatus S. Petrus de Alcantara in Portugalliam, Arrabidæ initia firmat. Cap. XXI. 46
Reuertitur S. Petrus de Alcantara in Prouinciam ſuam, Guadianam tranſit, & mulierem à Dæmone deceptam conuertit: Cap. XXII. 48
Accedit ad Capitulum Generale Salmanticenſe, & indè reuerſus Comitiſſæ Oropeſa mortẽ filij prædicit. C. XXIII. 50.
Tranſit in Andaluſiam ad inſtantiam Magiſtri Ioãnis ab Auila, & in itinere quid mirum ei occurrit C. XXIV. 51

LIBER SECVNDVS.

Ab egreſſu ex Prou. S. Gabrielis vſque ad fundationem Prouinc. S. Ioſephi.

Obtinet Breue Summi Pontificis Iulij III. pro ſtabilienda in alijs Prouincijs ſtrictiore Obſeruantia. C. I. 53
Vadit Caurium, cuius Epiſcopus Eremitorium illi aſſignat, in quo diuinos fauores experitur. Cap. II. 54
Proficiſcitur Romam, vbi impetrat Breue Summi Pontificis pro Reformatione. Cap. III. 56
Reuerſus in Hiſpaniam varijs perſecutionibus vexatur. Cap. IV. 57
Inter tot vexationes viſus eſt à Chriſto & S. Franciſco aſſociari, atque mirabili extaſi ſuſpendi. Cap. V. 58
Incipit ædificare Conuentum Pedroſi, in quo diuina virtute varias difficultates ſuperat. Cap. VI. 61
De Conuentus noui fabrica humili, pietatiſq; officijs feruentiſſimis. C. VII. 63
Eligitur Commiſſarius Generalis pro Reformatione. Cap. VIII. 64
Fundat nouos Conuentus, & reuocat ad vitam Comitem à Morata Adoleſcentulum. Cap. IX. 67
Conuocat primum Capitulum, & Deo inſpirante vadit ad Ciuitatem Auila, vbi ad eius aduentum Cometa in Cœlo viſus eſt. Cap. X. 69

allo-

Alloquitur S. Thereſiam, eamque de Spiritus ſui re-
ctitudine certiorem reddit. Cap. XI. 71
Certiorem facit Confeſſarium Thereſiæ, eiuſque de-
ente Sanctitate. Cap. XII. 72
Vocatur ad Auilam Vallis Soleti reſidentem, de his
quæ ibi contigerunt. Cap XIII. 73
Pedroſum reuerſus, ibidem dum Miſſam celebrat, in-
ſigni miraculo à Deo honoratur. Cap X IV. 74
Abſoluta fabrica Conuentus S. Ioannis Baptiſtæ in
Vitioſa, Nouitiatum ibi collocat. Tranſit iterum
rapidum quendam flumen. Cap. XV. 76
S. Mater Thereſia ſcribit S. Petro de Alcantara no-
uas ſuas tribulationes, pro quibus eam conſolatur.
Cap. XVI. 78
S. Petrus miraculosè extinguit ignem accenſum in Con-
uentu nouo Roſarij; & vt ſuccurrat neceſſitati cu-
iuſdam nobilis fœminæ, diuina virtute in duobus
locis eodem tempore reperitur. Cap. XVII 83
S. Petrus de Alcantara confirmatur Commiſſarius
Generalis; venit Romam, & quæ illi ibidem con-
tingunt. Cap. XVIII. 85
Reditus Pedroſum, vbi baculus ab eo terra infixus
conuertitur in ficum. Cap XIX. 87
Promouet Reformationem Carmelitarum Diſcalcea-
torũ, quã S. Mater Thereſia ſuſceperat C.XX. 89
In Conuentu Pedroſi, atque in via verſus Vitioſam
miraculosè prouidetur. Cap XXI. 92
Quomodò in Conuentu Roſarij ab Angelis ei proui-
ſum fuit. Cap XXII 93
Vocatur à S. Thereſia ad deliberandum de negotio
ideas incœpto, de fauoribus, quibus Auila à Deo
illuſtratur. Cap. XXIII. 95
S. Petrus de Alcantara duas ſocias S. Thereſiæ eligit.
Conuentum ſui Inſtituti in Epiſcopatu Zamorenſi
admittit. Cap XXIV. 95

LIBER TERTIVS

De erectione Prouinciæ S. Ioſephi vſque ad vl-
timum annum finis vitæ S. Petri de Alcantara.

Concludit eligere Cuſtodiam in Prouinciam: De
inſigni miraculo eius meritis à Deo conceſſo.
Cap. I. 99
De vlteriori ſucceſſu prædicti Capituli. Quomodò S. Pe-
trus de Alcantara miſit Religioſos ad fundandum
Elche & Lorito in Regno Valentiæ; & ipſe in
Aldea del Pafo fundat Conuentum, & de quodam
ſucceſſu mirabili. Cap. II. 104
Vadit Arenas ad fundandum Conuentum, & in via
miraculosè flumen quemdam tranſit. C III. 106
De quibuſdam colloquijs cum S. Matre Thereſia, in
cuius præſentia quodam ſingulari fauore à Deo ho-
noratur. Cap IV. 108
De mirabili conuerſione cuiuſdam Nobilis, facta vir-
tute orationum S. Petri de Alcantara. C.V. 110
Quomodò redeũdo Arenas multos ſola præſentia S. Pe-
trus de Alcantara conuertit. Cap. VI 112
Impetrat à Deo pluuiam in magna ſiccitate.
Cap. VII. 114
Alia miranda operatur Deus, propter orationes S. Pe-
tri de Alcantara. Cap. VIII. 115
De duobus Viris conſpicuis, quos ad S. Petrum de Al-
cantara Deus hoc tempore miſit; vt Religioni ad-
ſcriberentur. Cap. IX. 117
S. Petrus de Alcantara ſcribit S. Thereſiæ, & virtute
diuina illã inuiſit non profi.. A..... C. X. 119
De fauore quodam ſingulari, quo S. Petrum de Alcan-
tara Auila Dominus condecorauit; dum menſa
D. Ioannis Veleſquez aſſideret. Cap. XI. 121
Inſtanteò tempeſtate vehementi, ac nimium copia
miraculosè defenditur. Cap. XII. 123
Angelus S. Petro de Alcantara, atq; Fratribus Agreſt
cibum offert, & de quadã Prophetia. C. XIII. 124
S. Petrus de Alcantara vadit Toletum, vocatus à
S. Thereſia. Cap. XIV. 126
Conuenit S. Petrus de Alcantara Epiſcopum Auilæ pro
fundando Monaſterio S. Thereſiæ. C. XV. 128
Sabbanas Religioſis S. Ioſephi perſecutiones commo-
uet, diuinis doctrinis ſolatur S. Petrus; & admit-
tit duos Conuentus. Cap. XVI 131
S. Petrus de Alcantara in quadam Congregatione
fundat duas Cuſtodias, videlicet S. Ioannis Bapti-
ſtæ in Regno Valentiæ, & S. Simonis in Galitia.
Cap. XVII. 133
S. Petrus de Alcantara transfert ſe Auilam ad con-
cludendam fundationem Monaſterij S. Matris Thee-
reſiæ; ſcribit eidem epiſtolam ſuper paupertatis ob-
ſeruantia. Cap XVIII 135
Quomodò S. Petrus elegit duas ſocias pro S. Thereſia.
Et de quibuſdam prædicationibus. C. XIX. 139
Ex diuina inſpiratione iterũ nunc vadit Auilam, vt
S. Thereſiæ in fundatione operã præſtet. C. XX 141
De aduentu S. Thereſiæ Auilam, & de diligentia
S. Petri de Alcantara pro acceptando Diplomate
nouæ Reformationis. Cap XXI. 144
Quomodò S. Thereſia vidit S. Franciſcum, & S. An-
tonium aſſiſtentes S. Petro de Alcantara celebranti.
Cap. XXII. 146
De his, quæ poſtremùm S. Petrus cum S. Thereſia
egit; & quomodò noui Monaſterij poſſeſſio capta
fuit. Cap. XXIII. 147
S. Petrus de Alcantara Auila diſcedit, viſitat ſuos
Conuentus, ſuiſque Religioſis ſalutaria monita præ-
ſcribit. Cap XXIV. 149
De aliquot inſignibus vita S. Petri ſocijs. C XXV. 153
De reliquis Socijs, & Diſcipulis quibuſdam S. Petro
de Alcantara. Cap XXVI. 159

LIBER QVARTVS.

De virtutibus Theologalibus, & donis gratuitis
S. Petro de Alcantara conceſſis.

De Fidei virtute. Cap I. 165
De virtute Spei, quæ in S. Petro de Alcantara
eluxit Cap II. 168
De Charitate S. Petri de Alcantara erga Deum.
Cap III 170
De Charitate S. Petri de Alcantara erga proximum.
Cap. IV. 174
De Patientia S. Petri de Alcantara, & animi eius
conſtantia contra iniurias Cap. V. 178
De Humilitate S. Petri de Alcantara. C VI. 188
De Paupertate S. Petri de Alcantara. C. VII. 185
De Puritate virginali S. Petri de Alcantara.
Cap. VIII 187
De Pœnitentia admirabili S. Petri de Alcantara.
Cap. IX. 189
De alijs pœnitentiæ experimentis etiam S. Thereſiæ
teſtimonio probatis. Cap. X. 192
De dono orationis & contemplationis S. Petri de
Alcantara. Cap. XI. 195
De alijs ſummæ contemplationis effectibus, & ſignis
in S. Petro de Alcantara relucentibus C XII. 208
De fructu & efficacia orationis S. Petri de Alcantara
pro beneficijs proximi. Cap. XIII 206
De diuerſis exercitijs deuotionis S. Petri de Alcantara
erga

Digitized by Google

erga Sanctiſſimam Eucharistiam, Paſſionem Dominicam, ac Beatiſſimam Virginem, aliosque Sanctos. Cap. XIV. 209

De dono ſcientiæ S. Petri de Alcantara, ex quo magnū prædicationis ſuæ fructum collegit. C. XV. 213

De dono Prophetiæ ſancto Petro de Alcantara conceſſo. Cap. XVI. 217

De laudabili ſancti Petri de Alcantara conuerſatione, quæ omnium ad eum venerationem trahebat. Cap. XVII. 222

Continuatur eadem materia in Magnatum exemplis. Cap. XVIII. 226

De quibuſdam ſancti Petri de Alcantara pœnitentibus virtute conſpicuis. Cap. XIX. 230

De quibuſdam fœminis pietate præclaris ſancti Petri de Alcantara Diſcipulis. C. XX. 234

LIBER QVINTVS.

De extrema ſancti Petri de Alcantara infirmitate vſq; ad corporis eius translationem.

V*iſitat vltima vice Conuentus Pedroſi, Roſarij, ac Viciosa.* Cap. I. 238

Infirmatur in Conuentu Viciosa. Cap. II. 240

Accedit Domum Comitis Oropeſa, & quæ ibi contingunt. Cap. III. 242

Defertur S. Petrus de Alcantara ad Conuentum de Arenas, vbi creuit infirmitas eius ad mortem. Cap. IV. 244

De ſalutaribus quibuſdam documentis, quæ in hac infirmitate dictabat. & inſigni patientia. C V. 245

Viſitatur à Christo Domino, & eius ſanctiſſima Matre, & alijs Sanctis; & de quadam concione ad Fratres habita. Cap. VI. 247

Recipit ſanctiſſimum Viaticum, & extremam Vnctionem, atq; horam mortis prædicit C VII. 250

De fœlici S. Petri de Alcantara tranſitu, & apparitione facta ſanctæ Thereſiæ. Cap. VIII. 253

De his, quæ in Sancti Viri funere contigere. Cap. IX. 255

Quomodò iterum manifeſtatur gloria S. Petri de Alcantara S. Matri Thereſiæ, & alijs deuotis. Cap. X. 258

Quomodò corpus ſancti Petri de Alcantara incorruptum inuenitur, & ad Capellam transfertur cum prodigio. Cap. XI. 262

LIBER SEXTVS.

De miraculis, quæ poſt mortem Sancti Petri de Alcantara contigerunt.

D*E quibuſdam à morte ereptis.* Cap. I. 267

De quibuſdam mancis & claudis, qui viſitando ſancti Petri Sepulchrum miraculosè conualuerunt. Cap. II. 274

De quibuſdam cæcis, & ſurditate, alijſque grauiſſimis morbis affectis, per ſancti Petri inuocationem ſanatis. Cap. III. 279

De quibuſdam hernia, alijſque morbis laborantibus, qui aut viſitando ſepulchrum ſancti Petri de Alcantara, aut vouendo ſanati fuere. Cap IV. 282

De quibuſdam infirmitatibus inflammationum, & ſuppurationum curatis ſolo contactu alicuius reliquiæ S. Petri de Alcantara. Cap. V. 286

Gratia miraculoſa operata per cordam ſancti Petri de Alcantara, per terram ex eius ſepulchro, aliaſque ſuas Reliquias. Cap VI. 290

De quibuſdam ſanatis ex oleo lampadis, & aqua miraculoſa S. Petri de Alcantara. C. VII. 294

De miraculoſis ſucceſſibus, qui ex apparitione S. Petri euenerunt; aut eius ſola interceſſione. Item ex ficu, quam plantarat, eiuſque fructibus. Cap. VIII. 298

De nonnullis laborantibus dolore lateris, vrina, cancris, & ſimilibus; qui interceſſione ſancti Petri de Alcantara ſanitati reſtituuntur. Cap. IX. 305

De illis, qui per inuocationem ſancti Petri de Alcantara prolem obtinuerunt; & de alijs, qui ex partu periculoſe liberata fuerunt. Cap X. 309

De quibuſdam ægrotis à febre maligna ſanatis per S. Petri de Alcantara interceſſione. Cap. XI 314

Beatificatio Serui Dei Fratris Petri de Alcantara. 320

De his, quæ Beatificationem S. Petri conſecuta ſunt. Cap. XII. 328

VITAE

VITAE SANCTI PETRI DE ALCANTARA

LIBER PRIMVS.

A natiuitate eiuſdem, & vſquedum vixit in Prouincia S. Gabrielis.

De S. Petri incunabulis. *Cap. I.*

VITAM viri Sancti enarrare ſuſcipio, quem ob carnis macerationem, Pœnitentiæ portentum, ob contemplationis ſublimitatem, ſpiritualis vitæ Magiſtrum, non immeritò appellaueris.

Natus eſt S. Petrus Anno humanæ ſalutis milleſimo quadringẽteſimo nonageſimo nono: Eccleſiam Catholicam regente Alexandro Sexto Pontifice Maximo: & in Hiſpania regnantibus Ferdinando, & Iſabella Catholicis. Natale ſolum ſortitur Alcantarã, olim Norba Cæſarea, inter clariora Prouinciæ Eſtremaduræ Oppida, Ordinis quoque militaris eiuſdem cognominis titulo, caput perilluſtre. Patri nomen Petro Garauito, Iuris profeſſione famoſo, ex familia ſatis conſpicua, atque antiqua, quam non dedecebat, vt talis ciuis patriæ ſuæ à Rege Catholico Gubernator præficeretur: dùm tali officio, niſi viros authoritate conſpicuos deſtinare, adhuc moris nõ eſſet.

Digitized by Google

Mater D. Maria Villela de Sanabria viro nobilitate par; quam vterque proprijs virtutibus, & filij educatione plurimùm illuſtrarunt.

Iã S. Petrus à ſexto ætatis anno primis labijs delibare incipiens orationis dulcedinem (quam reliquo vitæ curſu ſingulariter excolendo celebrem reddidit) quotidiè matutinis, veſpertiniſque horis, flexis genibus attentionem, orationi etiam longa temporum interualla impendere numquã intermittebat. Idquè ſecreto in paternæ domus Oratorio, cuius ipſe cuſtodiam exquiſito, ac deuoto cultu agebat. Ex inſtitutione inſuper Matris pias aliquas edoctus preces, ſummam erga Beatiſſimam Dei-genitricem pietatem concepit; cuius impoſterùm incremento tantum profecit, vt Religioſus iam effectus, dum in Conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Vitioſæ moraretur, eandem glorioſiſſimam Virginem præſentem videre; atque Angelos ſibi officium diuinum recitanti lumen miniſtrantes habere dignus fuerit.

Rudimentis literarum ſufficienter inſtructus ſacrorum, piorumque librorũ lectioni incubuit; qua notabile aliquid excerpens, poſteà magna animi conſolatione ſecum ſolitarius ruminabat; atque iam tunc in tenella ætate,contra profanos libros odio irreconciliabili concepto,ſemper nutriendo ſeruauit. Nunquàm viſus eſt,quacumque occaſione prouocatus, animo turbari; aut de vllo conqueri: ſemper vultum ſeruans ſerenum, ac grauitate deuota modeſtum; qui ludicra ſodalium puerorum oblectamenta ſperneret, ac faſtidiret. Reſplendebant quoque naturales gratiæ cum decora corporis ſpecie adeò contemperatæ, vt communi omnium beneuolentia, atque exiſtimatione futuræ fœlicitatis omini præludendo, Sancti pueri appellationem ipſi conciliarent.

A Parentibus Grammaticæ,atque Philoſophiæ ſtudijs admotus; vtrumque ingenij acumine, ac memoriæ fæcunditate abſoluit; non ſine Præceptorum ſtupore plurimos condiſcipulorum poſt ſe relinquens. Summa ei erga Parentes reuerentia, nec cum vllo familiaritas, niſi qui virtute emineret:

neret: præcipuè verò cum Religioſis viris, in ſpiritualibus colloquijs frequens. Eccleſias orandi cauſa, ſumma deuotione ſæpiſſimè adibat; maximè cùm à ſchola reuerteretur, vt ibi aliquandiù Deo vacaret.

Hinc contigit quadam die, quòd parentes, hora prandij elapſa, puerum non reuerſum admirati; pro eo inquirendo, ad Eccleſiam, quà diuertiſse ſuſpicabantur, famulum mitterent. Is omnia templi adita diligenter perſcrutatus, tandem in choro poſt organũ, puerum diuina contemplatione adeò abſorptum inuenit, vt nec voce, nec ſignis, reuocare ad ſenſus poſset. Quod confeſtim Patri renuncians, tanta eundem lætitiæ ac ſpei certitudine affecit; vt prouectum ætate, virtutibus præclarũ, paterno animo præſagiret; iuberetq; impoſterùm, ne vllus contemplationi intentum vltra turbaret.

Miſſio ad ſtudia Salamanticenſia. Cap. II.

POſthæc Pater Garauito exiuit è vita; & Mater ex conſilio propinquorum tranſijt ad ſecundas nuptias nobilis viri Don Alphonſi Barrantes, ex quo duos filios peperit. Huic vitrico ſingularis ex paterno affectu cura de S. Petro erat: quare quartum-decimum annum ætatis agentem, & in Philoſophia inſtructum, altioribus quoque ſcientijs idoneũ, ad Salamanticenſem Academiam inter Hiſpaniæ Lycea celeberrimam deſtinauit. Illic iuuenis non aliorum more extra paternam domum peregrinantium amicitias quærere; ſed habitationem prope Eccleſiam, & familiaritatem virorum ſpiritu ac moribus præſtantiorum eligere, quorum vno pro Patre, ac directore ſpirituali vteretur; curarum primas habuit. Mox Iuri Canonico ſtudium addicens ingenij, atque profectus tale ſpecimen edidit: vt Magiſtris approbationem, condiſcipulis admirationis, ſimulque æmulationis clauam extorqueret. Temporis rationem tam exactam habebat, quò deuotionis exercitia, ſtudiorum horis non ſubtraherent; vt ante lucem ad orationem euigilans, paulò poſt ad Eccleſiam, vbi ſcholæ tempus opportunum expectaret,

properare, quaſi pro lege ſibi indixerit. Sæpè etiam ad eandem, pro percipienda ſacra Synaxi, reuerſus quandoq;eius feruido affectu in extaſim raptus videbatur. Circa meridiem ad hoſpitium rediens reficiendi corporis tam parcus fuit, vt admirabilis abſtinentiæ, qua tota vita inclaruit, tunc velut prima tirocinia deponeret. Priuſquàm ad ſcholam regrederetur, dictata reuoluens dubia annotabat, quæ ſoluenda cum alijs conferret. Peractis ſtudijs, hoſpitalia accedebat; vt ibi ægrotos verbis,ac ope ſolaretur: indè Eccleſiam, ac domum repetens, poſt aliquod ſtudij tempus, conſcientiæ examine ſuſcepto leuiſſimos eiuſdem diei defectus aſperrimis in ſeipſum flagellis vindicabat. Tandem cubile adeundi proximus, priùs *De profundis* pro ſe tanquã mortuo recitans, Deo animam commendabat. Diebus feſtis, tempus antemeridianum in Eccleſijs orationi, ac Miſſis inſeruiendis dicabat; maximè verò ad præparationem ſuſcipiendi ſacroſancti Myſterij, atque ad gratiarum actionem ſollicitus. Poſt meridiem viſitandis carceribus, atque Religioſorum Conuentibus tempus abſumens; perfectionis ſemitas apud pios viros inquirebat. Nec etiam elargiendæ eleemoſynæ pro facultatibus deerat; cùm neminem ſe rogantem ſine aliquo ſubſidio vacuum dimiſerit.

Huic inſuper tam exactæ vitæ tenori,par in conuerſatione publica, modeſtia reſpondebat; quæ nec quempiam verborum, nec actionum importunitate offenderet. Sed præſertim in coercenda linguæ, oculorumque libertate admirabilis diſciplina tantam ipſi exiſtimationem apud vniuerſos conciliauit, vt Magiſtri deprędicando, plurimi imitando, illum tanquàm vnicum diſciplinati Iuuenis exemplar in principali illa Academia celebrarent.

Deliberatio de ſuſcipiendo habitu S. Franciſci Diſcalceatorum. Cap. III.

IAm ſtudiorum vacatio ferueſcente æſtate Salamanticæ, pro conſuetudine Academiæ,indicebatur; cùm S.Petrus,

A hac

hac occaſione, à Parentibus ad patriam reuocaretur: propter anni abſentiam ardentiùs deſideratus, ideòque iteratis inſtantijs ſollicitatus. Cui tandem vocationi, tanquàm altiorem animo reuoluens, poſt ſpretam de ſtudiorum, ac honorum præmijs perſuaſionem, libentiùs acquieuit; eo videlicet propoſito, vt cœptam in Academia viuendi ſeriem ſecum in Patriam transferret. Vndè poſteà Alcantaræ, ardentiori perfectionis deſiderio accenſus, atque orationibus inſtans, Aduerſarij quoque tentamenta non euaſit. Conabatur hic ingenij capacitatem, ſcientiarum, ac præmiorum decora iuueni exaggerando ad Academiæ ſtudia reuocare. Ille autem inanem gloriam flocci facere animi humilitate, ac fortitudine, orationis quoque aſſiduitate obſiſtere pergebat, contra illecebras quaſcumque diuina virtute mirabiliter inualeſcens. Ita vt de perfectiori vitæ ſtatu ſeriò deliberans, diuina gratia, ad Religioſum ſuſcipiendum euidentiùs ſe impelli agnoſceret.

Non pridèm Deus venerabilem P. Ioannem à Guadalupe cum quibuſdam ſocijs euocarat ad fundanda quædam Oratoria pro ſtrictiori Obſeruantia religioſi Inſtituti Sancti P. Franciſci; pro quibus, obtento ab Alexandro Sexto Apoſtolico Breui, Cuſtodiam quandam titulo Sancti Euangelij prædictus Pater erexerat: quod tamen Breue paulò poſt, inſtante Catholico Rege Ferdinando, ad truncanda diſſidia reuocatum fuit. At verò eodem anno, quo S. Petrus noſter vitæ exordium habuit, zelatores ijdem conſtantiſſimi Oratorij alterius fundandi prope Ciuitatem Truxillo in Prouincia Eſtremaduræ iterùm facultatem à præfato Pontifice impetrarunt. Propter quam multas contradictiones, atque vexationes paſſi, denuò tàm propter Recollectionis diſperſionem, quàm ex morte magnæ ſanctimoniæ P. Guadalupe, iacturam grauiſſimam ſenſerunt. Aliquot tandem Religioſi, eandem Reformationem proſequentes Leonis X. P. M. Indulto aliam Cuſtodiam titulo Eſtremaduræ reſtaurarunt; cuius primus fuit Cuſtos P. Franciſcus Frexenal Religione, ac ſcientia commendatus.

Dum

Dum hæc aguntur S. Petrus annum vitæ attingit ſextum decimum; quo ipſe quoque à Deo pro huius Reformationis ſtructura inſtar petræ principalis, & fundamentalis eligeretur. Nam die quadam, in oratione, diuinam prouidentiam prouocanti, vt ſibi Ordinem Religionis, quem ingredi poſset, oſtendere dignaretur; duo venerandi Patres ex præfata Cuſtodia obuij mentem eius dubiam, interiori lumine irradiante, ad illorum inſtitutum efficaciùs pertraxerunt. Vndè illicò in Patrum amplexus effuſus propoſitum aperit, atque exequendi media flagrantiùs vrget. Placuit Deo, pro ſingulari Serui ſui conſolatione, atque electionis approbatione, vt alter ex duobus Religioſis ipſe Cuſtos eſset, ad quem pertinebat Nouitios recipere. Qui obſeruata in iuuene ingenuitate, atque ſingulari modeſtia, quæ feruentem vocationis ſpiritum commendabant, ex ſeculi contemptu: præter Ordinis conſuetudinem, ſtatim receptionis, & Conuentum de Manxarretes adeundi licentiam conceſſit pro induendo habitu. Propter hanc facilitatem, atque vocationis certitudinem auctus lætitia S. Petrus Cuſtodi humillimas gratias reddens, ſecretum negocij ſedulò deprecatur; quò parentum conatibus turbari, aut impediri non contingeret.

Ipſe intereà domi ſuæ orationibus, atque diſciplinis ad ſuſceptam expeditionem ſeſe accingens; quodam mane, inſalutata Matre, à qua tenerrimè diligebatur, paternos lares clanculùm deſerit. Hinc ad Eccleſiam greſsus dirigendo, ſacro audito, ſanctiſſimoque Sacramento ſuſcepto, vt fugam illam Deo commendaret, iter Valentiam tendens nullo duce ſuſcipere non pertimuit.

Acceſſus ad Conuentum de Manxarretes, & habitus Diſcalceatorum ſuſceptio. Cap. IV.

PRoſecutus igitur viam S. Petrus fœliciter, nec quemquam, à quo videretur, obuium habuit, & in ſolius Euchariſtici cibi fortitudine ambulans vſque ad domum Dei,

ve-

Digitized by Google

vegetem ſe, atque integrum viribus ſentiebat. Voluit vltra Deus, ſtupendo miraculo, ſerui vocationem, atque protectionem hac ratione confirmare.

Appropinquarat ille, ripæ fluminis Tietar, quem traijcere oportebat, vt ad Conuentum progredi poſset. Sed nemine illic inuento ad orationis præſidium conuerſus ſentijt ſe, diuina ope, in oppoſitam ripam mirabiliter tranſlatum; atque in eam viam, quæ rectà duceret, quò properabat. Vndè, huius beneficij memoriam, dum viueret conſeruans, cōtinua gratiarum actione, arrham ſuæ vocationis Deo acceptam quotidiè ferebat. Et tandem ſeneſcentibus annis deuoto cuidam Religioſo hoc beneficium enarrando effecit, vt quod tamdiu eius humilitas celauerat, pro Dei gloria, à cunctis impoſterùm publicè celebraretur.

Tam fœlici itaque ſucceſsu firmatus ánimo ad Conuentum perueniens; ad Guardiani (qui tunc erat Fr. Michael Rocco ſibi propinquus) pedes prouoluitur, atque ſuæ receptionis facultatem ſupplex exhibet. Cui ille benignè occurrere, verbis conſolari, atque aliquot dierum moram interponere cohortatur; ſuſpicatus fortè non maturo perfectioris vitæ conſilio; ſed potiùs iuuenilis ingenij mobilitati hanc fugam adſcribendam eſse.

Erat ipſe Conuentus fragroſis collibus, rupibuſque, quæ Regnum Caſtiliæ hac parte à Portugallia diuidunt, ſupereminens; proſpectu tamen libero nemorum, aquarumq; copia inſigniter amænus. Incolebant Religioſi deuoti, qui paupertatis extrema, vitæ auſteritate, orationumque aſſiduitate, diligenter excolebant. Quorum omnium cupiditate fruendi exęſtuans S. Petrus, conferendi ſibi habitus celeritatem inſtantiſſimè vrgebat. Tantumque ſollicitationum importunitate obtinuit, vt Guardianus, explorata prius propoſiti conſtantia, atque ad ſuſtinendos inſtituti rigores prōptitudine; breui eum, approbantibus cunctis, ſacro habitu indueret: Idque anno ætatis ſuæ ſextodecimo, ſeculi verò 1515.

De

De exercitijs S. Petri de Alcantara tempore Nouitiatus, & poſt profeſſionem. Cap. V.

NOuitiatus primordia tanto virtutis amore S. Petrus aggreditur, vt mortificationis, atque rigidiſſimæ pœnitentiæ exercitia cum orandi aſſiduitate coniungens; prouectiores etiam in Conuentu hoc ſtudij genere anteiret. Breuis illi quies noctis erat ſuper ſtrato duriori, atque tegumento, quod vix frigus arceret, inſtructo: Habitus lacer & vilis, quem mutare nolebat. Spiritu adeò eleuatus exteriores occupationes tractabat, vt ſæpè tanquàm extaticus ad eaſdem, à Superiore, vel Magiſtro reuocatus repræhenſiones inculpatæ negligentiæ læto animo ſuſciperet. Ingenij acumen quorumdam defectuũ ſimulatione tegebat, quo corrigi, ac vilipendi mereretur. Nec inter tot repręhenſionum, laborum, vigiliarumq; exercitationes, quibus ſpiritum eius probare Superiores tentarunt; aut patientia frangi, aut vultus mœſtitia mutari vnquàm inuentus fuit; ſed hilari sẽper atque ſereno vultu omnia conſtanter perferre. Non defuit tamen Aduerſarius ſalutis his S. Petri operibus inſidias ſtruere, dùm orandi præſertim frequentiæ, atque vitæ aſperitati infenſus, huic perſeuerandi impoſſibilitatem, illi profundam quandam ſomnolentiam obijceret. Quibus impedimentis S. Petrus de Alcantara orationis feruorẽ opponens, diuini auxilij talem ſenſit effectũ, vt manifeſtè appareret, ipſum ſuperiori virtute animi, corporiſq; viribus fuiſſe auctũ; nè tantis rigoribus, quos ſuſtinebat, ſuccumberet. Neque tamen eò minùs inimicus inſultabat, quin ſubindè horrendis apparitionibus illum exterrens percutere, atque in terram proſternere, aut niſi propoſitum deſereret, ſuffocare minaretur. Ipſe verò animi intrepidus omnia ſuperare patientia, atque inuocato nomine Ieſu dulciſſimo, Dæmonium fugare optimè didicerat.

His tandem velitationibus nouitiatus annum exegerat; cùm tali virtutum experientia probatus profeſſionem emittens,

tens, apud omnes Conuentus Religioſos ſanctitatis opinionem præueniret. At ille humiliter de ſeipſo ſentiens priuatim increpare ſe, atque ad recuperandum tempus perditum diligentiùs exhortari; quaſi ad virtutis limen vix dum acceſſiſset. Hinc totum deinceps corporis habitum componere ſtudens, ſerenitate vultus, modeſtia oculorum, humilitate, ac diſcretione conuerſationis, omnium ad ſe affectus rapiebat. Notabile hoc fuit, quòd per integrum annum in cella quadam commoratus, & indè ad Eccleſiam pergens, numquam obſeruaſset ex qua materia vtriuſque laquearia forent. Idem alia occaſione comprobauit, qua repræhenſus à Guardiano, quòd fructus quoſdã ex prõptuarij trabibus pendentes, Fratribus proferre neglexiſset; extorta excuſatione, reſpondit ſe per ſex menſes, quibus loci curam habuerat, nunquàm tales fructus ibi animaduertiſse ſuſpenſos.

Poſt abſoluta diuina Officia in Choro, atque Eccleſia, vbi deuotiſſimè plurimis Sacris miniſtrabat; operam ſuam, aut infirmorum curæ, aut officiorum manualium ſeruituti addicebat; in illa ſummam charitatem, in hac profundam humilitatem exercens; cum pro laboritio ineptiora inſtrumẽta eligendo, atque augendo difficultates, patientiam magis probaret. Aeditimi officium ea pietate exercuit, vt ornandi altarium occupationi, orandi longiſſima ſpatia coniungens, altiſſimas cœleſtium rerum notitias animo cõciperet. Nec minori diligentia Refectorij curam geſſit; quando cuiuſque Fratris neceſſitati, iuxta charitatis leges, diſcretè ſuccurrebat; interdùm etiam extraordinariam diuinæ Largitatis diſpenſationem expertus. Vndè ad Ianitoris officium deſtinatus, charitatis exercendæ (qua poſtmodùm excelluit) copioſiorem occaſionem obtinuit: Nam prætereà, quòd nullum mendicum ſine aliqua refectione corporali ieiunum dimitteret; omnes ſpiritualibus exhortationibus, atque doctrinæ Chriſtianæ inſtructione exactiſſima ſolabatur, ac erudiebat.

Digitized by Google

Miſſio ad Conuentum Beluiſi, vbi virtus eius inclaruit. *Caput VI.*

PAucis poſt profeſſionem annis, cum obedientia P. Cuſtodis Franciſci Frexenal, ad Conuentum Sancti Franciſci prope oppidum Beluis miſſus fuit S. Petrus. Ibi ſolitarij loci delicijs gaudens, cellulas quaſdam ex ſarmentis, ac luto conſtruxit; ad quas interdiu diuertens ſpiritus ardorem liberiùs exhalare, atque exclamationum ſuarum, & aſperrimarum flagellationum ſtrepitu, neminem turbare, aut offendere procurabat.

Cùm pro eleemoſinarũ quæſtuatione ad propinqua loca mittebatur; tanta præſertim oculorum compoſitione omnes alloqui ſolebat; vt nunquàm aliã terram aſpexiſſe, niſi quã pedibus calcabat, teſtes fide digni pro certo aſſererent. Idque ferè in omni colloquio, maximè cum fœminis rigidiùs obſeruaſſe, memoria æterna dignum erit. Neque etiã longiùs à Conuentu conſtitutus, à ſolitis exercitijs animum relaxabat: eò quòd hoſpitio aliquo receptus, poſt modicam refectionem tam cibi, quàm ſomni; intempeſta nocte ad diuinum Officium perſoluendum conſurgere, reliquumque noctis vſque ad auroram orando tranſigere, pro more haberet. Cui tam rigidas quandoquè diſciplinas coniungebat; vt ſocius, alijque ad earum ſtrepitum expergefacti inhorreſcerent: Nocte ſic tranſacta priuſquàm cubiculo egrederetur lectum reuoluendo, quaſi in eo molliùs cubaſſet, aliquorum iudicia innocenter fallebat. Dein ſalutato humiliter hoſpite, & audito in Eccleſia Sacro, ad quæſtuandum ſollicitè properãs; poſteà hora Officij recitandi appropinquante, depoſita ſarcina in publica via genuflexus debitum Deo perſoluebat. Reliquum itineris contemplationi adeò intentus conficiebat; vt diuino conſpectui, ac conuerſationi toto ſpiritu vacare; interdùm etiam multis à ſolo palmis eleuari, à pluribus viatoribus viſus fuerit. Quorum præſentiam (quòd eius benedictionem expectabant) à

Digitized by Google

raptu reuerſus animaduertens, celeri curſu illorum oculos effugere nitebatur: ſed cilicij aſperitate quo cingebatur, ſarcinæque, quam gerebat, pondere impeditus; inſequentiũ voces, atque acclamationes adeò pro voto vitare non potuit: quin ijſdem Deum laudandi, moreſque emendandi materiam, & ex his quæ viderant, veſtigia ſanctimoniæ ſuæ relinqueret. Ad Conuentum tandem reuerſus, oſtiario genuflexus eleemoſinam conſignans, benedictionem petebat: Hinc ad Eccleſiam conuolans, proſtratus coram Sanctiſſimo, culpæ à ſe in hoc obedientiæ opere commiſsæ, veniam deprecabatur. Indè ſe Guardiano ſiſtere, atque mox ad ſolita ſpiritualia exercitia, in dilectam ſolitudinem reuerti.

Vulgabat intereà fama hanc virtutem S. Petri, etiam diuinis fauoribus approbatam, in propinquis locis; qua excitus Comes Beluiſi D. Franciſcus Monroius, fundator ac benefactor ſingularis Conuentus, ſæpiùs eum, vt alloqueretur, atque eius ſpiritualibus documentis imbueretur, acceſſit. Quod commercium ſumma diligentia declinans S. Petrus, obedientiæ tamen præcepto conſtrictus à Superiore, tam fructuosè tranſegit; vt prædictum Comitem, qui eum aliquotiès in Choro brachijs expanſis in aere ſubleuatum conſpexerat, ad plurima pietatis, ac perfectionis exercitia, etiam Religioſis aſsueta pertraheret. Adeò inſuper creuit Comitis deuotio, vt non ſuo ſolùm profectu contentus; ſed & vxoris deſiderium videndi deuotum Patrem ſingulariter accenderet. Adibat itaque ipſa frequenter Conuentum, & tanta Religioſi Patris præſentia, ac monitis compuncta; vanitatibus ſeculi contemptis, mariti pietatem, ac virtutem ſtrenuè æmulabatur. Breui deniquè Comes quemdam Nepotem ſuum quatuordecim annorum Beluiſum euocauit, quem Viri Dei præceptis inſtruendum, atque interceſſionibus apud Deum, perficiendum commendabat: Nec ſanè ſpes fefellit; cùm nobili illi animæ, tanquàm ceræ molli, adeò deuotionis affectus imprimerentur; vt niſi motus eius alij temperaſsent, iam tùm tenellus Adoleſcens ſacro Religionis habitu indutus fuiſset. Vocabatur ipſe D. Ioannes

 Alua-

Aluarez Garzia de Toledo, Comes de Oropeſa, qui poſt hæc ſummus deuoti Patris amicus, & Reformationis promotor extitit. Neque hic ſolùm ſtetit communis omnium in S. Petrum deuotio; ſed vicinorum multitudinem ingentem ad Conuentum confluere coegit pro benedictione ab ipſo recipienda: Cui fauens Guardianus, ipſum ægrè à ſua ſolitudine exeuntem, ad aliquorum domos viſitandas, atque vt ægritudine, alijſque neceſſitatibus vexatos ſua præſentia ſolaretur, per obedientiam aſtrinxit. Quod equidem charitatis officium, ſumma Dei gloria, animarum ſalus multiplici fructu, vt ex hiſtoria conſtabit; conſecuta fuit.

Iter ad Pacem Iuliam (vulgò Badajos) pro fundando Conuentu, cui Superior præficitur. Cap. VII.

ANno 1519. celebrato Capitulo Cuſtodiæ Eſtremaduræ, in Prouinciam erecta fuit, creato primo Prouinciali Patre Angelo de Valladolid, Viro verè Apoſtolico. Huic Prouinciæ res diſponenti, occaſio data fuit, ad Ciuitatis Pacis Iuliæ inſtantias, fundandi ibidem nouum Conuentum. Cuius principijs, Religione probatos Viros, atque inter ipſos, primarium S. Petrum de Alcantara deſtinauit: ipſique Religioſi, locum Monaſterio deſignantes in quodā Oratorio vulgò Martyrum dicto, Eccleſiæ ac Conuentus fabricam incœperunt. Elucebat autem præcipuè S. Petri indefeſſa aſſiduitas, qua maiori diei parte in prouidendo, atque adiuuando operarios deſudabat; tantò magis admiratione dignus, quantò pœnitentiæ rigore confectus, noctes etiam inſomnes in oratione continuabat. Vndè Eccleſiæ & aliquot cellarum conſtructione promota, Religioſi munia ſua obire, atque ſtationes facere permiſſi ſunt ſub cura Sancti Petri; cui illam, quàmuis nondùm Sacerdoti, ſed virtute in illa familia præeminenti Prouincialis impoſuerat.

Initia officij ſui tanta virtute, ac prudentia enituerunt; vt manifeſta indicia forent ſingularis diuini muneris ſibi ad regendas animas conceſſi: Nihil enim ſubditis præcipere,

re, ſolebat, quod priùs ipſe non faceret; quaſi obedientiæ iugum ſuaue probando. Officia humilitatis abiectiora exercens, aliorum feruorem tàm ſedulitate, quàm vigilantia prævueniebat: in præcipiendo autem affabilitate ipſam ſupplicandi lenitatem æmulabatur, eandemque in defectibus quorumdam corrigendis iugiter obſeruans. Fratribus à quæſtuatione redeuntibus blandè occurrendo, gratias agẽdo, pedes lauando, cæteraque Religioſæ Charitatis officia exhibendo, adeò ſollicitè inſeruire ſatagebat; vt ipſa teneritudine affectus plures ad fletum prouocaret. Prouidebat omnium neceſſitatibus ſufficienter, confinia paupertatis religioſæ non tranſgrediens; ita vt paupertatis zelator, fundatoris illuſtris D. Gomez Fernandes de Solis, eiuſq; coniugis D. Catharinæ de Silua largitionibus fræna aliquando iniiceret, ſæpè ſupplicando nè Sancti P. Franciſci paupertatem, eleemoſinarum copia, lædere vellent; nequè dedignarentur ſe tantùm recipere, quantùm præſenti neceſſitati ſufficere iudicaret, de craſtino minimè ſollicitus.

Conſtruxit ſibi S. Petrus, in ſemoto huius Conuentus loco altiſſimis pinis obſito, exiguum quoddam Oratorium, ſub inuocatione deuotiſſimi ſui Sancti Ioannis Euangeliſtæ, quò ſæpè ab aliorum conſpectibus ſecederet ad contemplationi vacandum. Ibique gemituum, atque cordis intentione Cœlum petens, Deo appropinquans; interdùm in aere eleuatus, arborum ſummitates tranſcendiſse viſus fuit. Seuitiæ quoque veſtigia (qua corpus ſuum caſtigabat) ſolo, parietibuſque aſperſo ſanguine apparebant; quando cæleſtes fauores, qui huiuſmodi exercitijs reſpondebant, humilitas S. Petri ſtudioſiſſimè celabat.

Frequenter ſpiritualia colloquia cum Fratribus miſcens, ſe tanquam inferiorem, rudioremque cæteris gerebat; nec alia ſermonum materia, quàm Fidei, Paupertatis, Regulariſque Diſciplinæ zelus; vt ſi occaſio ferret, martyrij quoque pro Euangelij prædicatione optaretur. Omnium feruorem S. Petrus inflammabat; ſe voluntate vnicuique coniunctum offerens, ad ſubeunda itinera longinqua; carceres, cruces, alia-

aliaque tormenta, dummodò omnia in Dei gloriam, proximi ſalutem, ſuique ipſius contemptum redundaſsent. Nec in ſolo hæc propoſito hæſerunt; quia à quibuſdam executioni mandata, in varias partes pro conuerſione infidelium miſſis, martyrij palmam contulerunt. Ex quorum numero Seruus Dei Fr. Ioannes ab Aquila, ob ſingularem perfectionem S. Petro de Alcantara percarus, in Indiam; alij aliò perrexerunt, ipſomet B. Petro in Hiſpanijs remanente; vt eandem Dei gloriam ibidem aliter promoueret, quemadmodùm Spiritus Sanctus ſuggerebat illi.

Promotio ad Ordines ſacros, & prædicandi munus.

Cap. VIII.

IAm à tribus annis in Conuentu Pacis Iuliæ S. Petrus de Alcantara innocenter vixerat, eiuſque cura quàm integrè geſta, ſatis Prouinciali nuper electo P. Frexenal perſpecta erat; ideòque, vt ſe ad ſacros Ordines ſuſcipiendos accingeret, per literas ſignificauit: quò impoſterùm maioribus officijs deſtinatus, & Religionis, & Populorum vtilitatibus prodeſse fructuoſiùs poſset. Excuſare quidem imprimìs S. Petrus indignitatem ſuam Prouinciali, & timorem, quo ex reuerentia ſacri Ordinis tenebatur explicare; humiliter tamen cedere diuinæ vocationi conſultiùs duxit; vt promptiorem mortificandi ſeipſum occaſionem amplecteretur. Nam ad ſingulos Ordines iterato præcepto compulſus, adeò rigoroſis ſe pœnitentijs priùs diſponebat, vt tàm publicè, quàm priuatim cæterorum Fratrum commiſerationem ſimul, ac pietatem commoueret; quorum etiam orationes feruenti animo depoſcere non ceſsabat.

Anno tandem 1524. ætatis 25. ad Sacerdotij gradum, reluctans maximè, eò quòd in Diaconatu manere optaſset, ex mandato Superioris promouetur; atque in eò vitæ auſteritatem, orationiſque frequentiam augens, ſacrificium proprij ſanguinis pro Redemptoris ſanguine offerre Deo videbatur. Quanta verò deuotione, ac diuinæ gratiæ affluen-

tia primam Miſsam celebrauit; verbis explicare non licet; quàmuis vultus immutatio, lachrymarumque profluuium, animi ſenſus transformatos, adſtantium oculis, pietatiſque affectus cordibus inſtillarent.

Non defuit confeſtim Prouincialis nouo munere S. Petrū augere, cùm animarum lucrum ex eiuſdem prædicatione prævidens; hoc illi officium committere deliberaret: ſed an ſcientia litterarum ſacrarum ſufficiens eſset, aliquantùm addubitans; mirabili ſucceſsu, omnium animos de doctrinæ eius profunditate firmatos intellexit. Contigerat quippè die quadam in Religioſa conferentia de oratione præcipuè, vt Superior, poſt aliorum effata, S. Petrum vrgeret, etiam verba facere; à quò ſe humiliter excuſans, coactus tandem præcepto, oculoſque in Cœlum attollens, ita propoſitā materiam retractauit; vt omnibus ſtuporem incuteret tam dicendi facundia, quàm terminorum, myſticæ, ſcholaſticæ, cęterarumque ſcientiarum explanatione; qua cunctis etiā virtutis amor inflammabatur. Vndè inſigni hoc teſtimonio approbatus, Prouincialis, atque Diffinitorum declararione ad prædicandi munus admiſsus: ſolius ſacri Codicis familiari vſu, magis quàm multorum librorum ſtudio, verum euangelizandi modum cum plurimarum animarum conuerſione comprobauit.

Electio in Guardianum Sanctæ Mariæ Angelorum, & eius ſucceſſus. Cap. IX.

ELapſo anno, ex quo Sacerdos factus, electoque ſecunda vice in Prouincialē P. Angelo à Valladolid, Guardianus ab eodem deſtinatur Conuentus Sanctæ Mariæ Angelorum propè Robredillo. Huius electionis diſplicentiam temperabat obedientiæ ſubmiſſione, atque ſolitudinis (ad quam properabat) repræſentatione: erat enim locus, in profunda Valle altis & præruptis montibus obſeſsus. Ad quem cùm iam acceſſiſset, nouis motiuis in Creatoris laudē, atque amorem, diuinamq; contemplationem efferebatur.

Excitabant enim deuotam mentem vallis amænitas, herbarum odore fragrans, animalium etiam quorumdam familiarium ſuauiolentia, aquarum ex vicinis montibus decurrentium copia & fæcunditas, piſcium abundantiam vicinis pagis deferens; quercuum denique, fagorumque Conuentui imminentium gratiſſima vmbra ſimul (tanquàm igni) pabulum deuotionis S. Petro miniſtrabant. Delectabatur inſuper valdè paupertate Conuentus ſine Clauſtro, cum dormitorio ac cellulis anguſtis, & Eccleſia cum duobus dumtaxat altaribus conſtructi. Quæ tamen omnia deuotione ſacratiſſimæ Virginis ſuperabantur; cuius imago in ſupremo altari Populorum expoſita venerationi, memoriam reuocabat illius, quæ olim à S. Patriarcha Franciſco, & adhuc jugiter in Portiuncula adeò mirificè excolitur; tanquàm prima pietatis, Religioniſque ſuæ ſors fœliciſſima; Sed augebat etiam pietatem loci, quòd ab eodem S. Patriarcha deſignatus, aliquando illuſtrem ſanctitatis facem illic accendendam fore, prædictum erat; & non immeritò de S. Petro interpretari licebat, cuius perpetua ibi memoria adhuc celebratur.

At quia loci anguſtia ſpiritus feruores coarctabat, interdiù S. Petrus ad vicinam in Valle ſpeluncam ſe ſubducens ſuſpiriorum, diſciplinarumque libertati in abſcondito fræna laxabat. Interdùm hyeme rigidiſſima propinquum amnem nudus ingrediebatur, ſæpè aeri expoſitus cadentiũ niuium copiam diutiùs ſuſtinebat. In Conuentu cellam anguſtiſſimam incolebat, quæ campis oppoſita, cum Cœli aſpectu libero recreabat; dùm poſt horæ vnius quietem foribus, feneſtriſque apertis noctù ad contemplandum conſurgeret: Hinc genibus flexis longas orandi moras nectere, vſquequò earum faſtidio ipſi irritati maligni Spiritus, eum obiectu horribilium apparitionum deterrere; poſt ſaxis impetere, aliquando tentarent; idque tanto ſtrepitu vt Religioſi à ſomno excitati, Conuentus ruinam inſtare pertimeſcerent; donec illuceſcente iterum die, lapides & ſaxa in dormitorio, ac cella B. Patris coniecta cauſam manifeſtarent.

Huiuſ-

Huiuſmodi licet abſorptus contemplatione S. Petrus, officij tamen curam non negligebat, tàm neceſſitatibus ſubditorum ſollicitè prouidendo, quàm ad perfectionis ſtudium verbis etiam efficacibus exhortando. Exemplo autem omnium religioſarum actionum omnes ipſe præibat; ità vt hac innocentiſſima viuendi ratione, quà Conuentum eius Religioſi habitatores excolebant, rectè duplici titulo Reginæ Angelorum conſecratum iudicaſses.

Contigit aliquando Decembri menſe, prope Natalitia Saluatoris, omnes Conuentus aditus tanta niuium copia præcludi, vt ad quæſtuandum pro ſolito victu exitus negaretur. Vndè tranſacta feſti Vigilia ſine alia refectione quàm ſpirituali, qua Chriſti naſcentis exemplo ad fiduciam diuinæ prouidétiæ S.Petrus de Alcantara omnes animabat; cùm ad noctis celebrationem, & diuinas laudes omnes in Eccleſia conueniſsent, priuſquàm ad celebrandum ſolemne ſacrum S. Petrus procederet, auditum fuit ad portam ſignum dari; ad quod accurrens pro more Ianitor ratus aliquos caſu, aut ad noctis deuotionem ex propinquis montibus illuc ſe recepiſse; apertis foribus inuenit duas ſportas pane, obſonioque exquiſitiſſimo plenas. Quod ſtatim Guardiano nuncians, omnique diligentia fruſtrà adhibita, vt veſtigium alicuius, qui hæc attuliſset, inueniretur; compertum ſatis omnibus euaſit diuino hæc munere prouiſa, quæ in ſpiritu iam S.Petro innotuerant. Vndè ſummo animi iubilo Natalitia Saluatoris peragentes deuoti Religioſi, gratijſque ſummis diuinæ Prouidentiæ redditis: eandē poſteà, ex ipſius cibi ſapore, cæleſtem verè fuiſse comprobarunt. S. Petrus itaque deuoto ſermone confortatos ad fiduciam in Deum collocandam, tam inſigni beneficio confirmauit. Perplurima alia miranda Deus Serui ſui deuotis hic contulit beneficia; quæ dùm Virginis pietati ipſius humilitas tribueret, ſuis interceſſionibus impetrata, integram in varijs neceſſitatibus conceſsam gratiā reportabat. Ex quo Populorū ad eū frequenti concurſu Matris Dei cultus,& sāctitatis eius odor in remotiora loca mirificè diffundebatur.

De lucro animarum ab ipſo facto in Vrbibus, & Oppidis Eſtremadura, ac Plaſentia. Cap. X.

ABſoluto tandem in Conuentu Sanctæ Mariæ Angelorum Guardianatus officio, præceptum ſibi à Prouinciali fuit; vt pro animarum ſalute ad prædicandum per Eſtremaduræ Prouinciam diſcurreret, in qua nomen eius magna veneratione colebatur. Nec ſegnis ipſe in obediendo, ſacrum duntaxat Codicem ſecum deferens, multis Vrbibus, ac Oppidis iſtius Prouinciæ verbum Dei multiplici eum fructu annunciauit. Eo etiam vberiori, quo raro pœnitentiæ exemplo, obſtinata magis corda opere, & ſermone ſimul potens conuerteret. Materiam ſibi communiter ex Eccleſiaſtico, & Prophetis ſeligere; vt omnium conditionū homines de peccatis liberiùs increparet, & motiua aptiora maximè ad commouendum de Iudicio, Inferno, ac morte frequentiùs vſurpare; totius ferè prædicationis eius ſeries fuit. Et quàmuis vehementia dicendi eius oratio intumeſceret, verborum tamen ſuauitate culparum grauitas, ſimul ac pœna ita temperabantur; vt potius ad deteſtationem flecteret, quàm animos terrore nimio exaſperaret ad pertinaciam. Ad omnium verò compunctionem eliciendam præcipuè conferebat prædicantis aſpectus; qui vultus, & corporis macie auſteritatis, ac pœnitentiæ lineamenta clariora expreſſerat.

Tranſijt poſteà Plaſentiam, vbi ſingularis gratia diuina, quæ in eo operabatur, plurimorum conuerſione eluxit: præſertim nobilis cuiuſdam viri D. Franciſci Floriani, qui illùc ad habitandum ſeceſſerat poſtquam Caroli V. Aulam, & exercitum, ipſo Imperatore ſe abdicante, imperio reliquiſſet. Hic vtique iuuenis ſpiritu, & opibus elatus vanitatibus ſeculi adeò diffluebat; vt contra alios quoque, qui ex S. Petri de Alcantara ſermonibus ad meliorem frugem redierant, inſoleſceret. Vndè quadam die perſuaſionibus quorundam amicorum inductus, vim dicendi viri adhuc

igno-

ignorans, aut paruipendens ad eum audiendum faciliùs cum alijs acceſſit. Sed ad ipſius S. Petri quaſi ſpirantis, & ex ſuggeſtu intonantis conſpectum priùs animo turbari, mox verborum efficacia, qua amatorum ſeculi cæcitatem, ac ſupplicia exaggerabat, vehementiùs commoueri, ſudorem quaſi foris erumpentem, ac cordis compunctionem intus perſentiens, nulla præſentium verecundia prohibitus, in lachrymarum, ac ſingultuum torrentes totus reſoluitur. Atque hoc modo locum diuinæ gratiæ, ac perſuaſioni Prædicatoris cedens; eum è Templo vſque ad Conuentum ſuis quaſi veſtigijs inſecutus, ad pedes tandem prouoluitur, & ſupplex peccatorum medicinam flagrantiùs depoſcit. Quem S. Petrus mira quoque lenitate ſuſcipiens, & huius compunctionis perſeuerantiam commendans; conſtituta die, qua ad confitendum ſibi peccata rediret, cum neceſsarijs documentis pro eadem confeſſione benè diſpoſitum dimiſit. Franciſcus verò domum ſuam repetens, mutata adeò facie, occurrentem vxorem ſuſpicione quadam ſiniſtri alicuius caſus primùm perculſit; mox cauſam explicans, eandem quoque ad doloris, & pœnitentiæ conſortium, licet innocẽtem, commouit. Poſteà, præſcripta die ad deuotum Patrem reuerſus peccatorum integram confeſſionem peragit ſummo doloris indicio, varijſque monitis ſalutaribus pro nouæ vitæ ordine ſuſceptis; ſeculi pompis integrè renunciat. Itaquè impoſterum ſimplici, ac vili habitu & humili, vulgariq; vita contentus; quia feruore deuotionis virtus creſcebat, tali pœnitentiæ genere inualuit; vt vxori tandem occaſionem daret S.Petrum accedendi, rogandiq; vt mariti exceſsus temperare conaretur. At verò vbi ipſa ad S. Petri exhortationes conceptus ſui errorem, vanitatumque illecebras quaſi illuminata agnouiſset, illicò omni vano ornatu depoſito, mariti feruorem æmulata, ac cum ipſo magna bonorum parte pauperibus erogata; Religioſum Patrem pro ſuſcipiendo Tertij Ordinis habitu vterque conueniunt. Hic vtrumque blandè conſolari, reguliſque perfectionis imbutos Tertij Ordinis Societati adſcripſit, quam poſtmo-

dùm ipſi magnis pietatis operibus addicti, ſumma cum admiratione, & ædificatione vniuerſæ Ciuitatis religiosè profitebantur.

Reuerſus erat hoc tempore Plaſentiam frater quidam D. Franciſci ex Flandria, cui nauſeam mouebat videre, quòd ædes fratris omni ſuppellectili ſpoliatæ; vitæ quoque ratio tàm Domini, quàm familiæ moderatior, religioſi potiùs clauſtri, quàm palatij ſpeciem præ ſe ferrent. Quamobrem animo turbatus fremebat ſæpiùs, quaſi hoc inſtitutum maculam aliquam nobilitati ſuæ aſpergeret. Et licet fratris perſuaſionibus reduci non poſset ad ſaniorem opinionem; tamen eius induſtria, Deo animum tangente, reſipuit. Præuenerat videlicet S. Petrum Franciſcus,& de fratris errore inſtructum rogauerat, vt deuotis ſupplicationibus à Deo conuerſionem eius obtineret.

Hinc die quadam ſecum in Eccleſiam, ad audiendum ſermonem, fratrem conducit: qui, cùm ex ſuggeſtu S. Petrum conſpiceret, toto corpore contremiſcens, quaſi Iudicem ſententiam ſibi dicentem extimuit. Mox dicendi vi, ac verbi diuini efficacia conuictus; firmum emendationis propoſitum concludit; adeò vt deſcendentem de ſuggeſtu S. Petrum præueniens, eum de nouæ vitæ inſtituto conſuleret; ſupplexq; præteritorum errorum veniam cum lachrymis deprecaretur: Dein purgata per generalem confeſſionem conſcientia, totum ſe exercitijs ſpiritualibus, viuendiq; domeſticæ regulæ fratris coniunxit; ita vt tota hæc tam conſpicua Domus, tam illuſtribus virtutum exemplis, impoſterùm velut ſchola pietatis luceret.

Mulier quædam nobilis,quæ magnam reddituum ſuorum partem Comedijs, alijſq; vanis oblectamentis impendebat, cùm aliquando in aliarum fęminarum commercio, de ſupradictis conuerſionibus iudicium faciens,eas leuitati mentis adſcribere audiretur; adeò contrarijs rationibus prædictarum conuicta fuit, vt tribuere eaſdem prædicationi, ac ſanctimoniæ Petri de Alcantara, & eodem ſimul tempore maximo eum videndi, audiendique deſiderio accenderetur.

Ita-

Itaque Eccleſiam quadam die ſupra modum compta accedens, quamprimùm S. Petrum ad prædicandum procedentem in oculis habuit, ſtatim velut ſecreto quodam rubore confuſa peplum faciei obduxit, tanquàm ſi viri Dei extenuata figura ſuo luxui conuitium fecisſet. Dein ſumma attentione ſermoni eiuſdem adſiſtens, talem ex eo conuerſionis ſpiritum concepit; vt vita, moribuſque mutata, ſub Tertij Ordinis habitu, ſingularem, laudabilemq; vitam vſque ad mortem egiſse, obſeruata fuerit.

In eadem Ciuitate tres filiæ cuiuſdam nobilis de Chiaues, corporis forma, animique dotibus ornatiſſimæ, vanitate tantùm muliebri fœdari quodammodò videbantur. At, poſtquàm ſemel B. Patris concionem audierunt, tam efficaci vocatione omnem ornatus faſtum in cinericium pœnitentiæ habitum, atque religioſam viuendi regulam commutarunt; vt niſi eodem duce, ac Patre ſpirituali in paterna domo remanere pro aliorum exemplo perſuaſæ fuiſsent; ſimul Monaſterium ingredi omnes deliberaſsent: nec ideò minùs in perfectioris vitæ cultu ſub tanto Magiſtro profecerunt; quin admirabili omnium ædificatione, vitam quoque ſanctitatis fama clauſiſse conſtanter ferantur.

Alia res miranda S. Petri de Alcantara poſtquàm Plaſentiæ Guardianus factus. Cap. XI.

Erat hoc tempore Prouincialis Seruus Dei Fr. Michael Roco, qui S. Petro in Conuentu Manxarretes habitum primus dederat, atque ex illo principio eiuſdem virtutem probè perſpectam habebat. Deſtinauit itaque Guardianũ Conuentus Plaſentiæ, nulla ipſius licet validiſſima excuſatione admiſsa; ipſe verò tanta prudentia, zelo, atque vitæ exemplo exercuit, vt neque ſpem cuiuſpiam fefellerit, nec priùs à ſe geſtorum exiſtimationem minuerit. Sæpiùs illum Religioſi, alijque fide digni, vt deuotus Comes Torreſani, vel in horto, vel propè quoddam eremitorium orantem cōſpexerunt, cui pro more brachijs expanſis eleuato in aere

auiculæ inſidebant; hæ ſuauiſſimam melodiam concinendo, cùm ad ſenſus reuertebatur, auolare cernebantur: ſicut & alijs in locis pluriès contigiſse perhibetur. Non tamen prædicandi exercitium interim intermittebat; vt populo adeò ſibi affecto prodeſset. Indè in campos egreſsus orabat etiam ſub dio, niuium, aeriſque rigoribus expoſitus. Viſitabat quoque multorum ædes, vt ſpirituali conſolatione animarũ ſaluti ſuccurreret: & in hoc officio charitatis plebeos, pauperesſque nobilioribus, diuitibuſque præferebat.

Quidam deuotus Ciuis ſummè gaudebat in tranſitu B. Patris domum ſuam ab ipſo benedici, & in hac, inter cæteros filios, puellam habebat decem annorum, quæ genuflexa benedictionem ſuſcipere ſolebat deuotiùs, atque etiã pedes oſculari. Indè in ſpiritu B. P. agnoſcens magnam huius puellæ pietatem olim futuram, feriò eius curam Patri commendans, ſibi inſtruendi ſpiritualibus documentis magiſterium ſeruauit. Succeſſit autem iam adultæ, vt ægritudine decumbens morti propinqua haberetur; quod cùm abſenti Petro in ſpiritu innotuiſset, ad domum eius pergens agentem animam inuènit. Sed ipſe eleuatis in Cœlum oculis, ac ægrotæ manu impoſita, Parentibus adſtantibus dixit; nolite mortem filiæ lugere, quam Deus in vita ſeruabit, vt ſibi maiori feruore famuletur. Mox ægrota in eum reſpiciens, recepta ſanitate deuotiſſimas liberatori gratias egit; atquè dein ſuſcepto Tertij Ordinis Inſtituto ob perfectionem vitæ, narrationi huic argumentum ſubindè ſcribendi miniſtrabit.

Alius deuotus nomine Franciſcus à Corduba, negocijs plurimis addictus occurrens per Ciuitatem S. Petro de Alcantara, iuxta morem habitum eius deoſculaturus acceſſit. Huic ſeueriori vultu Sanctus Petrus dixit; Franciſce conſcientiam tuam expurga, & Sacramentis Eccleſiæ ſuſceptis te præpara; quia poſtridiè morieris: quo dicto præteriens promiſit ſe pro eo ad Deum preces oblaturum. Ille verò quanquàm integer viribus, dicto tamen Serui Dei fidé præſtans, quaſi hoc à Deo ipſi reuelatum fuiſset; ſtatim ſocios,

qui

qui ex tali caſu ſtupore perculſi hæſerunt, reliquit. Indè rebus ſuis temporalibus diſpoſitis, ſanctiſque Sacramentis cum magna compunctionis expreſſione receptis, mortem in dies operiebatur. Et quàmuis die ſequenti ſanus adhuc eſse videretur; tamen circa veſpertinam horam, nullo præcedente infirmitatis inditio, mortuus in terram cecidit. Ad quod ſpectaculum tota Ciuitas commota, S. Petri virtutem comprobare, diligere, pleriſque vocibus velut Sanctum acclamare incœpit: Hinc inferioris gradus homines eum ad ædes ſuas inuitare, vt gratiam aliquam à Deo obtinerent; nobiliores operam dare, vt aliquando palatijs ſuis benedictionem allaturus accederet: ideòque officijs certabant inter ſe, quis epulis illum lautioribus exciperet; à quibus tamen ille fugiebat, niſi manifeſta aliqua ſpes lucrandi animas adeſset.

Inter has illuſtres familias eminebat Marchio de Mirabel, qui familiaritate S. Petri tantùm profecit, vt ex homine vanitatibus ſeculi maximè addicto, in virum modeſtum, ac vitæ exemplaris mutatus fuerit; adeò vt non ſolùm hanc viuendi formam conſorti ſuæ illuſtri Dominæ perſuaſerit; ſed & in totam ſuam familiam induxerit, quaſi Conuentus alicuius religioſi diſciplinam intra magnifici palatij parietes æmulari prætenderet.

Crebrò S. Petrus à Comite Torreſonij ad epulas inuitatus, aliquando ſupplici ab eodem geſtu, & propter amorem Dei coactus, menſæ cum cæteris adſidebat. Sed (vt erat abſtinentia admirabili) lautiſſimos cibos nè guſtare quidem vario prætextu videbatur, vſque dùm importunis precibus cedens, iuſculumq; depoſcens, idem caliditatis obtentu, frigida infuſa, inſipidum prorſus reddidiſset; & ſic pane intincto cum cæteris conuiuium protrahebat. Alia vice ab eodem Comite tractus ad menſam, cùm pro eadem benedicenda oculos (quos ſemper clauſos habebat) aperuiſset; ex tot lautitiarum, fructuumq; præcipuè aſpectu in Creatoris admirationem raptus, vltra vnam horam in deuoto, compoſitoque corporis habitu, ſine ſenſuum motu hæſit.

Digitized by Google

ſit: Ad cuius conſpectum, conuiuæ, alijque plurimi ſtupefacti genibus flexis, lachrymiſquè profluentibus culparum ſuarum veniam à Deo deprecari didicerunt. Ipſe verò in ſe reuerſus menſæ benedixit, quantoque ociùs ex omnium manibus ad Conuentum ſuum euaſit.

De eius mirabilibus operationibus in Pace Iulia, ac locis vicinis. Cap. XII.

AGebatur celebrandi Capituli tempus Anni 1535. in Ciuitate Pacis Iuliæ, quo electus fuit Prouincialis V. P. Didacus de Chiaues, qui ad communes populi ſupplicationes S. Petrum tunc Capituli celebrationi præſentem, quò animarum ſaluti operã daret, in loco manere per obedientiam validè coegit: At quia adhuc ſex menſes in Guardianatu Plaſentiæ explendi eidem ſuperérant; eos in huius Conuentus curam rationabiliùs commutauit. Hinc inſtante Quadrageſima cœpit S. Petrus de Alcantara tanto animarum zelo, ac ſpiritus feruore, prædicationis efficacia, illarum gentium animos commouere; vt plurimi tam viri, quam fœminæ, relicto ſeculo, ad religioſa Inſtituta conuolarent; alij in ſeculo mores emendarent, ſuſcepto Tertij Ordinis habitu, aut Societati Cordigerorum adſcripti, quò operibus pijs iuxta conſilium præfati S. Petri vtiliùs vacarent. Erat inter alios viros nobilitate clariores D. Ioannes de Albarado, qui priùs grauiori quodam ſupercilio vitam ſororis, quam religioſiorem ſub magiſterio S. Petri agebat, deſpiciens; poſteà eandem imitando, ac totum ſe eidẽ Magiſtro addicendo adeò inſignis euaſit; vt meritò inter præcipuos Patris eiuſdem diſcipulos, ſcribendum eſſe, ea quæ alibi narranda occurrent, monſtrabunt.

Expleto igitur Guardianatus officio, ac depoſita commiſſa ſibi de fratribus cura in procuranda animarum ſalute vehementiori zelo exarſit; ideòque per totum Pacis Iuliæ Epiſcopatum diſcurrens Apoſtoli zelum prædicando ſine intermiſſione æmulabatur. Addebat quoque ſacræ pœnitentiæ

tentiæ adminiſtrationem, & huic (cùm tempus ſupererat) docendi doctrinæ Chriſtianæ charitatem. His verò exercitijs expleto die, in locum aliquem ſolitarium ſecedere; non quiete corpus, ſed animum contemplationis dulcedine explere: Dein poſt mediam noctem ſemel, atque iterùm in aurora ſeuerioribus flagellis, quaſi veternum excutere. Quò autem Pœnitentiæ ſtudium magis in Populorum animis excitaretur, atque Redemptionis noſtræ memoria fixiùs hæreret; ſollicitè curabat in locis publicis, ac eminentioribus maiores Cruces erigi; omnemq; in eo difficultatem ſuperabat, vt vel vnico exemplo magnæ Crucis, quam in vertice prærupti, altiſſimique montis de la Gatta nuncupati collocauit; probare libet. Exurgit altiſſimus hic mons inter præacuta ſaxa, anfractuſque ancipites, qui præcipitia minantur his, qui vel aſcendere etiam reptando moliuntur. Quod tamen feruori S. Petri factu non impoſſibile viſum; his, qui diſuadere intentum conabantur, reſponſum ab ipſo fuit: *Deo cura fore viam aperire, atque auxilium præſtare.* Hinc Cruce maioris molis compoſita, quò faciliùs ex diuerſis partibus proſpiceretur, prædicto die ad collocandam eam in montis ſummitate cum ingenti multitudine conuenit: Ex qua multi, ſibi hunc laborem depoſcentes, S. Petrũ dimouere non poterant; quin ipſe proprios humeros grauiſſimo huic oneri ſupponeret, omnibus admirantibus animi deuotam cupiditatem corporis extenuatas vires ſuperantem; ita vt non obſtantibus aut Crucis grauiſſimo pondere, aut aſperrimi montis offendiculis, quæ ſæpiſſimè etiã reptantem fatigabant, ac ſudorem & ſanguinem ſuccumbenti eliciebant, hoc quaſi maximum tormentorum (quibus ſe vnquàm obtulerat) ſuperare cum ſtupore viſus fuerit. Nam B. Pater fixa mentis acie in Redemptoris noſtri ad Caluarium Crucem baiulantis imaginem, adeò viribus inualuit; vt cui vix tres etiam robuſtiores ſuffeciſſent, hoc ipſe tanquàm Angelica ope ſuffultus ſolus præſtaret; collaudantibus deſuper vniuerſis diuinam virtutem, ac peccatorum ſuorum veniam deprecantibus. Peruenit tandem cũ

omnium ſtupore, ac commiſeratione ad montis cacumen; vbi nullo adiuuante ſolus Crucem illam, velut arundinem erigendo, atque in terram figendo ſtatim genuflexus adorauit. Hinc Deo ſingulares gratias agens, qui vires ſibi miro modo auxiſset, mox comitantibus iiſdem ad ima montis iterùm deſcendit; vt inde omnes Crucem denuò ſubmiſsè venerari doceret. Mos autem illi in hac actione talis erat, vt poſt locum deſignatum aptum Cruci collocandæ, eam die aliquo feſto, vel Dominico in Eccleſia produceret; habita quoque ante meridiem deuota prædicatione, ad excitandam Paſſionis memoriam: veſpertinis tandem horis cum Clero, & Populo hymnos, pſalmoſq; canente, Crucem ipſe baiulando ad deſtinatum locum procederet. Ibi exhortatione breui Redemptionis pretium extollens, offenſarum deteſtationem præſentibus eliciebat; cunctoſq; ad ſalutaris ligni venerationem, hymnum *Vexilla Regis prodeunt* præcinendo, deuotè inuitabat. Cuius quidem deuotionis, tantus vbique fructus excreuit, vt eo tempore multorum conuerſiones, atque impoſterùm imitationis exempla, in memoria omnium etiam exterorum iugiter perennauerint.

Seceſſus eius ad Conuentum S. Onofrij de Lapa, vbi Tractatum de oratione componit. Cap. XIII.

IAm ſecundo anno totum Epiſcopatum Pacis Iuliæ prædicando percurſabat, partemq; Caſtellæ multas Deo animas lucrifaciendo; cùm ingenti quietis deſiderio occupatus, eam à Superiore in aliquo Conuentu remoto expeteret, aſsenſit ille; & ad Sanctum Onofrium de Lapa ea conditione deſtinauit, vt eiuſdem Conuentus curam ſuſciperet. Adiacet autem Conuentus ille lateri montis cuiuſdam, prope Eremitorium Sancto Onofrio dicatum, in cuius rupe hiante ſpelunca vndiquè aquas diſtillans (Lapa dicta) Conuentui communicauit nomen. Adhærebant duo Eremitoria, Sancto Onofrio, ac Sancto Ioanni Euangeliſtæ ſacra; ad quæ S. Petrus, expletis officij curis, ſæpè pro mentis re-

colle-

collectione, atque altiſſima aliquot horarum contemplatione ſolitarius ſecederet: Sæpiùs illic in aera ſubleuari à Fratribus viſus, aſperrimè flagris ſe cedere non negligebat; idquè pro peccatorum conuerſione, ac aliorum perſeuerantia Deo offerre, qui ſuo magiſterio, ſalutis ſtudia multis perſuaſerat.

Sed ſensère breui Ciuitates,ac Oppida(vbi prædicationis magnam meſsem fecerat) S. Patris abſentiam, atque priuatos ſe ſuaui eius conuerſatione vehementer dolebant; ideòque proprias domos plurimi relinquere, atque ad eum pro varijs tàm animæ,quàm corporis conſolationibus requirendis accedere. Multi præſertim nobiles, qui eius doctrina, in ſpirituali via profecerant; pro elucidandis dubijs, ac ſtabiliendis virtutum profectibus diligentiùs eum frequentabant: Sic dum aliorum ſaluti conſulit, à propria quiete,ac ſolitudine auelli cogebatur.

Inter hos S. Petro de Alcantara ſingulari deuotione addictos, D. Rodericus à Chaues in viſendo ipſum frequentior erat; atque orandi regulas, quas aliàs ab ipſo dictatas audierat, in ſcriptis depoſcebat; vt pro multorum profectu publici Iuris facere, impenſis proprijs licentiam haberet. Idem quoque ab alijs deuotis,& Religioſis familiaribus petitum diù,ſicut erat humillimus ſui ipſius æſtimator S.Petrus; priùs excuſatum,dein poſt longas in oratione cum Deo cōſultationes, ingenti omnium bono egregiè conceſſit; nam compoſitum à ſe tractatum præfato D. Roderico. cum humili excuſatione tranſmittens, ipſi plenā beneuolentiæ epiſtolam ſcripſit; quam (quia authoris ſui ſanctitatem redolet) hìc integram apponere duximus non futurum ingratū.

Magnifico admodùm,& deuoto Domino Roderico à Chaues, Ciuitatis Roderici Ciui.

Plurimùm Magnifice, & deuote Domine.

NVn quàm ad ſcribendum iſtum breuem tractatum me induxiſsem, nec illum prælo dari conſenſiſsem; niſi

tu me multoties oraſſes, vt aliquid breuiter compendioſè & dilucidè,& ad omnium vtilitatem de oratione ſcriberem: Cùm enim paruo volumine contineatur,maximum pauperibus commodum afferet; quibus non fuerit ſatis ampla facultas libros magno pretio emendi. Cùmque videatur mihi non minoris futuram meriti in hoc tam piam, & ſanctam rem poſtulanti exhibitam obedientiam, quàm fructus ipſos (qui ex ea colligi poſſunt) Deo; cogitationem tàm ſanctam executioni mandare volui: pro certo habens quantùm ad me attinet, fieri non poſſe; quin tenuis iſte labor vtilis euadat, niſi fortè beneuolentia mea in te, & in Dominam Frãciſcam coniugem tuam (non minori tibi vinculo charitatis, & Ieſu Chriſti boni noſtri amore, quàm Matrimonij nexu coniunctam) aliquid mihi de merito iſto ſubtraxerit. Reuerà enim ſi de omnibus bonis à Fratribus noſtris perpetratis, nos Chriſtiani congaudemus, & eorum inuicem participes ſimus; quanquàm in meritum particulare facientis præcipuè cedant. Dicere ſanè potero, me veſtrarum orationum & bonorum operum,velut cum bonis filijs partem habere: Sic enim vos appellare iuuat; quoniam à vobis Pater exiſtimor, nec vnquàm defui meæ doctrinæ inopia, & induſtria qualicumque,ſanctarum veſtrarum intentionum, & ſublimiũ cogitationum diuitias adiuuare. Faxit Deus, vt pro cuiuſque voto quærentibus proſit, ad quod tantum effectum optarem; vt & vobis ex ipſo fructus ſpiritualis veſtri boni deſiderij, mihi autem meæ beneuolentiæ in vos redundet. Totum autem in honorem & gloriam vnici boni noſtri, à quo omne bonum noſtrum emanat originaliter.

Fr. Petrus de Alcantara.

Cœpit hic Tractatus omnium piorũ in Hiſpanijs percurrere manus, præcipuè Religioſorum, qui perfectioni ſtudebant, quò Nouitios inſtruerent; quod adeò neruoſè, perſpicuè, ac egregiè, regulis ſpiritus æquè mentem illuminet, atque affectus cordis inflammet; vnde in varias quoque

linguas tranſlatus, in Galliam, Germaniam,Poloniam,aliaſquè Regiones pertranſiuit. P. Ludouicus à Granata (tunc temporis vitæ ſpiritualis celebris Magiſter) huius Tractatus æſtimatione mirè illectus,ſe vnicè ſancti viri orationibus cõmendandi cauſa, literas eidem plenas obſequij perſcripſit. De eodem Sanctæ Thereſiæ teſtimonium cap. 30. eius vitæ hoc habetur: *Author eſt (S. Petrus) quorumdam Tractatuum de Oratione, qui magno nunc loco habentur; quia à probo experto pleni fructus, & perfectionis ſpiritualis compoſiti fuerunt.* Cuius ſanctæ atteſtationi quæcumque aliæ cedunt propter eminentem eiuſdem in hoc ſtudij genere doctrinā, atque experientiam ipſi B. Petro optimè perſpectam. Nec tamen ſuperfluum etiam videbitur Sancti illius Antiſtitis Franciſci de Sales teſtimonium indicare quo prima parte Epiſtolarum ſuarum ſpiritualium libro 3. Epiſt. 4. ad quandam mulierem deuotam ipſe prædictos Tractatus plurimùm commendat, eamq; ad eorumdem lectionē ſeriò cohortatur.

Defendit cauſam Prouinciæ Sancti Gabrielis, & in Patria ſua Alcantara mira operatur. Cap. XIV.

RESurgebat iterùm contra aliquot reformatiores Conuentus Prouinciæ Sancti Gabrielis antiqua æmulatio, qua Fratres Prouinciæ Sancti Iacobi eoſdē ſupprimere moliebantur. Itaque deſtinatur à Prouinciali in cauſæ defenſionem coram Epiſcopo Plaſentino tractandam S. Petrus; qui inſtructus Breui Clementis VII. Anno 1526. conceſſo, atque ſigillo Epiſcopi Caurieñſis munito; ſe Iudici Plaſentiæ ſiſtit, negocij expeditionē humiliter deprecaturus: Epiſcopus itaque publico Edicto ſuo Pontificis Breue includens, Fratribus Prouinciæ Sancti Iacobi ad comparendū pro cauſa triduum indicit. Ipſi verò perſpecta ſingulari S. Petri de Alcantara prudentia, ac celebri ſanctitatis fama, impares ſe futuros ſuſpicati, cauſam velut conclamatam deſeruerunt.

Aliquandiù poſt expetitus à Parentibus, alijſq; deuotis præſentiæ prædicationiſque ſuæ cupidis, in Patriam Alcantaram

tatam à Superioribus mittitur: Quò licet ægrè,niſi ex obedientiæ imperio pergens, fratriſque Domum declinans ad Conuentum Fratrum de Obſeruantia ſe recepit; ibique totus aſſuetis exercitijs intentus,publica tantùm prędicatione, aut ſpiritualibus conferentijs diſtrahebatur. Erat D. Petro Barrantes Maldonato Patrueli ſuo filius nomine Antonius annorum quindecim, qui mirè Viri Dei feruore accenſus imitandi ipſum deſiderio concepto, ocyùs ad ſuſcipiendum Religionis habitum in Prouinciam Sancti Gabrielis perrexit. Hic temporis progreſſu virtute proficiens, conſanguinei veſtigijs propè inſiſtens tam humilitatis, quàm rigidioris vitæ documentis (quæ nomine Antonij Peccatoris tegere volebat) tandem magna etiam ſanctitatis opinione è vita deceſſit; atque eius corpus poſt ſex annos integrũ, ſuauiſſimumque odorem ſpirans inuentum fuit. Alij quoque eiuſdem conſanguinei vel Religionem ingreſſi, vel in ſeculo viuendi regulas immutarunt; adeò vt prædicationis ſuæ efficacia totam illam patriam ad pietatis frugem perduceret; eò tamen magis quòd omnibus æqualem, nec ampliùs Parentibus familiarem ſe præberet. Excipiendis confeſſionibus, aliorumque conſultationibus applicatum, ſæpiùs ſine aliqua refectione nox depræhendit: Aliquando dùm publicè, ac priuatim iuuenum mores corriperet, duo nobiliores ſe ſacræ militiæ aſcribere velle relicto ſeculo affirmabant; quibus ille Deo in Matrimonij ſtatu ſeruire debere prædixit; Et licet ipſi tunc temporis religioſam vitam maximè vt ſecuriorem præoptaſſent; poſteà tamen iuxta Viri Dei effatum aliud fuiſſe diuinæ voluntatis beneplacitũ euentu probarunt.

Confirmauit quoque Deus ſerui ſui doctrinam nonnullis miraculis; inter quæ D.Ferdinandus à Ponte adhuc infans, filius D. Mariæ Ponze de Leon, laborabat puſtulis puerilibus eo anno periculoſis; ita quòd ipſum etiam ad vitæ extrema perduxerant: Accidit tunc S.Petrum cum ſocio illàc tranſire, vbi infirmus habitabat; vndè deuota Mater ad aliorum ſtrepitum, qui pro more ad videndum Dei ſeruum, vel

in plateas, vel ad feneſtras accurrebant; ipſa quoque excitata præ foribus eum ad benedicendū morienti filio flagrāter inuitabat: Ipſe verò dolori materno compatiens cubiculum egroti ingreſſus, eleuatiſque oculis, ac manibus in Cœlum ei benedictionem impertijt: Mirum factum, quòd illicò puſtulæ minui ac ſiccari, febris deficere cœpit; non deficientibus plurimis, qui virtutem Dei, ac ſanctitatem Serui eius ſummis præconijs publicam ſtatim facerent.

Habitabat Alcantaræ pia mulier nomine Agnetis Vaez, cui ſimilis ſpiritu ancilla ſeruiebat. Hæ ſæpiùs inuicem ſpiritus ſui fructus conferebant, timidæ nè ab animarum hoſte illuderentur; dùm ſingularibus à Deo fauoribus ſe viſitari indignas agnoſcerent: Sed colloquijs, ac doctrina S. Petri confirmatæ, quòd virtutem vtriuſque perſpiceret, atque magni faceret, in eadem ipſis maximum incrementum addidit. Quadam die, egrediente domo ſua S. Petro, deuotæ mulieres deſcendentem è Cœlo candidiſſimā Columbam cernebant caput eius circumuolitare, atque deinceps humero inſidere, roſtrum auri immittere quaſi ſecretum aliquod dictaturam; ac tandem ipſo viam mutante oculos intuentium fugere. Quod etiam, cùm ab alijs maximo cum ſtupore videri contigiſſet, Deum S. Petri conciuibus virtutē eius manifeſtare; ac deuotis mulieribus doctrinæ illis dictatæ cœleſte teſtimonium ſubſcribere voluiſſe, attentiùs obſeruatum meritò fuit. Tandem quamplurimis pietatis ſuæ editis prodigijs, prædicationiſque, ac conuerſationis ſanctæ collectis fructibus, ac conſolatus ſuæ præſentiæ dulcedine Parentibus, S. Petrus omnium cum dolore, & lachrymis Patriam relinquit. Conducebat ſocium (iuuenem quendam Religioſum) Fratrem Ioannem à Neyra, qui multorum mirabilium Serui Dei conſcius erat, atque poſteà in Prouincia Sancti Gabrielis inſigni virtute inclaruit: Vtrique contigit iter Zarzam verſus ingreſſis aerem obſcurari, atque tempeſtatem terribilem minari; ita vt ſocio timore præoccupato conſiliū fuerit S. Petro reditum Alcantaram ſuadendi, eò quòd non longè diſtarent, nec locus aliquis receptui occurreret. Qui-

bus

bus vix prolatis, denſa nubes validum imbrem effudit; & S. Petrus ad ſocium conuerſus, *Tranſeamus* (inquit) *fili; quia Deus nobis prouidebit*: Sicq; hoc longiſſimo itinere eos perſequente tempeſtate, nè aquæ quidèm gutta attigit; ſed Zarzam, vniuerſo Populo admirante, ſiccis veſtibus ingrediuntur.

Vocatus à Rege Portugalliæ, ibi varia operatur, ac indè regreditur. Cap. XV.

PEruolarat oras omnes S. Petri fama, tam virtutibus, quàm miris operationibus adcreſcens; adeò vt Portugalliæ Regem impelleret eidem Epiſtolam mittēdi, qua eius præſentiam poſtularet de quarumdam rerum piarum dubijs conſulendi obtentu. Nuncius qui S. Petrum adijt, nullo ab eo alio reſponſo accepto, ad Prouincialem mittitur; à quo illud accepit, vt ſecum S. Petrum de Alcantara conduceret. At verò ab ipſo obtinere non potuit, vt pro tam longo itinere, commoditate aliqua vti vellet; ſed nudis pedibus in Portugalliam pergens Vlyſſiponæ priùs Conuentum S. Franciſci, ac præſentiam Superiorum adiret. Non facilè eſt dictu quantum eius mora Religioſis huius loci conſolationis, incrementique ſpiritualis addiderit; dùm exemplo rigidioris Obſeruantiæ omnium animis perfectionis imitationem inſtillaret. Hinc ſe ad Aulam Regiam transferre, atque à Rege, eiuſque familia perbenignè habitus, varijs quæſtionū difficultatibus ſoluendis, eidem illuminati ſui intellectus, perfectæq; pietatis argumenta relinquere; publicante poſtmodùm Rege maiora ſe in Seruo Dei virtutis experimenta feciſſe, quàm fama vulgauerat: Vndè (quoties Regem vocatus accederet) Proceres, alijque Aulici genibus flexis benedictionem ab eo petere, ſummiſquè eum honoribus afficere; ipſe verò propter humilitatem animi cuncta moleſtè magis habere. Infans D. Maria ſæpiùs eius colloquijs in via ſpiritus erudita, tàm eius confeſſionibus, quàm libri diligenti lectione, tanto pietatis deſiderio aucta fuit; vt omni vani-

vanitate conculcata orationis, ac meditationis ſtudia vnicè amplecteretur; quibus omnibus peractis S. Petrus ad propria redijt.

Vix dùm in Conuentu ſuæ Prouinciæ ex itineris moleſtijs vires refecerat, cùm iterùm ad inſtantiam præfatæ Infantis, procurante Rege, à Prouinciali in Portugalliam remittitur. Vlyſſiponæ in Palatio Regio aliquot cubicula in modum Oratorij ipſi præparata erant; vndè deuotioni & Regis, & ſororis commodiùs è propinquo adeſſet, & nè recuſari poſſent à Prouinciali ipſius iam ante licentia impetrata. Itaque acquieſcente S. Petro his, quæ à Superioribus in hunc modum diſpoſita inuenit; ipſe viuendi in Monaſterio formam nunquàm dimiſit, in omnibus diuinæ ſe voluntati committens. Celebrabat quotidiè in præfato Oratorio magno cum accedentium fructu; dùm multi etiàm Procerum tùm deuotionis, tùm melioris vitæ lucrum indè colligerent. Diei maiorem partem altiſſimæ contemplationi impendit, noctis cōticinium ſecretis diſciplinis reſeruans. Viſitabatur intereà ſæpiùs à præfata Infante, quæ animæ ſuæ ſecreta ei aperiebat; tantùmque in diuino amore profecit, vt niſi S. Petro validis argumentis diſſuadente, ipſa tunc cunctis ſeculi pompis prorſùs vale dixiſſet, quò Deo in aliquo Monaſterio expeditior inſeruiret: Sed aſſecurante eodem magis Deo placituram, ſi clariori exemplo toti Regno prodeſſet, in Aula remanſit; votumquè virginitatis ſeruandæ, ac obedientiæ S. Petro de Alcantara, aut proprio Confeſſario præſtandæ promptiſſima emiſit: Pro paupertate ſeruanda, quàmuis poſſeſſis non renunciaret, ijſdem tamen adeò parcè vtebatur, vt in regali pompa atq; affluentia religioſæ modeſtiæ, ac parſimoniæ admirandum exemplar exprimeret. Ad S. Petri quoque monita Monaſterium Diſcalceatarum, ſeu Parthenonen illuſtrium Virginū Vlyſſiponæ dedicauit; cuius principia ſtrictioris Regulæ S. Claræ profeſſione à multis illuſtribus Fœminis exornata, poſteà ad noſtra vſque tempora virtutis, ſanctimoniæque celebri fama inter præcipua Franciſcanæ familiæ decora perſeuerant. Noſocomium quoque

E inſi-

bus vix prolatis, denſa nubes validum imbrem effudit; & S. Petrus ad ſocium conuerſus, *Tranſeamus* (inquit) *fili; quia Deus nobis prouidebit*: Sicq; hoc longiſſimo itinere eos perſequente tempeſtate, nè aquæ quidèm gutta attigit; ſed Zarzam, vniuerſo Populo admirante, ſiccis veſtibus ingrediuntur.

Vocatus à Rege Portugalliæ, ibi varia operatur, at indè regreditur. Cap. XV.

PEruolarat oras omnes S. Petri fama, tam virtutibus, quàm miris operationibus adcreſcens; adeò vt Portugalliæ Regem impelleret eidem Epiſtolam mittẽdi, qua eius præſentiam poſtularet de quarumdam rerum piarum dubijs conſulendi obtentu. Nuncius qui S. Petrum adijt, nullo ab eo alio reſponſo accepto, ad Prouincialem mittitur; à quo illud accepit, vt ſecum S.Petrum de Alcantara conduceret. At verò ab ipſo obtinere non potuit, vt pro tam longo itinere, commoditate aliqua vti vellet; ſed nudis pedibus in Portugalliam pergens Vlyſſiponæ priùs Conuentum S.Franciſci, ac præſentiam Superiorum adiret. Non facilè eſt dictu quantum eius mora Religioſis huius loci conſolationis, incrementique ſpiritualis addiderit; dùm exemplo rigidioris Obſeruantiæ omnium animis perfectionis imitationem inſtillaret. Hinc ſe ad Aulam Regiam transferre, atque à Rege, eiuſque familia perbenignè habitus, varijs quæſtionũ difficultatibus ſoluendis, eidem illuminati ſui intellectus, perfectæq; pietatis argumenta relinquere; publicante poſtmodùm Rege maiora ſe in Seruo Dei virtutis experimenta feciſſe, quàm fama vulgauerat: Vndè (quoties Regem vocatus accederet) Proceres, alijque Aulici genibus flexis benedictionem ab eo petere, ſummiſquè eum honoribus afficere; ipſe verò propter humilitatem animi cuncta moleſtè magis habere. Infans D. Maria ſæpiùs eius colloquijs in via ſpiritus erudita, tàm eius confeſſionibus, quàm libri diligenti lectione, tanto pietatis deſiderio aucta fuit; vt omni vani-

vanitate conculcata orationis, ac meditationis ſtudia vnicè amplecteretur; quibus omnibus peractis S. Petrus ad propria redijt.

Vix dùm in Conuentu ſuæ Prouinciæ ex itineris moleſtijs vires refecerat, cùm iterùm ad inſtantiam præfatæ Infantis, procurante Rege, à Prouinciali in Portugalliam remittitur. Vlyſſiponæ in Palatio Regio aliquot cubicula in modum Oratorij ipſi præparata erant; vndè deuotioni & Regis, & ſororis commodiùs è propinquo adeſſet, & nè recuſari poſſent à Prouinciali ipſius iam ante licentia impetrata. Itaque acquieſcente S. Petro his, quæ à Superioribus in hunc modum diſpoſita inuenit; ipſe viuendi in Monaſterio formam nunquàm dimiſit, in omnibus diuinæ ſe voluntati committens. Celebrabat quotidiè in præfato Oratorio magno cum accedentium fructu; dùm multi etiàm Procerum tùm deuotionis, tùm melioris vitæ lucrum indè colligerent. Diei maiorem partem altiſſimæ contemplationi impendit, noctis cōticinium ſecretis diſciplinis reſeruans. Viſitabatur intereà ſæpiùs à præfata Infante, quæ animæ ſuæ ſecreta ei aperiebat; tantùmquè in diuino amore profecit, vt niſi S. Petro validis argumentis diſſuadente, ipſa tunc cunctis ſeculi pompis prorsùs vale dixiſſet, quò Deo in aliquo Monaſterio expeditior inſeruiret: Sed aſſecurante eodem magis Deo placituram; ſi clariori exemplo toti Regno prodeſſet, in Aula remanſit; votumquè virginitatis ſeruandæ, ac obedientiæ S. Petro de Alcantara, aut proprio Confeſſario præſtandæ promptiſſimæ emiſit: Pro paupertate ſeruanda, quàmuìs poſſeſſis non renunciaret; ijſdem tamen adeò parcè vtebatur, vt in regali pompa atq; affluentia religioſæ modeſtiæ, ac parſimoniæ admirandum exemplar exprimeret. Ad S. Petri quoque monita Monaſterium Diſcalceatarum, ſeu Parthenonen illuſtrium Virginū Vlyſſiponæ dedicauit; cuius principia ſtrictioris Regulæ S. Claræ profeſſione à multis illuſtribus Fœminis exornata, poſteà ad noſtra vſque tempora virtutis, ſanctimoniæque celebri fama inter præcipua Franciſcanæ familiæ decora perſeuerant. Noſocomium quoque

inſigne, titulo miſericordiæ, prope imaginem B. V. de luce vna leuca Vlyſſiponà diſtantem conſtruxit: Vndè his, alijſque plurimis pijs operibus munificentiſſima, natalium ſplendorem Regium pietatis Chriſtianæ gloria longè ſuperabat. Non diſpar S. Petro cum alijs Regni Magnatibus tàm viris, quàm fœminis negocium fuit; inter quos eminebant præcipuè Brigantinus, & Auerenſis Duces Virum ſumma reuerentia ac obſequio proſequentes, cùm cæteri prædicationis eius efficacia conuicti, aut Religionis ingreſſu, aut morum correctione viuendi inſtituta immutarent.

Exortæ interim erant Alcantaræ irrecōciliabiles Ciuium diſcordiæ, quibus præcipuæ familiæ in partes tractæ in ruinam, atque excidium ruebant; fruſtrà illarum reconciliationem intentantibus tàm loci Gubernatore, quàm alijs auctoritate præſtantibus. Id verò S. Petro vt primùm renunciatum, eum ex Portugallia quamcitiùs reuocauit; vbi dùm omni induſtria, ac pietate adhibita partium efferatos animos emolliens, atque earumdem conſenſu arbiter cauſæ conſtitutus, mirabili fœlicitate, cunctis congratulantibus, pacem Patriæ, concordiam Ciuibus reſtituit; hiſque fœliciter compoſitis, ad ſuum Conuentum redire feſtinauit.

Declinarat iam dies, cùm tranſeunti Zarzam vaſta planicies conficienda reſtabat; cuius ſolitudinem pertimeſcens ſocius imminentis noctis horrore, atque cibi, hoſpitijque defectu angebatur. Quos animi motus cognoſcens S. Petrus, in aperto campo ſubſiſtere, ſocium blandioribus verbis confortare, & vt iactaret in Deum curam exhortari; deniquè flexis poplitibus humilem, ac breuem orationem in Cœlum mittere. Ex quò euenit, vt anxius ſocius propè locum à S. Petro indicatum, aquæ dulciſſimæ fontem, panemque candidiſſimum cum piſce elixo diuinitùs prouiſum inueniret. Cuius miraculi nuncium feſtino curſu ad S. Petrum ſtatim referens, vterque ad fontem accedens; refecto corpore ille ſomni quiete, hic diuina contemplatione noctem fauſtiſſimā tranſegerunt.

Electio

Electio in Prouincialem, eiuſquè gubernium. Cap. XVI.

INſtante iam Capitulo Anni 1538. conuenere Fratres in Conuentu Matris Dei Alburquerquij; vbi S. Petrum de Alcantara vnitis votis, in Prouincialem elegerunt. Ille diù ſupplex precibus ſtrenuè obnitens, ceſſit tandem omnium acclamationi; quæ eum tanquàm nouum Alcidem Religionis fulcimento depoſcebat. Mox paſtorali vigilantiæ addictus, viſitandæ Prouinciæ eum viuendi rigorem adiunxit; quem hactenùs aut priuatus, aut Superior ſtrictiſſimè obſeruauerat. Oppida, aut loca habitata accedens, priùs Eccleſiam viſitabat; mox receptaculum, aut tugurium aliquod petebat ignotum, quò hominum frequentiam,& applauſum effugeret. In proprijs Conuentibus ſolita abſtinentia contentus, Officij tantùm munia, quæ pacem ac diſciplinã ſubditorum promouerent, curabat; cætera pietatis ſolitæ ſtudijs impendens. Sicque bis eadem Prouincia viſitata, poſteà ſe in opportunum quemdam Conuentum abdidit; vndè omnium neceſſitatibus promptiùs prouideret, atquè exemplo & exhortationibus ſanctiorem ſeruandæ Regulæ formam & reduceret, & ſtabiliret.

Charitatis viſcera erga omnes ſubditos aperiebat, ſuccurrendo modò religioſis fraternitatis officijs, modò verborum ſuauitate triſtitias multorum ſubleuando. Infirmis præcipuè totum ſe dabat; dùm dolorum quaſi partem ſibi ſumens fouendo, adiuuando, blandimentis atque exhortationibus conſolando,omnibus ſe Medicum præbere videbatur, & medicinam. Quadam die ægroto cuidam Religioſo ciborũ nauſea, febriſq; ardore vires diuturnitate minuerat: cùm eius ſorti commiſerans B. Pater propter amorem Dei petenti acetarium, proprijs manibus ex horto herbas collectas, atque conditas citiùs apponeret; has velut noxias improbantibus alijs, ipſe in eius nomine (quo petitas attulerat) minimè nocituras certò affirmauit. Itaque quò animum comedenti adderet, ipſe quoque deguſtabat; donec

conſumpto ferculo, ſtupentibus omnibus ſocijs, febrem reliquiſſe ægrotum, eumque ſanum è lecto ſurgere vidiſſent. Vndè ipſe Deo gratias ſummas reddere, quòd Charitatis ſuæ ſtudium tàm inſigni euentu comprobaſſet; quem tamen ille (Humilitatis amans) apud alios patientiæ ægroti adſcribere ſatagebat.

Inter Ciuitates præſentia, atque operationibus Serui Dei pluriès illuſtratas, vna Plaſentia erat: Hæc tunc temporis diſſentionibus quibuſdam agitata multùm de aduentu eius ſibi congratulabatur, futurum remedium præſentis mali ex præteritis B. Patris apud ſe geſtis præaugurando; eò maximè quod quorumcumque aliorum hactenùs incaſſum diligentia abierat: Hinc accingens ſe ad partium animos deliniendos, tantùm lenitate, atque authoritate obtinuit; vt vnuſquiſque rationum ſuarum arbitrium S. Petro de Alcantara committeret faciliùs.

Erat in eadem Vrbe Religioſus prudentia atque doctrinæ percelebris, cuius componendi huius diſſidij hactenùs omnis labor in vanum ceſſerat: Vndè non facilè ſibi perſuadés S. Petri de Alcantara authoritatem idem (vt narrabatur) obtenturam, quadam die in Eccleſia cùm nobili Ciue deſuper ſermones miſcens eum aduenientem conſpexit, commotuſque maximo deſiderio virtutis eius experiendæ opportunò acceſſit: Cùmque vix colloquium cœpiſſet, ſenſit ſibi tremulo frigidum quẽdam ſudorem erumpere, atquè membra obrigeſcere; adeò vt tanquàm alicuius noxæ conſcius ſe ad genua eius inflecteret deprecaturus, quòd nõ pro merito virtutis eundem debita exiſtimatione fuiſſet proſecutus: At humilis Dei Seruus eidem proſtrato occurrit, opinionis vanitatem excuſando, ſe eius orationibus commendabat. Conductoque in remotum cubiculum plurima ſpiritualis vitæ documenta vtiliter perſuaſit tanta efficacia; vt dictus Religioſus habita Superiorum licentia ſecum generalem peccatorum expiationem fecerit, atque impoſterùm perfectionis religioſæ ſtudio inſignis euaſerit.

Incipit Reformationem Prouinciæ S. Gabrielis, & fundat aliquos Conuentus. Cap. XVII.

AEſtuabat S. Petrus à multis annis deſiderio corrigendi aliquos defectus, qui in Prouinciam hanc Sancti Gabrielis aliàs religioſam, contra perfectionis integritatem irrepſerant; idque iàm Prælati authoritate, qua vigebat, faciliùs ſe conſecuturum iudicabat; ni aliqua impedimenta, quæ tempori concedenda videbantur, conſilium diſtuliſſent: Intereà tamen optimas quaſdam Regulas, quas communi omnium conſenſu approbandas aliquãdo nouerat, prudenti cautela componit; quas tandem opportuna occaſione Congregationis cuiuſdam capitularis celebratæ in Conuentu Sancti Michaelis Ciuitatis Placentiæ: quæ Dominica tertia poſt Paſcha Anni 1540. celebrari præcepit. Patrum congreſſui; ac deliberationi explicauit. Hi verò vix perlectis, auditiſque Conſtitutionum articulis, omnium nomine obſtare vehementiùs impoſſibilitatis, atq; inconuenientiæ arguendo; quò à propoſito dimouere, aut feruori zelantis Patris frigidam affundere poſſent. At poſtquàm ille deuoto, grauique orationis pondere omnium animos fortiùs preſſiſſet, inductis ex ſacris Literis, votique obligatione argumentis grauiſſimis; conticuere omnes, atque in Conſtitutionum approbationem manibus, pedibuſque promptiores iuère, qui priùs animi obſtinatioris videbantur: Vndè magnum tunc S. Petro gaudium acceſſit, ſtatimque per omnes Conuentus cum paternali exhortatione, decreta publicari iubet, vt vſu inualeſcerent.

Habitabat Plaſentiæ nobilis Canonicus D. Andreas de Catena ſingulariter S. Petro deuotus, cuius Conſanguineũ quemdam exemplum B. Patris, à mundi illecebris ad Religionis aſperitates ſummo cum feruore pertraxerat; ita vt ipſe Canonicus quoque, Deo ſeruire connitens, bona ſua pro Conuentu extruendo eroganda S. Petro exhiberet: Hac autem oblatione à Patribus congregatis accepta, locus in valle quadam ſolitaria iuxta ſtrictioris paupertatis formam con-

conſtruendus deſtinatur. Cuius fabricæ S. Petrus de Alcantara ipſe adſiſtere, atquè pietati benefactoris paria reddere adlaborans; Eccleſiæ, Conuentuique titulum Sanctæ Crucis inſcripſit, vt gratitudinis etiam vice memoriam tituli Cardinalis Carauajal Romæ degentis reuocaret, quem Canonicus ille conſanguinitate attingebat. Paulò poſt alterius ædificationi accingitur in Oppido Villæ Viridis Diœceſis Pacis Iuliæ, à quorum locorum ciuibus (dùm olim apud ipſos prædicaret) ad hoc opus inuitatus ſingulariter fuerat: Iuuit illud inter alios ſtrenuè inſignis Epiſcopus Ceptenſis D. Franciſcus Henriquez, tùm eleemoſinarum largitione, tùm miraculoſæ cuiuſdam imaginis B. Virginis (quæ in Ciuitate Oliuentiæ veneratione ſingulari colebatur) donatione. Admiſit quoque tertij fundationem in Villa noua del Freſno præter alios Conuentus, quibus breui ſuam Prouinciam notabiliter auxit.

Hinc appropinquante Capitulo Generali Anni 1541. Mantuæ indicto, B. Pater ordinata Prouincia, cum Cuſtode Didaco à Chaues iter Barchinonem nudis pedibus inter hybernos rigores ſuſcipit; ibique aliquandiù tranſeundi in Italiam opportunitatem operitur. Placuit diuinæ Prouidẽtiæ nè tunc in Italiam tranſiret, eum correptum febri remorari; quæ ex itineris incommodis, ac pœnitentiæ rigore continuo cauſam ſumpſiſſe cẽſebatur: Vndè oblata traijciendi occaſione, neque remittente febri, ipſe voluntati Dei cedere; atque per ſubſtitutum ſibi Religioſum P. Aluarum à Tauira, futuro Generali pro Commiſſario viſitandæ Prouinciæ neceſſario, prouidè ſupplicare. Dein reliquis abeuntibus ille adhuc aliquo tempore decumbere, miraque patientia ægritudinis moleſtias perferre; quòvſque aliqua conualeſcentiæ ſpe recepta, non integris ſatis viribus viam eandem, quà venerat, eodemque modo in Prouinciam repeteret; ita quòd quiſquam alius mortis pericula adijſſet, ni Deus ſingulari auxilio Seruo ſuo opẽ tuliſſe noſceretur.

24 Contigit in eodem itinere eum cum ſocio Ioãne de Neira ad locum quendam deſertum noctù diuertere, in quo quicquam habere non poterant ad reſtaurandas vires præter

ter orationis ſolatium, cui maiorem noctis partem inſumpſerunt; ſequenti die viam iterùm ingreſſi, S.Petrus (quàmuis conualeſcens) animo alacer incedebat, ſocius inedia deficere, atque aliquantulùm tardior, & mœſtus ſubſequi. Hinc confecta quaſi maiori diei parte, nec aliquo loco obuio in aperto B. Pater ſocij miſertus ad orationis remediũ confugit, Deum deprecans; vt egentibus ſibi gratioſè ſubueniret: Vix finierat, cùm repente pulcherrimi paſtoris ſpecie Angelum ſe alloquentem conſpexit, qui (nè animum demitteret) hortabatur, porrigendo etiam panem & vinum, quantùm vtriſque ſufficeret. Ille verò ſui ipſius oblitus, hęc ipſa ſocio tradens, in partem cum nuncio ad familiare colloquium ſeceſſit; indè accedente ſocio, atque recedente Angelo, diuinæ Prouidentiæ miraculum hymno cœleſti à progredientibus celebratum fuit. Simile quid alia vice B. Patri euenit, cùm Nouitios quoſdam ad Conuentum Montis Cœli per arduam viam itinere vnius diei, ſine vlla refectione conduceret: Hi, quia delicatè in paternis laribus educati penuriæ religioſæ inſueti, malè famem pati didicerant; animo, & viribus afflicti B. Patrem anxiũ reddiderunt, quomodò præſenti neceſſitati ſubueniri poſſet, cuncta vndique humana ope deficiente. Ille itaque breui quidem, ſed feruenti oratione ad Patrem pauperum conuerſus, mox vt poſt vepreta quædam, loco proximas, diuinam liberalitatem requirerent; indicauit: Accurrebant citiùs iuuenes ad deſignatum locum, atque iuxta dictum S. Patris paratam ſuæ neceſſitati inuenere menſam. Quamobrèm ſtupore ſuſpenſi diuinam Prouidentiam, ac Serui ſui virtutem collaudantes, in vocationis ſuæ propoſito, & paupertatis altiſſimæ amore perfectiùs fuerunt confirmati.

Abſoluto Prouincialatus officio in Portugalliam vocatur, vt fundanda Prouinciæ Arabidæ adſiſtat. Cap. XVIII.

INgruente iam fine ſui Prouincialatus cum maiori ſollicitudine S. Petrus de Alcantara incœpto Reformationis ſtudio

ſtudio inſtabat, conſtituendo Guardianos, Magiſtros Nouitiorum, alioſque Miniſtros in Conuentibus; quo zelo paupertatis altiſſimæ, atque diſciplinæ rigidióri obſeruantia inuigilarent. Intereà redeuntes à Capitulo Generali Patres iuſſa noui Generalis P. Ioannis Calui attulerunt pro P. Ludouico Carauaſal, vt Prouinciam Sancti Gabrielis viſitaret: Quo nuncio propter inſignem Viri virtutem S. Petrus exultans, eidem literas Generalis tranſmittere feſtinàuit; & vt citiùs ad iniunctum munus accederet, inuitauit. Ipſe verò ad Conuentum S.Mariæ in Villa noua del Freſno ſecedens, expenſas Capituli exhibente loci Marchione, ibidem omnibus præparatis opportuno tempore, Religioſum P.Bernardum à Sancto Ioanne in Prouincialem eligi curauit, eique adiuncto P. Ioanne à Tappia, zelantis ſpiritus Religioſo, Obſeruantiæ augmentum ardentiſſimè commendauit.

His integerrimè abſolutis iterùm Vir Sanctus, tanquàm tyrocinia Religionis repetiturus, cunctis ſe humilitatis officijs dedicare; maximè verò omnem conuerſationē cautiùs fugere operam dabat. Vndè prædictus Marchio, qui eius familiaritati hactenùs aſſueuerat, tunc parciùs vti poſſe dolens partem ſibi conſolationis quandā ſumpſit; ex eo quòd frequentiùs intereſſet cum cæteris Religioſis quotidianis Communitatis actibus, quibus S. Petri de Alcantara quoque præſentia fruebatur: Neque diù hanc ſolitudinis quietem Deus Seruo ſuo Petro permiſit; dùm plurimorum frequentatione auocatus, Superiorum iudicio ad Conuentum Plaſentiæ mitteretur, vbi ſaluti multorum conſulere liberiùs poſſet. Ibi poſtmodùm aliquot annis commoratus, multos ad Religionis profeſſionem, plures ad melioris vitæ frugem conuertit: Idem in Ciuitate Caurij præſtitit, ad quam à Prouinciali miſſus, Epiſcopo Viro illuſtri, ac deuoto D. Didaco Enriquez de Almanſa, ſingularem & animæ conſolationem, & pietatis incrementum attulit eiuſmodi, quale ex infradicendis diſtinctiùs patebit.

Excolebat hoc tempore deſertū montis Arabidæ in Portugallia Vir deuotus Fr.Martinus à Sancta Maria tàm natalium,

lium, quàm virtutum ſplendore conſpicuus, qui ex licentia Superiorum deſerta petens, locum præfatum à D. Ioanne de Alincaſtro Duce Aucrienſi, Nepote Portugalliæ Regis, ſanguine ſibi coniuncto obtinuit; eiuſdemque fauore à Generali Ordinis licentiam impetrauit, vt cum ſocio ſuæ Religionis ibi vitam eremiticam viuere poſſet: Huic deinceps ſocio alij ſuccedentes, tandem præfatum Ducem induxerunt; vt ſcribendo Prouinciali S. Gabrielis S. Petrum de Alcantara ſibi aliàs inſigniter notum, ad hanc Societatem inſtanter ſollicitaret: Cui quamprimùm Ducis deſiderium innotuit (cum facultate Prouincialis ſibi negocij arbitrium remittentis)ipſe conſilium ſtatim cum Deo inire cœpit; dein cum Viro pietatis eximiæ, vtique ac prudentiæ P. Ioanne ab Aquila ex Indiarum miſſione nuper reduce, vterque occaſionem iſtam promouendæ Diſciplinæ regularis approbantes, Anno 1542. iter in Portugalliam coniunctis animis libentiùs ſuſceperunt.

Peruenere ad horridam ſpeluncam, vbi Martinus degebat; atque ab eo humaniſſimè excepti, paulò poſt à Ducis quoque præſentia gratulationis officia receperunt. S.Petrus itaque ſolitudinis iſtius captus amœnitate, quæ aſperitate montis, atque libertate proſpectus in propinquum mare cõtemplandi ſtudium mirè exſtimulabat; dies,ac noctes in meditandi, ac orandi exercitijs traducere, & ſi vnquàm anteà, tunc maximè in pœnitentiæ feruore exardeſcere. Ex quo Fr. Martinus ſæpiùs Viri auſteritatem admiratus, ipſi Duci gratias referre non negligebat; quòd fouendo vitæ perfectioris deſiderio tale ſibi exemplar, ſimul & Magiſtrũ procuraſſet. Vnum tamen adhuc ſolitudini huic infeſtum videbatur, quòd Ducis familiares ſubueniendis neceſſitatibus Religioſorum aſſidui, & frequenti acceſſu illos turbare videbantur: Vndè illi quoque impedimento à Deo prouiſum fuit; cùm pius quidam iuuenis, nomine Petrus Lagarto, locum accedens viſitandæ imaginis Beatiſſimæ Virginis (quæ ibi colitur) cauſa, B. Petri colloquijs perſuaſus ſeculo ſe abdicans, ac ſaccum aſperrimum induens, totum ſe ſeruitio

Religioſorum offerret. Qua occaſione ipſe ad Ducis Palatium pro petenda, atque aſportanda eleemoſina neceſſaria commeando; Fratres frequenti incurſu, familiares Ducis itineris moleſtia faciliùs liberauit. Tantæ inſuper humilitatis, atque aliarum virtutum diſciplina iuuenis ille impoſterùm profecit; vt poſt aliquod tempus Religioſorum Societati adſcriptus, inter celebres iſtius Cuſtodiæ Viros non poſtremus haberi mereretur.

Creſcit hac Congregatio, & S. Petrus de Alcantara Guardianus, & Magiſter Nouitiorum deſtinatur in Conuentu Paliaens. Cap. XIX.

IAm fama adeò rigoroſæ vitæ multos ad eundem locum, etiam ex Prouincia S. Gabrielis exciuerat; inter quos Pater Michael à Catena, & Petrus de Alconcher auſteritatem, ac pœnitentiam S. Petri mirè emulabantur: Pluresq; illùc ex hac Prouincia confluxiſſent, ni prudentia Prouincialis cautiùs obſtitiſſet. Intereà Dncis pietas de Religioſorum commodis anxia, cellas quaſdam anguſtas inter ſaxa, & rupes ex præſcripto S. Petri conſtrui curauerat; quarum omnium, vt ſitus aliquot paſſuum inter ſe diſtantiam habebat, ita materia rudibus ſaxis, ac duobus aſſeribus pro tecto cõſtabat; illa verò, quam S. Petrus incolebat, cæteris anguſtior, vt vix extenſum caperet; adhuc à deuotis magna veneratione obſeruatur.

Forma viuendi huius Congregationis admiranda, dum pro lecto ſarmenta, aut nudæ tabulæ eſſent; nudis pedibus incedere; neque carne, neque vino vti: Sed nec piſces etiam (niſi feſtiuis diebus) quos deuotus Dux ſubmittebat, attingere; colloquijs ſpiritualibus animas contra tentationes inſtruere aſſueſcerent. Dein ad mediam noctem prior S. Petrus ſocium excitabat, cæteriſque ad diuinas Laudes congregatis, omnes ſimul diuinum Officium perſoluebant; atque poſt in oratione vſque àd horam Primæ perſeuerabant: Tunc aliquis eorum, cæteris aſſiſtentibus, Sacrum faciebat;

quo

quo perfecto ad ſuas cellas redibant, vbi variis exercitiis intenti Tertiam expectabant. Hac hora iterùm S. Petrus cunctos connocare, vt Officio & Sacro ſolemni intereſſent; eoque peracto vel meditationi, vel honeſto laboritio id tēporis ſpacium impenderent, quod inter Veſperas & Completorium vacuum relinquebatur. Sicque nullum diei momentum totius anni decurſu inter æſtus, vel frigoris rigores, his pietatis ſtudijs excolere prætermittebant.

Venit circa hoc tempus in Portugalliam Ordinis Generalis P. Ioannes Caluo, qui notitia, qua S. Petri virtutem perceperat, & precibus quoque Ducis Aueriensis ſollicitatus; locum Arabidæ (quem Sancti illi Religioſi excolebāt) præſens inuiſere voluit: Vbi cùm cuncta diligenter perluſtrando ſingulari admiratione approbaſſet, S. Petri humilitatem profundam commendans; Fr. Martino authoritatem admittendi alios ad hanc Societatem indulſit. Primus autem (qui reciperetur) Socius ipſius Generalis fuit, qui mirè huius vitæ deſiderio, atque verborum S. Petri ſuauitate illectus; permittente Generali in eadem ſolitudine cæterorum Inſtitutum ſuſcepit: At quia plurimi in dies ad hunc locum confluebant, prudentiæ P. Martini prouidendū erat; nè multitudine ſuſcipientium habitum Eremi ſolitudo, ac quies ſolueretur. Itaque à Marchione Niſenſi ſponte offerente Eremitorium B. V. de Conſolatione prope locum Paliaens,obtinuit; vt ibi conſtructo paruo Conuentu,Nouitiorum educatio fundaretur; & vt eiuſdem initijs S. Petrus & Guardianus, & Magiſter præficeretur.

Acceſſit igitur Vir humilis, ac obediens S. Petrus ad locum, quem Marchio ſumptibus magnificis extruere; ille paupertatis ſtrictiſſimæ formam excedere non volebat, continuò fabricæ ſumma ſollicitudine aſſiſtens; ſibi itaque cellulam Choro vicinam parare curauit, in qua horulæ illud ſpacium ſolitæ quietis noctù tranſigeret. Hic varios inimici inſultus ſtrenuè repellere, ſæpiùs etiam (vt vinceret) pericula mortis adire; dùm ſe frigidiſſimis aquis immergebat, aliaſque crudeles carnis afflictiones ſuſcipiebat, quò car-

F 2 nis

nis petulantiæ ſubigerentur, & vires ſpiritus reſurgerent.
Hinc quia ſæpiùs à Duce Bragantino ſollicitatus, Vlyſſiponam tranſcurrere cogebatur; Procerum ipſius Aulæ delatos ſibi honores vitare diligenter ſtudebat; ſingularem tamen præ omnibus, Principum Dominæ Mariæ Infantis, ac Fratris eius Ludouici, ſummam cum pietate venerationem declinare non potuit; eo videlicet fructu, vt vtriſque pietatis ſtudia augendo, plurimis alijs illuſtria eoſdem imitandi exempla formaret. Publicos vulgi applauſus ea ratione eludere ſatagebat; vt in publica interdùm via ſubſiſtens, seriò inter proiectas ſordes, aut in luto tanquàm margaritas deperditas quæritando, cẽtunculos colligeret; quos poſteà ſuper habitum aſſutos, vt ſui contemptum commoueret, talibus vecordiæ ſignis apparere non verecundabatur. Neque ideò, quibus Viri ſanctitas perſpecta erat, fatuitatis opinio perſuadebatur: Sed creſcebat magis tùm pietatis affectus, tùm concepta de ipſo tanquàm nouo quodam Apoſtolo exiſtimatio.

Reditus in Prouinciam Sancti Gabrielis & in locis Beluis, & Oropeſa mira operatur. Cap. XX.

IAm à duobus annis à Prouincia Sancti Gabrielis abfuerat S. Petrus de Alcantara, cùm plurimorum quærimonijs compulſus Prouincialis eum reuocare cogebatur; ratus quoque tunc ſatis fundationi Prouinciæ Arabidorum prouiſum, atque ſuæ conſeruandæ magis neceſſarium eſſe. Qua quidem obedientia accepta ipſe promptiſſimè cuncta relinquens, condolentibus ſummis & infimis cum P. Ioanne ab Aquila, iterùm ad propriam Prouinciam quantociùs remeauit: Ibi ſumma omnium congratulatione exceptus, repentè Beluiſum ire ad componendas quaſdam diſcordias vrgebatur. Voluit hac occaſione Deus Comiti cuidam ſuo deuoto, affectus ſui aliquam vicem reddere, dum laboranti in extremis S. Petrum adeſſe conſtituit; mortui verò virtutum merita, quibus ſub tali Magiſtro profecerat, fama vulgabat:

gabat:

gabat: Imprimis humilitatem, qua ſe præceperat Vir illuſtris ad portam Fratrum Diſcalceatorum ſepeliri; quàmuis S. Petro funus curante, ad ingreſſum Capellæ maioris, decentiùs humaretur.

Indè conſolata defuncti vidua, totaque eius familia ad Oropeſam tranſijt; vbi cogente eiuſdem loci Domino in Palatio, ex Superioris licentia, aliquandiù remanſit; nec tamen ideò otioſus hoſpitij quiete fruebatur, eò quòd (præter multarum animarum lucrum) ipſius Comitis, ac familiæ mores, quaſi ad religioſæ vitæ diſciplinam componeret. Præ magna deuotione, quà omnes Virum ſanctum obſeruabant, aliqui curioſiores experiri nitebantur, quibus præcipuè exercitijs noctis quietem tranſigeret; dùm vltra ſeſqui horam non dormire intellexerant: Attentiùs itaque per oſtij rimulas orantem obſeruantibus; interdùm pronus in terra, aliquando à terra ſubleuatus in aera per aliquot horas ſuſtineri; mox à raptu reuerſus tanquàm ſtatua in oratione immobilis tota nocte perſeuerare, niſi dùm ſe vel noctis principio, vel ante diluculum flagris diù ſæuiſſimè cederet, cum ſtupore viſus fuit. Poſt Miſſam è Palatio ad Eremitorium quoddam egreſſus, ibi interdiù contemplatione diuinâ abſorptus, prandij tempus tranſigebat nemine eum audente ab extaſi reuocare. Quod quidem eò gratiùs ipſi eueniebat, quò ſpecioſas menſæ lautitias euitans, victu ſuo quotidiano; pane nimirùm in aquam calidam intincto, liberiùs famem arcere magis quàm extinguere præoptabat. Cùm denique hinc abiret, omnes quaſi incolæ eum proſecuti ſummis honoribus benedictionem excipiebant. Inter hos, Collegij ſtudentes (pro more) habitum oſculaturi acceſſerant, ex quibus vnum S. Petrus ſeueriori vultu intuens, *Breui*, ait, *Religioſus fies*; quod ab omnibus oraculi inſtar acceptum, licet inueni nihil tunc minùs in mentem veniret, dum diuerſum valdè vitæ genus amplectendū ſibi propoſuiſſet: Attamen (Deo ſic diſponente) idem non multo poſt tempore, cunctis admirantibus Religionem ingreſſus, Beati Viri dictum adimpleuit.

Anno

Digitized by Google

Anno 1548. Dominica in Albis, præſente Generali Ordinis, nouus Prouinciæ Miniſter eligendus occurrebat; ideòque electores in duas partes diuiſi, vna S. Petrum, altera P. Ioannem ab Aquila, vtique probatæ virtutis Miniſtrum acclamabant. Quorum votis vtrinque iteratis, immò quarta vice perſiſtentibus, & ambobus canditatis humiliter inuicem ſibi cedentibus; conſultum magis Generali viſum fuit, tunc extraneum, videlicet Virum integerrimum ex Prouincia recollecta Conceptionis, P. Garciam del Caſtillo Prouincialem eligere. Quam electionem, quàmuis peregrinam, omnium tamen vocalium aſſenſus approbauit; eò quòd arbitrio Generalis eam detuliſſent, ſic ordinante conuenientiùs Deo, quò vterque aliarum Prouinciarum Reformationi, ac fundationi liberiùs intenderent; Arabidæ nimirùm in Portugallia, ſancti Ioſephi in Caſtella, ſancti Simonis in Galitia, & ſancti Ioannis Baptiſtæ in Valentia, vt alibi narrabimus.

Vocatus S. Petrus de Alcantara in Portugalliam, Arabidæ initia firmat. Cap. XXI.

POſt ſupradictum Capitulum, Beatus noſter cum amiciſſimo ſuo Ioanne ab Aquila, ad Conuentum ſancti Onofrij à Lapa aliàs à ſe habitatum ſeceſſit. Ibi vterque ſpiritu feruentes, ac pænitentiæ ſtudioſſimi conferebant inuicem Reformationis cœptæ propagationem, atque incrementum. Erat autem hoc tempore in ſolitudine Arabidæ defunctus, magna ſanctitatis opinione, Pater Martinus; qui Cuſtodiæ ſuæ curam ſingulariter commendarat P. cuidam Andreæ Barellæ ex Algarbiorum Prouincia. At quia hic zelus multorum oppoſitionibus elanguerat, conſilio quorundam Religioſorum cum Aueirenſi Duce, ac Principe Ludouico collato, in ſententiam S. Petrum ex ſua Prouincia reuocandi melioribus votis à cunctis itum eſt; quò conſeruationis inſtrumentum fieret, qui iam & fuerat inſtaurationis.

Itaque efficaciſſimæ ab his Principibus literæ ad S. Petri

de

de Alcantara Prouincialem ſcriptæ fuere, quibus varijs congeſtis rationibus eundem pro publico beneficio pertraxerunt; vt veniendi in Portugalliam licentiam concederet. Qua licet ægrè à Prouinciali S. Petro impertita, mox cum P. Ioanne ab Aquila ad ſuſcipiendum iter, commiſſæque Prouinciæ onus fœliciter vtrumque compulit; dùm propriæ ſubtracti, alienæ ædificationi vtiliùs deſtinarentur.

Ambo hi Serui Dei omnibus gratiſſimi, in Portugalliam acceſſerunt; & S. Petrus de Alcantara priùs in Arabida, poſt in Conuentu Paliaens rigidiorem viuendi formam ſumma prudentia, ac inuicto animo tam ſuis reſtituit, quàm contra æmulos, ac turbatores perfectionis defendit. Aliquando ſingularibus Principum D. Mariæ, ac Ludouici inſtantijs ad Aulam tranſire coactus, ibidem multorum Nobilium pietati oleum infundebat ſuadendi lenitate. Interdùm etiam magnum illum & doctrina, & ſpiritu Patrem Ludouicum à Granata (qui tunc fortè Vlyſſiponæ morabatur) de rebus cœleſtibus, ac proprio animæ ſuæ ſtatu conſulens, ei quoque ad aliorum conuerſionem manus dabat.

Inter alios Nobiles S. Petro familiares vnus erat D. Ludouicus de Soſa, qui miranda Viri conuerſatione illectus, ædificando Conuentum in loco Caparica animum applicuit; quò propinquiùs eo frueretur. Ideòque celerrimo opere, iuxta paupertatis formam perfecto ædificio, ipſe S. Petrus de Alcantara cum paucioribus incolere cœpit; confluentibuſque illùc, propter propinquitatem Vlyſſiponæ, plurimis ex Nobilitate iuuenibus; quorum quidam aut Ordinis Inſtituto ſuſcepto hanc Cuſtodiam illuſtrarunt, aut integrioris vitæ documentis imbuti, alijs exemplo ac inſtructione in ſeculo notabiliter profuerunt: Vbi verò nimia ſe frequentia in hoc loco turbari agnoſcebat S. Petrus, in Arabidæ ſolitudine abdere ſe conuenientiùs duxit. Ibi ſecum voluebat animo qua meliori ratione augendæ huic Cuſtodiæ prouidere poſſet; eò quòd breui eam à ſe relinquendã præuidebat: Itaq; priùs P. Ioannis ab Aquila eminentes virtutes Proceribus Regni, alijq; deuotis commendare; mox cum ip-

ſo orationis aſſiduitate coniuncta, diuinam voluntatem explorare; vſque dùm mutuò conſenſu, hic in Portugallia ad operis promotionem remanere; ille in Caſtellam ad maiora reuerti conueniſſent: Ingratum quidem omnibus hoc conſilium videbatur, propter deſideratiſſimam S. Petri præſentiam, quam ſubtractum ibat; ſed perſpecta ſocij virtute ſuæ parùm diſſimili, maior doloris pars hoc ſolatio leuabatur: Tantò magis quòd prædictus P. Ioannes Cuſtodiæ regimini affectu Religioſorum impoſitus, & his paternæ Charitatis indicia, & ſecularibus Sancti ac prudentis Viri exiſtimationem altiſſimè imprimeret. Poſtquàm enim triginta annis ſummo zelo Religionis integritatem promouiſſet, in eadẽ Cuſtodia magna cum opinione virtutis cœleſtis deceſſit circa Annum 1580. vt in Chronica Prouinciæ Sancti Gabrielis notatum legitur; huiuſq; beneficij authorem B. Petrum de Alcantara omnes concelebrant.

Reuertitur S. Petrus de Alcantara in Prouinciam ſuam, Guadianam tranſit, & mulierem à Demone deceptam conuertit. Cap. XXII.

REdijt tandem in Prouinciam S. Petrus Anno 1551. eo fortè tempore, quo Plaſentiæ celebrandum Capitulum erat; in quo (nè iterùm Prouincialis eligeretur) validis rationibus, ac precibus obtinuit. Alteri tamen Religioſo virtutibus conſpicuo, P. Franciſco de Martiago ex illius conſilio hoc munus delatum; vt & ipſum S. Petro primi Diffinitoris officium datum.

Properandum erat S. Petro ad Conuentum Sanctæ Margarithæ de Gerez de los Caualleros, vt cum cæteris Patribus celebrationi feſti Sancti P. Franciſci adſiſteret. Et cùm in via circa meridiem acceſſiſſet ad ripam fluminis Guadianæ, tunc maximè rapidiſſimi ob pluuiarũ incrementa, diù cũ vectore, de traijciendi celeritate conteſtabatur; illo periculũ obijciente, S. Petro de Alcantara fiduciam in Deum perſuadente. Vbi verò nihil nec precibus, nec ratione profici videret,

deret, animo ac oculis in Cœlum erectis,compellatoque ad ſequelam ſocio, fluuium fidentiùs ingreditur: Stupendum profectò viſu, quòd pedes tantùm amborum vnda tegente (ſpectantibus omnibus,qui ripæ adſtabant) in oppoſitã partem ſalui tranſierunt; Vndè tam inſigni miraculo, & fides in Deum ijſdem aucta, & ſanctitas Viri apud omnes clarior euaſit.

Ad Conuentum igitur peruentum, vbi intereſſe S. Petro neceſſarium fuit electioni Cuſtodis mittendi ad proximum Capitulum Generale Anno 1553. Salmanticæ celebrandũ: Vndè quia Vir magnæ virtutis, ac prudentiæ ad hoc quærebatur,qui turbatis rebus mederi,ac opponere ſe æmulis nouæ Cuſtodiæ valeret; nemo non S.Petro pro hoc tam fama, quàm zelo primas concedebat, eòque libentiùs ſuum calculum conferre ſtudebat. Reluctanti itaque hæc Prouincia commiſſa, quam à zelo prædicationis auſpicatus quamplurimos, dùm in Xerez moraretur, ad probiorem vitam perduxit: Inter cæteros verò nobiles tres Viros,qui virtutum exemplo conſpicui, diſcipuli B. Petri de Alcantara vulgò vocabantur.

Occurrebat illi, dum viciniora huic Ciuitati loca prædicando percurreret, mulier quædam à Dęmonio illuſa, aut potiùs poſſeſſa; quæ dùm integra fama turpiſſima vitia obtegeret; aliquando Diaboli amore (iuuenis ſpecioſi forma eam fallentis) miſerè deperibat, adeò vt fidei pignus etiam animam ei adſcripſerat, & quaſi maritali ſecreto obſtricta, libidines mutuas neque Confeſſario vnquàm reuelãdas ſponderat. Indulſerat aliquandiù ſacrilegis his amplexibus miſera, & diligenti obſequio infernalis pronubi cuſtodita, Eccleſiam tamen, & ſacra frequentando famam cohoneſtabat.

Placuit diuinæ Prouidentiæ per illum locum tranſire Sanctum Petrum de Alcantara, ad cuius ſermones accedere mulierem ſtrictè prohibuit Malignus; caſu verò quodam veſperè eidem cum alijs fœminis extra muros de ambulanti S. Petrus obuius, ab illis reuerentiæ ſignum, ab hac formidi-

midinis cuiuſdam recepit; Vndè eandem compellans ſingulari quodam impulſu accedere propriùs, atque ad familiarius quoque colloquium ſubſidere aliquantùm perſuaſit. Hinc conſcientiam eius cautiùs explorare, licèt pro more nihil reſponderet indurata tunc magis aſpectu falſi ſui ſponſi, qui retrò portam propinqui eremitorij ſignis miſeræ ſilentium præcipiebat: Tunc feruentiùs inardeſcere, ac diuino lumine accendi S. Petrus videbatur; vt fœminæ (quicquid hactenùs perpetrarat) obijceret, omnemque Aduerſarij fraudem diſtinctiùs explicaret. Vndè ipſa tam diuina admonitione obſtupeſcens quaſi proprij criminis confuſione obruta, ad pedes Viri ſancti procidens in profuſum planctum tota reſoluitur: At B. Pater conſolare eam magis, atque ad ſcelerum deteſtationem, & pœnitentiæ remedium cohortari detegendo ficti illius iuuenis diabolicam illuſionem, certumque diuinæ Miſericordiæ refugium. Quibus omnibus confortata mulier redeundi in craſtinum conditionem, vt animæ culpas elueret, promptiſſima ſuſcepit; atque quò ſecurior imminentia pericula ab offenſo ſponſo euaderet, ſancti Viri preces fideiuſſores expetijt, ipſumque Aduerſarium eiuſdem imperio ad ima detrudi coràm conſpexit. Hac itaque ratione libera noctem quietam in conſcientiæ diſcuſſione tranſigens, ſequenti luce ad S. Petri de Alcantara pedes acceſſit; vndè à maculis prioribus purgata, impoſterùm integerrimæ vitæ ſpeculum inſigne, cæleſtiſque virtutis viri præco fidiſſima recederet.

Accedit ad Capitulum Generale Salmaticenſe, & indè reuerſus Comitiſſæ Oropeſæ mortem filij prædicit. Cap. XXIII.

PRopinquo iam Capitulo Generali S. Petrus de Alcantara ſuæ prouinciæ Cuſtos cum eiuſdem Prouinciali Salamanticam adit, vbi mox omnium illuſtrium, præcipuorumque humanitate exceptus, etiam Theologorum inſignium æſtimatione colebatur. Quorum omnium ſingularis

de

de ſancto Viro admiratio circa ſummum ſui ipſius contemptum verſabatur; dùm in verbis, factiſque eius nihil præter quàm profundiſſima humilitas inter tot præſtãtes Religioſos eluceret. Nec minori veneratione apud cæteros Prælatos erat; ita vt nouo Generali electo P. Clementi de Monelia percarus, ab ipſo pro magno fauore P. Ioannem Alfarum Commiſſarium obtineret; qui aliàs Cuſtodiæ eidem in conſeruanda regulari Obſeruantia plurimùm profuit. Concluſo Capitulo, vbi corporis ſui figura omnium Vocalium animis viuam ſancti P. Franciſci imaginem impreſſerat; ſe ad reditum parans, per literas Comitis Oropeſæ ad eiuſdem vxoris ſubſidium venire quamcitiſſimè euocatur.

Peruenit pijſſimus Pater ad locum, vbi deuota Domina in varijs animi ambiguitatibus circa filij ſecundogeniti D. Ioannis ſtatum fluctuabat; eò quòd ipſe electionis vitæ incertus, paternæ hæreditatis ſucceſſionem incertam relinquebat: Quod vbi S. Petrus de Alcantara intellexit, quaſi de futuro factus diuini conſilij particeps; filium non imparem fratri primogenito, ſed & maiorem futurum aliquando liberè prænunciauit; ita vt Mater, authoritati magis Viri Dei quàm rationi apparenti acquieſcens, omnem de hac re ſollicitudinem protinùs deponeret. Vrgente inſuper eodem, vt vterque Coniux quamcumque diuinæ voluntatis declarationem conſtanti ſemper animo ſuſciperent, conſolatos reliquit.

Paulò poſt D. Franciſcum, Comitis primogenitum ætate florentem, vita exire contigit; cui ſuccedens D. Ioannes prædictus eius germanus, ominis à B. Petro prolati veritatem cum omnium ſtupore ſtabiliuit.

Tranſit in Andaluſiam ad inſtantiam Magiſtri Ioannis ab Auila, & in itinere quid mirum ei occurrit. Cap. XXIV.

ERat hoc tempore prædicationis, myſticæque ſcientiæ doctrina percelebris Magiſter Ioannes ab Auila Sa-

cerdos ſæcularis, qui in Betica Prouincia ob ſingulares has dotes tamquàm Apoſtolus eiuſdem habebatur. Is perſpecta S. Petri de Alcantara virtute, etiam miraculis comprobata; eundem, nè ad illam Prouinciam tranſeundi (pro magno Dei ſeruitio) moleſtias recuſet, literis perhumanis inſtantiſſimè compellit. Cui non inuitus morem gerens S. Petrus, eandem Prouinciam ingreſſus tam negocio principali ad quod venerat, quàm multarum animarum lucro, quas vlteriori curæ Magiſtri Auilæ commendarat, præclarum ſtudium fructuosè impendit.

Hinc ad propria reuerſurus in Ciuitate Baza nobilis cuiuſdam filium vndecim circiter annorum Parentibus diligenter commendans, inſignem quandoque Dei Seruum futurum præuidit. Quod quidem puer creſcentibus annis, atque per manus S. Petri Ordinis habitum ſuſcipiens, ſufficienter comprobauit; dùm poſteà inter præcipuos B. Patris Diſcipulos virtutis laude inclaruerit. Indè iter proſecutus magna tùm radiorum Solis æſtuantis, tùm viæ fragoſæ, aſperæque moleſtia vexatus; vicem magis ſocij anxius, eundem tùm ſiti, tùm laſſitudine confectum, atque opem inuocantem ad pedes ſuos concidere conſpexit. Qua ſpectaculi commiſeratione confixus S. Petri animus, nullo tunc humano auxilio propinquo, hærebat; quando repentè erumpentem inter condenſas arbores indomitum taurum vterque animaduerteret, qui mugiendo, atque cornua vibrando ferociæ impetum in hos Dei Seruos intendere timebatur: At fortiùs perculſus ſocius metu mortis exurgens, S. Petrum in ſyluæ latebras abdere ſeſe compulit; ibiq; præfati tauri tamquàm manſueti agniculi paſſus ſubſequentes, ambo ad lampidiſſimæ aquæ fontem mira Dei liberalitate perducuntur. Hoc præmium fiduciæ S. Petri de Alcantara in Deum ſingulare, hoc gloriæ eius maximum præconium, hoc ſocij mirabilius auxilium (omni humano deficiente) eſſe oportuit; vt ferociſſimum etiam animal oſtenderet diuinam prouidentiam orationibus S. Petri promptiſſimè, atque opportunè adeſſe.

LIBER SECVNDVS.

Ab eius egreſſu ex Prouincia S. Gabrielis vſque ad fundationem Prouinciæ S. Ioſephi.

Obtinet Breue Summi Pontificis Iulij III. pro ſtabilienda in alijs Prouincijs ſtrictiori Obſeruantia. Cap. I.

INGRESSVS iam Prouinciam ſuam S. Petrus de Alcantara ad finem Auguſti menſis meditabatur animo ſolitudinem, ac quietẽ, hactenùs tot excurſionibus, ac negocijs vrgentiſſimis impeditam repetere: Cui iam immerſus ſenſit ſe ad maiora Deo obſequia prꝫſtanda eiuſdem afflatu impelli. Et dùm rigidiori diſciplina pœnitentiæ auſteritatem augens, atque orationibus feruentioribus diuina conſilia exquireret; agnouit clariùs ſibi propagandum regularis Obſeruantiæ nitorẽ proponi: Quam Prouinciam diuinis monitis excitatus, aggredi tamen ſine debita authoritate non præſumebat. Itaque rem cum D. Roderico à Chaues amico, ac diſcipulo percaro conferens; eius auxilio pro Breui Romæ obtinendo, quo facultas neceſſaria concederetur, opportunè ſatis vtebatur.

Dùm hæc aguntur, celebratum fuit Capitulum Prouinciæ in Conuentu Manxarretes Anno 1554. die 4. Octobris; præſidente tunc temporis Commiſſario Generali per Hiſpaniã P. Andrea ab Inſula: Hic perfectè virtutem, ac zelum S. Petri introſpiciens, ſatagebat eum pro conſeruatione rigidioris Obſeruantiæ, iterùm ſuæ Prouinciæ gubernio admouere. Sed Deo alijs eum occupationibus deſtinante, inuenta fuere plurium vota in eligendo Prouincialem digniſſimum P. Ioannem à Spinoſa iterato concurrere; ita vt quamcum-

que

que induſtriam adhibuiſſet Commiſſarius abſq; Vocalibus; certò tamen conſtaret omnibus S. Petri electionem tunc voluntati diuinæ non placuiſſe.

Non longo poſt tempore allatum S. Petro de Alcantara fuit Roma Breue Summi Pontificis Iulij III. quo munitus Prouincialem Plaſentiæ degentem acceſſit, eùmque propoſiti ſui, & Apoſtolicæ authoritatis participem facit. Qui rei nouitate turbatus, præſenſit per abſentiam S. Petri magnum regularis Diſciplinæ detrimentum imminere; dùm eidem in hac Prouincia & exempli, & doctrinæ ſuæ authoritatem ſubtraheret: Suaſit itaque intereà prudens Prouincialis, vt pij deſiderij executionem in aliud tempus differret; quò cōmodiùs tunc publico aliorum fructui; & nunc priuato propriæ Prouinciæ ſtabilimento intenderet. Cui quidem ſuaſioni acquieſcens S.Petrus, Eremitorij cuiuſdā ſolitudinem cum ſocio petendi licentiam intereà à Prouinciali impetrauit; vbi vlteriùs operis magnitudinem meditando, Reformationis ſuauiora media exactiùs diſponebat.

Vadit Cauriam, cuius Epiſcopus Eremitorium illi aſſignat, in quo diuinos fauores experitur. Cap. II.

NOn exiguo totius Prouinciæ mœrore S. Petrus de Alcantara Prouinciam relinquens, vadit cum ſocio P. Michaele à Catena, fido ſuo Achate, ad Ciuitatem Cauriæ; in qua à loci Epiſcopo D. Didaco Henriquez alibi nominato, eiuſque germano Comite à Nieba ſingulari affectus demonſtratione recipitur. Cœpit mox propoſiti ſui arcana deuoto Prælato aperire, qui cupidum ſe, ac fauentem oſtendens, promptiſſimè Eccleſiam ſolitariam prope Sanctā Crucem de Ceuolla fauſtis initijs obtulit; placuit vlteriùs locus, in quo tantùm cellulas anguſtas cum horto conſtrueret, quibus maximæ, ſtrictiſſimæq; paupertatis forma, quam reſtaurandam in Obſeruantia regulæ proponebat, exprimeretur. Eadem quoque in victus acquiſitione parſimonia erat, dum oblatas etiam à deuotis eleemoſinas recuſaret, contentus

Digitized by Google

tus abſtinentiæ ſuæ rigore, atque orationis diuinæ conſolatione nutriri. Ita vt ſæpiùs supernè conſolatus, cùm cellæ anguſtia eum capere non poſſet, in apertos campos excurrens amoris diuini raptibùs veheretur in altum; & aliquandiù in colloquijs diuinis à terra ſuſpenſus hęrarat. Omnis eius ſupplicatio eò tendebat, vt diuinæ Prouidentiæ ſubſidium pro Reformationis augmento promptiùs imploraret.

Sed non diù ſibi ſoli relinquebatur B. Pater ſolitudinis quiete frui; quin ſæpè à Comite de Nieba, eiuſque tota familia deuotionis officijs interpellaretur. Idem ab Epiſcopo quoque fiebat, qui curæ Paſtoralis intermiſſiones aliquando cum Viro Dei in anguſta illa cella orationis, ac meditationis exercitijs commutabat; quibus ſe multùm in pietatis affectu erga Deum, & ſpiritus feruore excitari, ac proficere agnoſcebat. Aliquando vterque in campum egreſſi, deuoto colloquio, ac meditatione ſinè alia refectione,aut ſomno magnam noctis partem protrahebant: Interdùm prope fontem loco propinquum,mirabilia Dei opera diſcutientes exardeſcebant mutuo zelo in proximi charitate procuranda. Hinc, vt S. Petri de Alcantara ſingularem gratiam teſtimonio aliquo firmaret Deus, placuit bonitate ſuā fontis illius aquis curationum virtutem indulgere; ita quòd ad multas infirmitates, plurimorum deuotionę, è longinquo conquiſita proficeret,& adhuc adſtructa eidem capella ſub nomine B. Petri de Alcantara, quamplurimos morbos mirabiliter expellat.

His pietatis ſtudijs intento maior animi ſtimulus ſuggerebat Crucis vexillum naſcentis Lutheri hæreſi omni ſtudio opponere; atque ſuæ Religionis pietate nouæ ſectæ impietatem conculcare; ita vt dùm Fidei præconia illuſtria defectione hæreticorum maculabantur,ipſe alienis terris,ac gentibus Inſtituti ſui candore, atque Euangelica prædicatione eadem reſtituere ſummoperè adlaboraret: Inſtare itaque feruentiùs orationibus,atque corporis ſæuiſſimis macerationibus; quibus flectere Deum conabatur, ſanctis fauere deſiderijs, atque iter (quod ad pedes Chriſti Vicarij Romam

medi-

meditabatur) fœlici ſucceſſu proſperare ; quemadmodùm cordis quædam lætitia præſagiebat.

Proficiſcitur Romam, vbi impetrat Breue Summi Pontificis pro Reformatione. Cap. III.

COllata proindè interna mentis illuſtratione cum ſocio Michaele, atque deuotiſſimo Epiſcopo, de itinere Romam ſuſcipiendo ab vtroque approbationem meruit ; qua vehementer impulſus cum prædicto ſocio quantociùs pedes diſcalceatus, pro conſuetudine, viam ingredi nõ dubitauit.

Poſt longas itineris moleſtias, quæ nunquàm vitæ eius rigorem temperabant, Romam ingreſſus, viſitauit ſacra Limina Apoſtolorum, cœteraque Religionis noſtræ veneranda monumenta. Mox negocio ſe accingens, validiſſimas Superiorum Ordinis contradictiones offendit ; quibus fruſtrà tam virtutis, quàm famæ fauore patrocinante, vnicum diuinæ voluntatis præſidium opponendum relinquebatur: Itaque cum varijs difficultatibus colluctatus, expeditiſſimum ſibi remedium accedendi ad pedes Summi Põtificis amplectitur. Huic ſupplex Reformationis propoſitum proponens, magis ſanctimoniæ ſuæ, ac pij zeli ſpecimen, quàm negocij argumentum ex difficultatum obiectu ſuſpenſum, tunc temporis impreſſit.

At non ideò intermittebat S.Petrus de Alcantara operam omnem ſupplicationibus ad Deum feruentiſſimis promouere, donec iterùm ad oſculum pedum admiſſus; ſingulari Põtificis beneuolentia conſolatus Breue quoddam obtinuit, quò fundandi Conuentum, iuxta rigidiorem Inſtituti formam, atque à propria Prouincia ſeparatum, quem cum alijs vitæ eiuſdem cupidis incolere, atque propagare poſſet ; facultas concedebatur, ea licet conditione, vt Magiſtro Generali Patrum Conuentualium ſubiaceret.

His ex deſiderio ſuccedentibus, diuinæ Clementiæ gratias debitas rependit ; atque ſine mora Magiſtrum Conuentualium accedens ab ipſo perhumaniter, atque officiosè iuxta

Apoſ-

Apoſtolicum diploma ſuſcipitur: Cuius etiam curæ fuit S. Petrum literis commendatitijs ad ſuos; alijſque ampliſſimis facultatibus neceſſarijs communire. Quibus omnibus operis initia, ac prudentiæ exiſtimationē corroborans Dei Seruus; ritè pietatis Chriſtianæ officijs perſolutis, reditum in Hiſpaniam ſumma animi alacritate ex more ſuſcepit.

Reuerſus in Hiſpaniam varijs perſecutionibus vexatur. Cap. IV.

IAm S. Petrus de Alcantara vix Eremitorio ſuo priſtino redditus, Epiſcopo Caurienſi obtenta Romæ diplomata communicabat; cùm inſurgens in ipſum plurimorum maledicentia, conſtantiam eius, ac diuinam virtutem tot ſignis hactenùs comprobatam, nouitatis, ambitionis, fallaciæque, calumnijs lacerare non dubitaret; ita vt non ſolùm apud Religioſos, ſed etiam Seculares (quibus carus habebatur.) malam quandam de ipſo opinionem latiùs ſeminaret; vndè inſtigante maligno Spiritu, qui nouæ militiæ progreſſus pertimeſcebat, ideòque impedimenta machinabatur: Quidam peruerſæ mentis homines Sanctum Virum aggreſſi, varijs quęſtionibus exagitarunt; & quàmuis ſuauiter & benignè reſponderet, iniurijs tamen atque verberibus inhumaniter eum onerarunt. Quibus omnibus ipſe ſumma tolerantia cedere, nec querimoniæ alicuius, vel ſignum edere auditus vnquàm fuit. Commiſſarius inſuper Generalis, qui in Prouinciam eius peruenerat; ſeuera correctione in eiuſdē Prouincialem animaduertit, quòd ei exeundi è Prouincia facultatem conceſſiſſet; adeò vt voto etiam in proximo Capitulo priuaret. Neque hoc ſolùm contentus S. Petrum quoque, quàmuis ſuæ authoritati exemptum, ad ſe vocauit: Qui (vt quęlibet pro amore Dei pati mereretur) rationem ſui indebitam redditurus accedere non recuſabat.

Cùm igitur ad Conuentum perueniſſet Vir pręclarus, totique Hiſpaniæ venerabilis, non ſolùm Commiſſarij aſperas, frequenteſque repręhenſiones ſumma modeſtia perferre; ſed

& tyronis inſtar omnium dicteria, atque inſultus profundiſſima humilitate, ac alto ſilentio premere; ita quòd confuſos, magis quàm exaſperatos, omnes relinqueret: Sed quia non par omnibus de hoc ſilentio iudicium erat, quidam Superiorem inſtigabant; vt obedientiæ imperio reſponſionem aliquam ei extorqueret, quam alijs innocentiæ fiducia continere videbatur. Vndè tantùm hæc obedientia effecit; vt ſemel, iterùmque illa ſaltem verba ſubmiſſa voce, ac geſtu proferre auditus ſit: *Patres, optimè noui, hoc opus mihi Seruo inutili Domini mei minimè conuenire; Vos autem, ſi intelligitis non è re communi eſſe, ſatagite quantùm poteſtis impedire.*

Hęc nimirùm fundamenta ponebat S. Petrus ædificij ſpiritualis, quibus Reformationis ædificationem ſuperſtruere optabat: Humilitatis videlicet internæ, proprijque contemptus inuictam conſtantiam; quò Ordinis ſui Inſtitutoris Seraphici principia iacientis, aut æmularetur exemplum, aut reuocaret ad imitationem Patris filiorum remiſſos animos.

Inter tot vexationes viſus eſt à Chriſto & S. Franciſco aſſociari, atque mirabili extaſi ſuſpendi. Cap. V.

QVanquàm verò varijs his modis Sancti Petri propoſitum Sathanas turbare inuigilaret, potior tamen Deo cura erat, eius apud pios homines deuotionem propagando ſeruare; ita quòd præfatus Epiſcopus Caurienſis primus diligenter ſollicitaret, noui Conuentus fabricam incipere. Quam, licet in loco Eremitorij ſanctæ Crucis, proprijs ſumptibus offerret; tamen propter alterius Conuentus Sancti Marci de Altamira propinquitatem S. Petrus de Alcantara excuſandum prætulit. Erat autem amplior locus omninò quærendus; quia prædictus nouos collegas non capiebat, ex quorum numero, P. Leo Vlyſſiponenſis, Franciſcus à Galiſteo, Franciſcus de Melo, Petrus de Alconcher, Bartholomæus à Sancta Anna, & alius quidam Hiſpanus, qui Mediolanum tranſeunti Petro cognitus, indè vt familiæ ſuæ adſcriberetur, acceſſerat; præter Canonicum quemdam Zamo-

mo-

Digitized by Google

morenſem eruditione ac opibus pollentem, omnes ſtrictioris vitæ normam amplectendo, S. Petrum ducem, atque Magiſtrum ſequebantur.

Migrauerat tunc temporis è Ciuitate Plaſentiæ Don Rodericus à Chaues aliàs nominatus, qui propter humilem vitam (quam ducebat) cognatis exoſus, cum tota familia in poſſeſſione quadam propè Oppidum Pedroſo habitare elegit. Hic B. Patrem inuiſens, fundando nouo Conuentui præfatam poſſeſſionem liberaliter obtulit; quam ille opportunam ſatis exiſtimans, Epiſcopo Caurienſi eius donationem ſibi conceſſam annuntiauit.

Contigit aliquando S. Petrum Caurio ad Pedroſum eundo, in itinere apud quaſdam filias ſpirituales diuertere; & quia hybernæ niues totum obtexerant, vna Virginum caput eius diſcopertum admirata, atque quærula obiurgabat piè, quòd ſibi in hac re iniquus videretur: Sed Vir Dei; *nè mireris* (inquit) *filia, ſi ego in præſentia Dei mei capite diſcoperto incedo; cùm terreni Principes, ac Domini Rege ſuo præſente caput tegere detrectant.* Quibus dictis aperti fuere puellæ mentis oculi, vt conſpicere quoque exteriùs valeret, de qua præſentia loquebatur Pater; dùm ſtare medium inter Chriſtum Dominum, ac Sanctum Patrem Franciſcum animaduerteret, licet tunc quidem ſecretum hoc apud ſe contineret. At poſtquàm obſeruaſſet per feneſtram abeuntem iiſdem comitibus viam proſequi, illicò participem quoque ſororem tàm admirabilis viſionis facere non tardauit; quò ambæ deinceps rei teſtes forent, & clariùs magis intelligerent, cuius præſentiam reueritus S. Petrus de Alcantara caput ſe tegere non debuiſſe affirmarat.

Vix redierat ad Eremitorium, cùm ſollicitè Auilâ euocatus Dominæ Giomaræ de Vlloa benefactricis ſuæ precibus libentiùs cederet; in hac proindè Ciuitate, obſeruantibus eum vbiquè æmulis, ſingulari euentu meritum eius apud omnes inclaruit: Coactus enim à quodam illuſtri Viro nuptiarum eius ſolemnis adeſſe, quibus parem ſibi vxorem ducens, magno deuotionis affectu ex S. Petri præſentia coniu-

gij fœlicitatem ominabatur; ideòque, vt renitentem pertraheret, Chriſti exemplo compellans obtinuit; vt indictæ nuptiæ Populi frequentia ſolemniores celebrarentur, & ſancti Viri exiſtimatio cœleſti fauore defenſa contra plurimos eius obtrectatores illuſtrior redderetur. Peracta etenim in Eccleſia Coniugum benedictione ad Domum Sponſi S. Petrus cum ingenti multitudine pergens, duos ſui Ordinis Fratres obuios habuit: Hi ſuggillandi occaſionem aucupantes Guardianum Conuentus eius loci contra S. Petrum de Alcantara extimularunt, vt tanquàm ſcandaloſum,& conuiuandi licentia diſſolutum corripiendo diffamaret. Erat intereà S. Petrus in loco conuiuij cubiculo cuidam incluſus, vt orationi ac contemplationi vacaret; cùm repentè duo Religioſi; obtentu alloquendi eum pro re graui, facultatem accedendi poſtulabant: Deducti itaque ad cubiculum, & aperto oſtio parùm abfuit, quin radio quodam ſplendidiſſimo percuſſi progredi deſiſterent; ni curioſitate calcar addente ingreſſi deprehendiſſent Virum Sanctum altiſſima contemplatione abſorptum, in alto ſublatum hęrere. Qua viſione confuſi, nihil ampliùs præter virtutem S. Petri de Alcantara vbique prædicare, eiuſque actiones omnes tanquàm diuino iudicio comprobatas tam in via,quàm in Conuentu ſummis prçconijs celebrare ſunt auſi; ita vt Guardianum ipſum in meliorem quoque de eo opinionem pertraherent. At ſerpente in Palatio extaſis huius ſuſurro,plurimi ad cubiculum videndi cupiditate concurrebant: Et quia toto conuiuij ſpacio perdurabat, gratior ea tunc S. Petro de Alcantara obtigerat; dùm epulas (quas auerſabatur) euitaret, & exiſtimationi ſuæ aptiùs conſuleret; ſicque æmulis calumniandi cauſam ademit, deuotis verò actionum integritatem collaudandi, euidens argumentum miniſtrauit.

Inci-

Incipit ædificare Conuentum Pedroſi, in quo diuina virtute varias difficultates ſuperat. Cap. VI.

POſtquàm Vir Dei Auilæ intentum ſuum Domino Ioanni Velaſquez apud Imperatorem Carolum Quintum gratioſo, ſuoque filio ſpirituali communicaſſet; ipſius liberalitate pro fabricæ materia neceſſaria impetrauit, cęteriſq; expeditis Pedroſum reuertitur. Ibi Epiſcopi ſollicitudine omnia prouiſa, Comitis quoque Torreſonij pietatem (qui ad inuiſendum B. Patrem illùc tranſierat) promptiſſimam inuenit, artifices operarioſque ſua ſpontè offerentis; adeò vt tot diuinæ Prouidentiæ ſubſidijs ad fundationis initia inuitatus, fabricam Conuentus aggredi non dubitarit, quam proprio labore, cęterorumque Religioſorum diligenti auxilio breuiſſimo temporis ſpacio ad formam ſtrictiſſimæ paupertatis expeditiùs abſoluit. Diebus verò feſtiuis ſpirituali fabricæ intentus, in propinquum Oppidum ad prędicationis officium excurrens, tanta charitate abundabat; vt magnis, paruuliſque doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, immò & legendi, ſcribendique elementa edoceret.

Nec ceſſabat intereà malignus Spiritus operi huic inſidias ſtruere, cùm commotis aliquot Religioſis cuiuſdã propinqui Monaſterij, eis apud Plaſentiæ Epiſcopũ varias cauſas confingere perſuaſit; quibus fabricæ progreſſus turbarent. Inter has rigorem diſciplinæ,quem in nouo illo Conuentu ſeruandum allegarunt,non diù duraturum inſipienter prędicebant: Vndè vocatus ad dicendam cauſam S. Petrus non ſolùm aduerſarijs ora obturauit; ſed & Epiſcopo facti rationem probando, iuuandi quoque promptitudinem elicuit.

Dùm pro hoc negocio Plaſentiæ in Domo nobilis Viri D.Didaci à Loaiſa moraretur pro more noctù ſe flagris caſtigans, deuotum hoſpitem à ſomno excitatum tanta admiratione affecit; vt perſuadere ſibi ægrè poſſet corpus adeò extenuatum ſine ſuperna virtute tali torméto ſufficere: Duæ

quo-

quoque ſorores eius virgines Seruum Dei per oſtij rimulas obſeruantes, viderunt poſt orandi longiſſimum ſpaciũ noctis reliquum in altiſſima extaſi conſumpſiſſe. In hac quoque Domo morbo correptus, pietatem hoſpitis excuſans, nullũ etiam leuiſſimum fomentum admittere volebat; niſi vrgente ſocij obedientia modicum vini, propter debilitatem ſtomachi, aliudq; pharmacum ad arcendum mortis periculum deguſtaſſet; ex quo etiam ſenſim conualuit.

Redeundo itaque Pedroſum per Alcantaram tranſijt; vt artificem quemdam fabrum, operi deſtinatum, ſecum conduceret. Quo cum ſocio in via relicto, ipſe meditatione profundiſſima collectus intra ſe precedebat vſque ad flumen quoddam ex duobus, Alagone, & Marete propter illum iam commixtum, atque rapidum, Hic dum alij transfretandi opportunitatem expectant, ipſe ſui oblitus tanquàm ſolidam terram calcaret procedens, in alteram ripam ſaluus euaſit. Sed ſpectatores tam ſtupendi miraculi, cùm nè quidem clamoribus tranſeuntem reuocare valerent; ad Deum conuerſi miram eius in Seruo ſuo virtutem votis, ac condignis gratijs altiſſimè celebrarunt. Alij qui in oppoſita ripa, quò peruenerat, hęrebant; omnes ad pedes eius procumbere, manus & habitum deoſculari, atque velut Sanctum aliquem è Cœlo delapſum adorare non ceſſabant: At ille aliquandiù poſt in ſe reuerſus, obſtupeſcere magis ſe in hoc loco tot hominibus circumdari, iam à tergo flumen, atq; ſocios in altera parte reliquiſſe; ideòq; ſupplici geſtu corã omnibus diuinæ Potentiæ gratias referre, & ad eam laudandam deuotiſſimè prouocare; expectatiſque itineris ſocijs, cunctis rei geſtæ ſilentium humiliter commendauit: Deo tamen illam in cõfuſionem inimicorum eius latiùs ſpargi, atque celebrari altiùs complacuit.

De

De Conuentus noui fabrica humili, pietatiſque officijs feruentiſſimis. Cap. VII.

CVm igitur rediſſet Pedroſum, inuenit quaſi confectam Conuentus fabricam; ita anguſta nimirùm forma, vt cęteras à ſe in alia Prouincia conſtructas ſuperaret: Vndè ſpirantium potiùs carceres, aut mortuorũ ſepulchra, quàm viuorum hominum habitacula à cunctis habebantur. Altare maius crate quadam rudi ab Eccleſiæ naui diuiſum, vix tantùm ſpatij continebat; vt pręter miniſtrantem Sacerdoti alterum caperet tranſeuntem. Interius clauſtrum figuræ quadræ latera longiora non habebat, quàm vt à duobus Religioſis expanſis brachijs vtraque manu contingi poſſent: Cellæ vix ſupra hominis ſtaturam portas habebãt anguſtiores; quarum rationem quibuſdam reddens S. Petrus de Alcantara: Fratres, inquit, *incolæ earum Mundo defuncti ſunt; & vt diſcant, quàm anguſtus ſit ad Cœlum aditus, per has portas intrandum ſe recordentur.*

At beati Viri cella paupertate, atque capacitate cęteris inferior, repoſitorio ſimilior videbatur; cùm ſub ſcala quadam poſita non niſi incuruo corpore integrum admitteret. Reliquæ quotquot erant officinæ, eadem anguſtia contrahebantur; ſic quòd totius Conuentus ambitus cum Eccleſia, quæ maiorem partem occupabat, pedes 32. in longitudine, 28. in latitudine non excederet.

Abſoluto itaque opere Templum Immaculatæ Cõceptioni Beatiſſimæ Virginis dedicare intendens, D. Rodericum à Chaues conſuluit; vt repoſito in Altari maiori Sanctiſſimo Sacramento, imago Virginis indicto die venerationi publicæ exponeretur: Concurrunt itaque vndique ex vicinis Oppidis Populi ad ſolemnem proceſſionem, neceſſaria miniſtrãtibus D. Roderico, & Comite Oſornij; ſed quia loci anguſtia intra Eccleſiam paucos admittebat, cęteri prę foribus diuinam Prouidentiam deprędicabant, quòd Apoſtolici Inſtituti Virum pro omnium ædificatione ad ſe miſiſſet. Ipſe

Dei

Dei Seruus S.Petrus de Alcantara Deiparæ tutelæ familiam ſuam, ac Inſtituti augmentum commendans, cunctos diuinis myſterijs reficiebat: Hic poſteà cum ſocijs virtutis probatæ vitam arctiſſimam ducens, victu tenuiſſimo panis, & leguminum, orationum, officiorumq; aſſiduitate continua, diſciplinæ rigore intentiſſimo, paupertatis moderamen viuendi auſteritate ſuperabat; ita vt Seruus Dei Ioannes de Alburquerque non dubitaret aſſerere Conuentus huius normam viuẽdi, nè puncto quidem ceſſiſſe auſteritati, quam S. P. Franciſcus huius Ordinis Inſtitutor, olim cum ſocijs ſeruaſſe memorabatur.

Fruebatur intereà B. Pater ſpiritualibus illis delicijs, quibus deſideria ſua exaudita Chriſto Domino accepta ferebat, cuius amore quotidiè inflammatus magis, affectus ardorem etiam in medijs aquis hyberno tempore ſe immergendo per aliquod temporis ſpacium temperare, ſępiùs conabatur; & ſi quod tormentum ſentiret, id memoriæ illius ſpatij (quo in Cruce Redemptor culpas noſtras ſoluit) patienter offerrebat.

Ex multis Nobilibus, qui S. Petrum de Alcantara ex Aula Madritenſi inuiſere ſolebant in hoc loco, pręcipui erant D. Ferdinandus Henriquez patruus Admirantis Caſtellæ cũ alio illuſtri Viro D. Didaco Súarez; vterq; Conuentus atque vitæ conſideratione compuncti, colloquijs etiam Viri Dei ad meliorem frugem conuerſi, propè ipſum habitationem eligere propoſuerunt; quò frequentiùs eius conuerſatione fruerentur. Idem alijs multis contigit, qui pompas ſeculi in hac commentatione mortis aſpernari diſcebant.

Eligitur Commiſſarius Generalis pro Reformatione.
Cap. VIII.

BIennium iam effluxerat, à quo S. Petrus de Alcantara vi Breuis Iulij III. à Prouincia S. Gabrielis ſeparatus, Reformationi curas ſuas impendebat; quam intra annum in duodecim pręcipuè Religioſis, qui ſecum Pedroſi cohabitabant,

bant, firmaſſe ſe ſummoperè gaudebat. Angebatur tamen maioribus deſiderijs eandem perfectionis normam ad alios proferendi, vt cum eiuſdem diſciplina, zelus quoq; animarum apud ſeculares promoueretur; quod vtrumque, dum diuinæ Prouidentiæ inſtantiùs cōmendabat; cōplacuit eidem Beati votis, viam quandam aperiendo, reſpondere.

Fuerant ante paucos annos egreſſi ex Prouincia Sācti Gabrielis duo pietate inſignes Religioſi, P. Ioannes Paſchalius, & P. Alphonſus de Manzanete; horum prior Regnum Galitiæ pertranſiens, tres Conuentus authoritate Apoſtolica fundauit; alter Eremitorium quoddam prope Eremum Lorianæ, ſub titulo Sancti Iſidori liberalitate D. Ioannis Velaſquez de Auila; qui (vt dictum alibi) B. Petro maxima deuotione adhęrebat. His verò quatuor Conuentibus ſuperintendebat, ex commiſſione P. Magiſtri Generalis Conuentualium, P. Ioannes Paſchalius; qui dùm ex viſitatione Conuentus Lorianæ in Galitiam reuertitur, ſupremum diem clauſit in itinere.

Illo itaque defuncto, nè prędicti Conuentus detrimentum aliquod caperent, inſtantibus quibuſdam Religioſis zelantibus apud Commiſſarium Generalem Conuentualiū P. Antonium à Sancto Quirico, conſulente quoque D. Ioanne Valaſquez, ad S. Petrum de Alcantara relatū fuit, vt ſuo Conuentui cęteros in Galitia coniungeret: Cui ille propoſitioni poſt longas ad Deum ſupplicationes & cum Fratribus ſuis maturas deliberationes, ea conditione aſſenſum prębuit, vt ex omnibus Cuſtodia quędam titulo Sancti Ioſephi erigi deberet, & quòd P. Antonius à Conceptione Luſitanus Cuſtos, eidem Pręfectus Romam adiret; ad referendam P. Generali Conuentualium rerum geſtarum ſeriem, qua perſpecta Superiorem deſtinaret, cui loco defuncti P. Ioannis, Reformatorum Conuentuum ſupremum regimen committeretur.

Itaque cùm iam prædictus P. Antonius Romam perueniens Generalem non inueniſſet, illicò Pauiam ſecutus negocij ſibi commiſſi partes egregiè expleuit: Ille verò prouida cura cunctis reſpondens, S. Petrum de Alcantara ſuo lo-

Google

co Cõmiſſarium in Hiſpanijs nominauit, cui prædictis Conuentibus reformatis præeſſe, atque alios ædificandi, vbi occaſio ferret; Regulæ inſuper Obſeruantiã promouendi amplam facultatem conceſſit. Quod quidem contigit Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto.

His tandem facultatibus ad S. Petrum Pedroſi commorantem perlatis, priùs illas Deo ſuper Altare cũ gratiarum actione obtulit; mox cęteris Fratribus cõmunicando cœpti operis ſucceſſum, diuinæ Largitati commendandum feruenter inculcauit: Eò validiùs quòd ſibi licet impari, nec tale quicquam præſumenti, Generalis ſponte id muneris impoſuiſſet. Mox ad Conuentum Lorianæ tranſiens, ad reliquos in Galitia literas paternales tranſmiſit; in quibus ſuæ viſitationis ſpe omnes illos Religioſos conſolabatur.

Lorianæ à P. Alphonſo Charitatis viſceribus exceptus, epiſtolam quandam querulam à Comite de Oropeſa recepit accuſantem eum derelictæ commoditatis, qua vbique in ſuo Dominio fundandi nouos Conuentus iam pridem poteſtatem obtulerat; & quòd plurimorũ deuotorum vtilitati ſpirituali ſubductus, externorum magis culturæ, quàm familiarium ſeſe addixiſſe videbatur. His alijſque intimi affectus expreſſionibus prudens Commiſſarius occurrens, literis non diſſimilibus pietati Comitis gratias reddere, negocij grauitatem exponere, ſeque quantociùs, omnium deſiderijs ſatisfacturum promittere (Deo fauente) non neglexit.

Poſteà in Galitiam progrediens, trium illorum Conuentuum Religioſos quoſdam animo languentes erexit, alios præteritis poſt obitum Superioris tribulationibus diſperſos collegit, alios in rigoris Obſeruantia titubantes confirmauit; deniquè omnes & paternali prouidentia, & fraterna conſolatione ſuauiter ſub ſuum patrocinium recepit. Addidit quoque normam quandam viuendi illi, quæ Pedroſi vigebat, perſimilem; cui etiam ſeruandæ Magiſtros acciuit tres illius Conuentus Religioſos prouectiores, quos in ſingulis Conuentibus Superiores conſtitueret; inter quos Patrem Michaelem à Catena ſocium ſuum antiquiorem,

pri-

primario loco Guardianum deſtinauit.

Nequè intereà ſuper his tàm proſperè S. Petro ſuccedentibus, æmuli intra ſe fremere deſiſtebant, atque fruſtrà ſe opponere exiſtimabât Viro famoſo; cui principaliores Hiſpaniæ deuotione, Generalis, alijquè Superiores Ordinis cum ipſo Eccleſiæ Capite Summo Pontifice ſingulari fauore adhærere viſi fuerunt. Cuius ipſa diuina Voluntas optimam intentionem, animarumque zelum prodigijs, atque ſignis manifeſtis mirabiliter ſæpiùs declarare, & velut confirmare agnoſcebatur; adeò vt aduerſarijs ſpes omnis impediendi operis præcluſa hanc tantùm vanam præſumptionem ſuggeſſit, aſperitati Inſtituti, virium, voluntatumque imbecillitatem ſuccumbere, atque Societatis conſtantiam à temporis viciſſitudine diſſolui poſſe. Quod an aliquando pro voto malignantium ſucceſſerit (Deo aliter rem ſuam moderante) ex his, quæ ſerie hac noſtra narrabimus, euidentiùs perlegentibus conſtabit.

Fundat nouos Conuentus, & reuocat ad vitam Comitem à Morata Adoleſcentulum. Cap. IX.

REuerſo tandem ex viſitatione Pedroſum, ſuperuenit cōfeſtim Comes Oropeſæ; vt priorem quærimoniam repeteret, inſtando vehementiùs pro fundatione alicuius Cōuentus in Dominij ſui diſtrictu: Vndè B. Pater (quò pietati Comiti obſecundaret) Oropeſam ſecum tranſcurrens, nec ibi ſitum commodum inueniens, quem ſegregatum atque ſolitarium quærebat; ad propinquū Oppidum perrexit duodecim milliaribus indè diſtans. Hic antiquum quoddā Eremitorium, ædificandæ domui ſuis Religioſis conueniens deſignauit. Dein non longè illinc paruam Eccleſiam dicatam Sanctiſſimæ Virgini à Roſario, vicinorumque deuotionibus frequentatam, eiuſque adiacentia rudera antiqui cuiuſdam Monaſterij à Templarijs relicti obſeruans; velut commodiſſimum locum à frequentia remotū ſtruendo Conuentui deſtinauit promptiùs: cuius ædificationem deuotiſſimi Benefacto-

factoris commendans munificentiæ, nè formam ſtrictæ paupertatis excederet; vnicè, inſtantiſſimè q; ſupplicauit.

Dùm his negocijs S. Petrus de Alcantara occupatur; accidit magni eius deuoti Comitis Oſornij filium ægritudinis vi ad extrema redactum à Medicis derelinqui; in quo doloris ſenſu nil magis pium Patrem afficiebat, quàm S. Petri abſentia, ad quem pro tribulationum ſuarum leuamine ſæpiùs recurrere pro ſummo ſolatio habebat. Itaque quamprimùm Pedroſum rediſſe ſuſpicabatur; per nuncium, vt ad morientis filij tranſitum accelerare dignetur, ardentiſſimè efflagitat: Nec tardus obſequio S. Petrus iter arripit; quàmuis ob loci diſtantiam, vbi habitabat Comes, illùc venire niſi defuncto filio præpediretur.

Ad eius aduentum renouatus dolor Patrem cum coniuge ad pedes prouolui obſtrinxit, vitamque filio expoſtulare; quam Serui Dei meritis à Deo impetrari poſſe non diffidebant: Ad hęc tunc S. Petrus diuina inſpiratione cōmoueri, locum (vbi Adoleſcens iacebat) ingredi, pronuſque in terram ad orationem proſterni. Hærebant cuncti ad tam celebris Viri ingreſſum, & quòd fama conceperant de virtutis eius efficacia, aliqua nunc experientia comprobatū iri exiſtimabant: Tunc ille exurgens ſuper cadauer ſe extendere, atque os ori, pedes pedibus, pectus pectori applicare; vt ſic factum antiqui illius Prophetæ reuocaret ad memoriam. Et poſtquàm aliquantulùm immobilis in hunc modum mente in Deo ſuſpenſus hęſiſſet, ſtupentibus cunctis ſurgente ipſo, atque recedente viſus eſt Adoleſcentulus ſenſim pedes, manus, oculoſq; mouere, donec ſpiritu omnes partes permeante, viuus è feretro exurgens ad benefactoris præſentiā gratulabundus primus accurreret; mox adſtantes cuncti cum Genitoribus diuinam miſericordiam ad genua S. Petri collaudare tàm vocibus, quàm lachrymis non ceſſabant; quam ille fidei ipſorum, atque Parentum deuotioni adſcribere diligentiùs ſtudebat, atque vt redditam à Deo vitam eiuſdem ſeruitio impenderet; fideliter hortabatur: Hac ratione, cum omnibus ſatisfeciſſet, ſeipſum quamcitiùs per mediam

con-

Digitized by Google

conſiſtentium vndique turbam fugiendo ad Conuentū ſubtraxit. Miraculi fama, Deo operante, in remotiſſimas etiam partes perlata liuorem inimicorum ſanctitatis eius meritò manifeſtiùs retundebat.

Conuocat primum Capitulum, & Deo inſpirante vadit ad Ciuitatem Auilæ, vbi ad eius aduentum Cometa in Cælo viſus eſt. Cap. X.

VVlgata iam per vniuerſam Hiſpaniam fama authoritatis S. Petri de Alcantara, quâ admittere ad ſuum Inſtitutum Religioſos ipſi conceſſum erat; plurimi tàm ad ipſum, quàm ad alios eius Conuentus Religionis cauſa conuolare viſi ſunt, vt relictis Mundi illecebris contemptus ſui, ac paupertatis ſtudium ſeriò amplecterentur. Itaque ille, vt ſuo regimini cautiùs prouideretur; conuocandum Capitulum neceſſe iudicauit ad Cōuentum Lorianæ; quò ſe trāſferre parabat; cùm euocatus ab Epiſcopo Pacis Iuliæ, illàc priùs diuertere ad magni inter Ciues diſſidij compoſitionem compellitur: Hac autem fœliciter abſoluta iter proſequitur alacriùs tota in Deum contemplationis acie erecta; ità quòd nec exceſſiuis æſtiuis caloribus, nec viæ laſſitudine fatigatus deficeret, multis paſſibus ſocium ſuum præcedens. Occurrerat ei, non longè à Pace Iulia, Dux Lermæ cum alijs quibuſdam Proceribus; qui nec curruum ſtrepitu, quibus vehebantur, nec ſalutationum compellatione ad ſe vocare poterant tranſeuntem: Itaque ſubſequentem ſocium de cauſa interrogando, intellexere ſolito mentis exceſſu, non inurbanitatis vitio id eueniſſe. Vndè Viri ſancti nomen magis venerari, atque altiùs virtutis exiſtimationem animis ſuis imprimere didicerunt. Peruenit tandem ad Conuentum Lorianæ, vbi opportuno tempore celebrandæ Congregationis, Fratribus normam quandam viuendi ſatis rigoroſam præſcribens (quam omnes probarunt) ſuper omnia paupertatis obſeruantiam ſtrictiſſimis præceptis inculcauit.

Digitized by Google

Sic ordinato gubernio rediјt ad ſolitudinem Pedroſi, vbi quietem animi orationis ſolatio, aliјſque exercitiјs diſtinguens, in ſpiritu cognouit, quæ Sanctæ Thereſiæ in Ciuitate Auilæ accidebant; nullo enim vocante, aut Deo ſingulariter impellente illùc tranſire viſus fuit, vbi Sancta illa tunc temporis maximis animæ turbationibus angebatur; quemadmodùm ſingulariter in Thereſiæ vita obſeruauit Illuſtriſſimus Epiſcopus Turiaſonenſis D. Didacus à Yepes. Erat tunc S. Mater Thereſia in Monaſterio Incarnationis Carmelitarum Calceatarum variјs ſpiritus anguſtiјs agitata; ita vt quo maioribus è Cœlo fauoribus viſitaretur, tanto intricatioribus doctorum Patrum ſpiritualium dubiјs, atque iudiciјs inuolueretur, iudicantibus nimirùm famulam Dei non à bono genio agitari; ſed potiùs falli: Ipſa verò præ ſua humilitate ac modeſtia verebatur mentis illuſtrationes diuinas contra aliorum obiectiones & dubia, velut certas defendere; ideò eligebat magis (permittente Deo) euentum fœliciorem tolerantia anxietatum animi expectare. Id quod verè cum aduentu S. Petri de Alcantara, de quo ſcribimus, quàm proſperè ſucceſſiſſe, ſequentia geſta demonſtrabunt.

Vix portas Ciuitatis ingreſſus erat B. Pater, cùm in medio die Cometa inſolitus viſus eſt omnium oculis Solis ſplendorem æmulari; ita vt rei nouitate ſtupidi Ciues cauſas inquirere, aut ſignificationes diuinare curioſiùs ſtuderent: At cùm S. Petrum de Alcantara adueniſſe intellexiſſent, omnes ad eum concurrere, atque noui aſtri apparitionem eius aduentus prænunciam eſſe, ingenioſiùs interpretari. Nec fortè falli videbantur; eò quòd dum ipſe Auilæ manebat octo dierum ſpacio nunquàm Cometes defecit, nec niſi ipſo abeunte ille receſſit; tam inſigni videlicet prodigio Serui ſui meritum Deo velut illuſtrante.

Allo-

Alloquitur S. Thereſiam, eamque de Spiritus ſui rectitudine certiorem reddit. Cap. XI.

MOrabatur in Ciuitate Auilæ deuota quædam mulier D. Guiomar de Vlloa filia ſpiritualis S. Petri, cui ſæpiùs S. Thereſia animi ſui afflictiones communicauerat, hæc audito S. Petri de Alcantara aduentu, Thereſiæ eius colloquium efficaciter ſuadet, id approbante quoque eiuſdem Confeſſario; eò faciliùs quò iam dudum Viri ſanctitas omnium vocibus celebrabatur. Ex licentia itaque Prouincialis Thereſia ad Templum quoddam deducitur, vbi S. Petrus eam operiebatur. Hìc D. Guiomar, quæ Sanctam ſequebatur, non obſcurè ex vtriuſque mutua familiaritate iudicare potuit, Spiritus Thereſiæ bonitatem S. Petro de Alcantara probatam fuiſſe; quemadmodùm ex rei geſtæ narratione per ipſam Sanctam facta clariùs conſtabit; ſic ergo illa, cap. 30. vitæ ſuæ.

Quando ego, meliori quo potui modo, declarabam ipſi orationis meæ ſtudium; tunc Sanctus Vir magnam mihi lucem dedit in omnibus, præcipuè quæ ad viſiones pertinebant, quas (cùm non eſſent imaginariæ) intelligere non poteram, quomodò animæ imprimerentur ſine vlla corporei ſenſus operatione, quam ſolam noueram; quàmuis non haberem. De omnibus autem diſtinctè me inſtruxit, aſſeuerando nullam in his illuſionem interueniſſe, monendo vtique; vt Deum laudarem, eiuſque gratiæ reſpondens de certitudine earum fidem ſecuram, at indubitatam haberem. Ipſe porrò ſatis à me ſolatij accipere videbatur, cùm me varijs fauoribus oneratam, ſuorum quoque negociorum participem faciebat; eò magis quòd valdè applauderet meorum deſideriorum feruori, quo ipſe iam longa experientia exercitatus fruebatur. Non enim maior conſolatio ſpiritui cupienti magna accidere poteſt, quàm communicare poſſe cum alio, qui eodem illuſtratus lumine mutuam quandam rerum cœleſtium reddere poteſt intelligentiam; quàmuis mihi videbatur me nondùm tàm ſublimium rerum principia attigiſſe, per quæ tamen ſeruari mihi à diuina pietate humiliter ſuppli-

plico: Summè autem mihi compatiebatur ſuper eo, quòd diceret nihil potuiſſe contingere laborioſiùs, quàm illas contradictiones optimorum pati, à quibus multum adhuc ferendum reſtabat; & quòd non erat in Ciuitate, qui me intelligeret; ideòque locuturum recepit cum meo Confeſſario, alteroque illo Nobili coniugato, qui mihi maximas moleſtias afferebat; eò quòd me ſtudioſiùs coleret, & Deo tota mente adhæreſceret. Quod etiam præſtitit Vir Sanctus, vtrique rationibus perſuadens efficacioribus; vt omne dubium deponendo, ampliùs mihi moleſti non fierent. Quàmuis autem Confeſſario id faciliùs perſuaderet; à Nobili tamen illo difficiliùs obtinuit, nè mihi tantos metus obijciendo, puſillanimem redderet. Hactenùs illa.

Certiores facit Confeſſarium Thereſiæ, alioſque de eius ſanctitate. Cap. XII.

NOn contentus S. Petrus de Alcantara Thereſiam conſolatam reliquiſſe, expediens exiſtimauit vlteriùs Patres eius ſpirituales, alioſque deuotos de ſpiritus eius ſublimitate, atque diuinæ gratiæ donis ſecuriores reddere; quo imposterùm infructuoſis ſcrupulis metum ei incutere deſiſterent. Itaque Confeſſarium eius P. Balthaſarem Aluarez Societatis Ieſu fortioribus rationibus eò perduxit, vt impoſterùm Sanctæ conſolationes cœleſtes, ſuis quoque exhortationibus animaret ad ſublimia. Idem quoque cum D. Franciſco Salzedo efficaciter præſtitit, nè ampliùs Thereſiæ ſpiritum illuſionibus tentatum pertinaciùs defenderet; ſed magis cœleſtibus fauoribus eleuatum, rectiùs in tuto verſari ſibi perſuaderet.

Epiſcopus D. Aluarus à Mendoza auditis aliquot Doctorum iudicijs, ſibi quoque perſuaſum habebat Sanctam illuſionibus tentari; donec argumentis B. Patris in meliorem opinionem pertractus, ſanctitatem Thereſiæ clariùs agnoſceret, atque Deo acceptam religioſiùs coleret. Idem cum alijs S. Petrus effecit, qui Sanctam varijs moleſtijs, & calumnijs vexatam impoſterùm authoritate eiuſdem in ſummo

ho-

honore, ac veneratione habere, virtuteſque eius, ac gratias diuinas debitis præconijs celebrare cœperunt. Hinc quantùm tam famæ atque exiſtimationis, quàm quietis animæ S. Matris Thereſiæ ex S. Petri de Alcantara teſtimonio acceſſerit; ipſius Turiaſonēſis Epiſcopi narratione meliùs declarari videtur; cùm ita ſcribit: *S. Fr. Petrus de Alcantara, Vir ſublimis ſpiritu & oratione, qui ſua induſtria & labore reformauit, & ad perfectiorem ſtatum reuocauit Diſcalceatos S. Franciſci: Vnus fuit ex his, qui familiariùs Sanctam Matrem tractarunt; & qui clariùs introſpexit ſpiritus eiuſdem excellentiam, & vitæ innocentiam. Ipſe fuit, qui ſua authoritate, & ratione Epiſcopum conuicit, atque in Sanctæ fauorem conuertit: Tantam namque opinionem S. Fr. Petrus de Thereſia conceperat, vt aſſeueranter prædicaret, animā ipſius vnam eſſe ex maximè acceptis Deo, & infra fidem nihil certiùs habere, quàm ſpiritus eiuſdem bonitatem. Vndè quoque, diligentiſſimè, eidem in omnibus tribulationibus, atque fundationibus ſuis auxiliares manus porrigebat*; Hactenùs Epiſcopus. Neque diſſimile teſtimonium edidit P. M. Fr. Didacus yBannez Religioſus Ord. Prædicatorum percelebris, & cui per ſex annos Sancta Thereſia confeſſa ſæpiùs ſerenitatem animæ ſuæ, poſt colloquium cum S. Petro de Alcantara habitum, liberiùs manifeſtarat.

Vocatur ad Aulam Valliſoleti reſidentem, de his quæ ibi contigerunt. Cap. XIII.

REuerſus iam Pedroſum S. Petrus de Alcantara ad inſpiciendos nouos Conuentus, quos conſtruebat Comes Oropeſæ, perrexit; timens nè fabricando magnificentiùs modum iuſtæ paupertatis exceſſiſſet: Indè Lorianam excurrens, Fratres ibi degentes in Profeſſionis feruore animabat; atque ad cęteros Conuentus in Galitia, Cuſtodem viſitationis cauſa deſtinauit.

Vocatus inter hęc à Sereniſſima Infante D. Ioanna de Auſtria Imperatoris Caroli Quinti filia, ac Regis Philippi Secundi ſorore; ob ſanctitatis famam ſumma cum veneratione

ab eadem excipitur; quàmuis non diù in eadem Valliſoletana Aula moram trahere operam daret. Viſitauit tamen quaſdam Religioſas Franciſcani Inſtituti illùc ex Gandia translatas; quas paulò poſt eadem Infans in quoddam Monaſterium ſanctitate perilluſtre Madriti incluſit, vbi florent adhuc titulo Diſcalceatarum Regiarum. His magnam paupertatis, proprijque contemptus ęſtimationem pręter alia ſpiritualis ſcientiæ documenta impreſſit, ſuęque virtutis memoriam pręclaram reliquit.

Inuitatus à quibuſdam Ciuibus fœminæ cuiuſdam ægrotantis domum acceſſit, vt pro vicina morte ſolatium aliquod adferret. Cùmque feruentiùs eandem verbis, ac ſermone ſpirituali alloqueretur, in extaſim raptus omnes adſtantes in ſui pariter admirationem rapiebat, dùm obſeruando eum labia mouere, curioſiùs audire cupiebant, quæ tunc verba proferret. Videbatur autem dicere; *Parùm in Purgatorio manebit*; Quod ad ſe reuerſus nequaquàm interrogantibus repetere voluit; ſed exeundo è medio eorum, qui ipſum honoribus proſequebantur, ad mulierem animam efflantem dixit: *Deus te perducat anima benedicta*. Ex quo omnes fœlicem morientis ſtatum augurando, Sancti Viri pietatem ſummis laudibus extollebant, eiuſque affectione magis capiebantur.

Pedroſum reuerſus, ibidem dùm Miſſam celebrat, inſigni miraculo à Deo honoratur. Cap. XIV.

PEdroſo iam redditus aliquot iuuenes inuenit, quos Inſtituti ſuſcipiendi cupidos (explorata priùs vocationis efficacia) ſuorum numero adſcripſit; Deo gratias referens, qui exiguam ſuam familiam creſcere quotidiè faciebat.

In eiuſdem Oppido vltimum Paſchatis feſtum ſolemniùs celebrari iam dudùm vſu inoleuerat; vndè Oppidani ſingulari erga S. Petrum de Alcantara affectu, ad decantandum Sacrum inſtantiùs inuitarunt, ipſeque acceptauit. At cùm hæc fama ingentem vicinorum multitudinem vndiquè exciuiſſet,

uiſſet, inuenta eſt loci Eccleſia neque tertiam partem capere; ita vt expeditiùs viſum fuerit Altare quoddam in aperto campo erigi, vbi vniuerſus Populus Sacro adeſſe commodiùs poſſet, atque aſpectu Serui Dei, ampliùs conſolari. Quod ſanè tunc maximè fieri omnes ſentiebant, cùm præſentia deuoti celebrantis non lachrymas modò elici ſibi; ſed & intimas cordis in Deum affectiones ſuſcitari efficaciùs agnoſcebant.

Sed inimicus homo, qui deuotionis fructum impedire machinabatur, breui effecit; vt poſt decantatum ſymbolum aer, tunc maximè ſerenus, turbari viſus ſit; & commotus validiſſimus ventus, imbrem denſiſſimum, fulgura, turbineſque, ac tonitrua vndiquè excuteret; adeò vt turba commoueri inciperet & aliqui in tutū ſe recipere deliberarent. At verò immobilis S. Petrus de Alcantara feruentiùs in diuini Miniſterij officio perſeuerans, hortatur Populum, nè vllatenùs dubitet, nec in pietate deficiat; ſed vt Parochus exorciſmis Eccleſiæ tam furenti tempeſtati occurrat. Quando (mirabile viſu) obſtupeſcentibus omnibus circumuicina loca fulgure corruſcare,atque cadente de Cœlo pluuia inundari campus cernebatur; ſolùm illud loci ſpatium, vbi turba ad Miſſæ ſacrum perſeuerabat, nè aquæ quidem gutta, nec venti minima vis attingebat; ita quòd nec cerei in Altari extinguerentur, nec vltimi adſtantium in aliqua veſtium parte ſe madefactos ſentirent. Tam inſigni miraculo perculſi omnes, finito ſacrificio, ad S. Petri amplexus certatim ruere, vt vel habitum, vel pedes, vel manus attingerent; quibus ille humili oratione occurrebat, monendo diuinam miſerationem tunc maximè ſe piorum ſupplicationibus, ac deuotioni promptam exhibere voluiſſe; cùm omnes conſtanti fiducia in eius religioſo cultu perſeuerantes reſpexiſſet: Sicque vlteriùs ad Dei ſeruitium ſuauiter cohortando, ſe ipſum acclamationibus perſtrepentibus, atque venerationi irruenti, paulatim ſubtraxit; omneſque diuinis laudibus intentos, magis quàm commeſſationibus, aut alijs feſtorum corruptelis addictos reliquit.

caſio, qua Populorum ardentiſſimis eum audiendi deſiderijs ſatisfaceret: Poſtquàm verò per aliquot diernm moram multas ad Deum animas conuertiſſet, præmiſit ad Conuentum ſocium, quem panis eleemoſinam ab vtroque conquiſitam aſportare, atque ſequenti die reuerti iubebat. Abijt ille, nec propter continuas pluuias ſtato die adeſſe potuit, nec S. Petro de Alcantara à Nobilibus loci per quinque continuos dies (quibus durauit pluuia) permiſſum fuit eum ſequi, vt cupiebat. Illa autem aliquantulùm ceſſante viam ingreſſus tam luto, quàm torrentibus ſatis moleſtam, peruenit tandem ad fluuium Almonte, quem aquis tunc vltra ſolitum exundantem circumire vltra ſex milliaria, quò pontem peteret, neceſſum habebat: At cùm rectà adijſſet, non minori facilitate, quàm olim alios duos, tunc eundem tranſiens fatigatus nimis ad Conuentum ſerò acceſſit.

Hinc obſtupefacti omnes B. Patrem tam inſperatum adueniſſe, viæ atque traijciendi fluminis modum minutiùs exquirebant. Quibus cùm ſe ſatis proſpera cuncta inueniſſe, flumen vix genua attingentem rectà tranſijſſe narraſſet; hæſere magis attoniti, atque ſequenti die ad locum curioſiùs ſcrutandum abire meditabantur. Inuenerunt autem flumen aquarum torrente rapidum vltra ſex cubitorum altitudinem tanta vi fluere, vt etiam altiores arbores ſecum euulſis radicibus abriperet: Vndè rei difficultate probè ponderata manifeſtiùs miraculi fidem ad Serui Dei gloriam euicerunt.

Aliud non minus quàm hoc ei ſtupendum ſucceſſit, cùm aliquandò Alcantaram iret negocium quoddam pro Dei gloria procuraturus. In hoc difficili, longoque itinere ſocius eius P. Michael à Catena offendens ad ſaxa crus vulnerauerat; ita quòd in domum quorumdam benefactorum loci de Porticello delatus, ibi ad illud curandum remanere cogeretur; at S. Petrus de Alcantara die ſequenti vltra progrediens ſubſequi eum commodiùs iuſſit vſque ad Algarrobillas ſex indè milliaria diſtantem, quò negocij cauſa præcedere neceſſum habebat. Tardiùs autem hanc viam ingreſ-

greſſum, (quæ ob aquarum inundationem difficilior euaſerat) nox quaſi obſcura prope Tagum deprædhendit. Creuerat hic adeò imbrium copia; vt traijci nequaquàm poſſet ſine nauigio, quòd tunc ex altera parte hærebat ad litus: Placuit tunc omnipotenti Deo, vt ex illa parte lucidiſſimus radius effulgeret, quem ſecutus S. Petrus de Alcantara velut præſentium oblitus, rectà in aduerſam ripam ſuper vndas quaſi ſolidam humum ſicco pede tranſiuit; mox propinquum tugurium vectoris accedens precabatur, vt ſuo nauigio per flumen tranſmitteret, quò ad Algarrobillas ducitur: Hic verò ſuſpicatus B. Patrem fortè ex inedia delirantem talia poſtulare (quæ ſtulta erant) obtulit liberaliùs pro illa nocte hoſpitium, vt illuceſcente die agnoſceret ſe iam flumen traieciſſe, nec locum (quò tendebat) longè abeſſe: nocte igitur tranſacta cuncta S. Petro clariùs patebant, quando mirabili ſe Dei auxilio aquas tranſgreſſum ſumma cum humilitate cordis gratis oculis reſpiciebat. Eodem die iam quaſi declinante ſubſecutus ſocius de B. Patre vectorem interrogabat, qua hora præcedentis diei eum tranſuexiſſet: Illo verò pernegante ſe Religioſum vllum conduxiſſe, ſed quemdam apud ſe illa nocte hoſpicio quidem receptum, qui Algarrobillas petebat; Fr. Michael rei ſucceſſum ſuſpicatus, miraculi excellentiam cum vectore illo collaudauit; tantęque B. Petri ſanctitatis reuerentiam menti ipſius impreſſit, vt idem omnibus enarrando, quibuſdam ſæpiùs dicere ſoleret; *quare vos non tranſitis aquam ſine nauigio, vt fecit Sanctus Fr. Petrus de Alcantara.*

S. Mater Thereſia ſcribit S. Petro de Alcantara nouas ſuas tribulationes, pro quibus eam conſolatur. *Cap. XVI.*

POſtquàm B. Petrus cunctis Auilæ Ciuibus eminentiam ſpiritus, ac virtutis Thereſiæ manifeſtaſſet, non ſolùm ab iiſdem coli; verùm etiam apud remotiores Hiſpaniæ Populos in ſumma veneratione, atque ſanctitatis opinione haberi

beri incœpit. Eodem quoque tempore Sancta frequentiùs à Deo viſitata diuinis fauoribus, atque viſionibus varias animæ delicias ſentiebat; quæ ideò etiam eam magis anxiam tenebant, quòd populari exiſtimatione, diuiniſque gratiæ donis abundans dubitaret, nè timoris frœna remiſiſſet incauta, aut nimis tumida indè videri poſſet. Augebant anxietatem amici ſpirituales, qui licet ſecuram interno lumine de cœleſtium gratiarum veritate, tamen ſuſpenſam tenebant tot ſuſpicionibus, quas obijciebant; nè illuſio aliqua ſubrepſiſſet: Premebatur vlteriùs maiori dubio, ſi fortè B.Petro diſtinctiùs animæ ſuæ ſtatum aliquando explicaſſet, atque viſionum circumſtantias ſatis dilucidè aperuiſſet; vndè iudicij eius perſpicacitatem falli potuiſſe nimis anxiè metuebat. Conſulendum itaque vlteriùs ſtatuit ſcribendo literas, quibus intima cordis (quo explicatiori modo poſſet) ei aperiret, atque cenſuram eliceret.

Hac epiſtola ad S. Petrum de Alcantara perlata, apertiùs cognouit nihil vltra Sanctæ Matri difficultatis obuenire, præter illud, quod ipſi in colloquio (cùm Auilæ fuerat) declarauerat: Ideòque vt faciliùs contradicentium moleſtijs obuiuiam iret, ſuique ſpiritus quieti ſecurior ſtuderet; documenta quædam ſpiritualia triginta duobus capitibus præcipuè collectis ſcripto tranſmiſit. Quibus Sancta Virgo mirabiliter confortata omnem cordis afflictionem, mentiſque perplexitatem ſecurior excluſit: Et quia hæc ipſa cœleſtem quemdam theſaurum continere videntur, non ex re modò publica; ſed & gratiſſimum plurimis futurum exiſtimo, ſi hìc diſtinctè approbationem Sancti Viri, qua ſpiritum Thereſiæ à Deo fuiſſe, ſolidè aſſeuerauit, ſubnectamus; iuxta authographum, qui in Monaſterio Incarnationis Auilæ ſeruatur.

1 *Finis Dei eſt animam ad ſe conducere, Sathanæ verò eam à Deo abſtrahere; Deus numquàm timores incutit, qui aliquem à ſe repellunt, nec Sathanas eos, qui ad Deum compellunt: Omnes viſiones, aliaque res, quæ animæ contingunt, magis eam ad Deum conducunt; cùm efficiunt magis humilem, obedientem &c.*

Do-

2 *Doctrina eſt D. Thomæ, aliorumque Sanctorum, Angelum lucis agnoſci ex pace & quiete, quam in anima relinquit; Vndè neque ipſa ſentiebat tales fauores, niſi in ſumma pace, atque lætitia, quæ omnes ſimul terrenas, vel in puncto ſuperat, atque excedit.*

3 *Nullum defectum, aut imperfectionem committebat, de quibus non repræhenderetur ab illo, qui interiùs ei loquebatur.*

4 *Nunquàm petijt, aut deſiderauit tales res; ſed tantùm operam dabat voluntati Dei in omnibus placere.*

5 *Quicquid ipſi Dominus dicebat, conforme erat ſacris Scripturis, & doctrinæ Eccleſiæ; nec vlli rigori etiam ſcholaſtico contrarium.*

6 *Habet maximam animæ puritatem, ſinceritatem, & feruentiſſima deſideria placendi Deo; nec propterea quicquam terreni curat, aut in precio habet.*

7 *Dictum ipſi erat, concedendum fore quicquid à Deo peteret, dummodò iuſtum eſſet. Quorum autem effectum, & experientiam obtinuit, nimis longum foret hic cathalogum inſerere, aut deſcribere.*

8 *Quando ſimiles res à Deo ſunt ordinatæ, ſunt & in vtilitatem vel propriam, vel aliorum: Et ſic de ſuo profectu habebat experientiam; nec minùs etiam de aliorum.*

9 *Cum nemine communicabat, quem res eius non commonerent, licet de ijs non loqueretur.*

10 *Quotidiè creſcebat in profectu virtutis, inſtructa ſemper de maiori perfectione; & hac ratione ſecundum modum à D. Thoma obſeruatum, toto tempore ſuarum viſionum augebatur ei earumdem rerum claritas.*

11 *Numquàm ad ipſam facetiæ, aut res friuolæ referebantur; ſed quæ ad ædificationem tantùm pertinebant.*

12 *De quibuſdam dictum ei erat, quòd à malis Spiritibus obſidebantur; ipſa tamen cognoſcebat, quomodò ſe haberet anima, quæ Deum lethali peccato offendit.*

13 *Mos eſt Diaboli decipientis monere, vt taceatur quicquid ille ſuggeſſerit; ſed ipſa ſemper ſua cum Viris doctis, ac timoratis omnia conferebat, & aliàs decipi ſe poſſe à Maligno valdè timebat.*

Adeò

14 *Adeò anima ſua in omnibus his proficiebat, vt ædificatione quoque alias ad imitationem compelleret; dum in Monaſterio (vbi degebat) vltra quadraginta Monachæ eius recollectionem imitarentur.*

15 *Res verò iſtæ inſolitæ contingebant ei poſt diuturnam orationem, & mentis in Deum eleuationem; qua eius amore accenſa ſanctiſſimam Comunionem ſuſcipiebat.*

16 *Accendebant quoque deſiderium perfectionis; & nè à Sathana decipi poſſit, impediunt.*

17 *Efficiebant in ipſa profundiſſimam humilitatem, & cognitionem ſui ipſius; qua nihil ſe poſſe intelligebat, nec niſi à diuina Largitate omnia prouenire.*

18 *Quando his rebus carebat, omnia alia (quæ offerebantur) ei moleſta erant; quando verò illas habebat, nulla ei aliarum rerum memoria occurrebat, præter ſummum deſiderium patiendi; quo adeò delectabatur, vt explicare non valeret.*

19 *Solebat quoque lætari de ſuis tribulationibus, atque murmurationibus, & in his ſeipſam conſolari. Infirmitates patiebatur grauiſſimas; vt cordis, vomitus, dolorumque variorum, quibus (cùm viſiones habebat) liberari ſe ſentiebat.*

20 *Studebat nihilominùs pænitentiæ exercitijs, ieiunij, diſciplinæ, atque mortificationi.*

21 *Res tam proſperas, quàm aduerſas æquo ſemper animo, ac pacifica mente ſine interiori turbatione vlla ferebat.*

22 *Propoſitum adeò firmum habebat non offendendi Deum, vt verbo ſe obſtrinxerit non negligendi, aut omittendi quamcumque rem, quam ſciuerit, aut audierit eſſe de maiori perfectione: Ita vt mihi dixerit, licet pro perfectis haberet Patres Societatis, quorum doctrina in via hac ſpirituali profeciſſe ſe fatebatur, atque ad illum gradum gratiarum perueniſſe; tamen ſi certiùs cognoſceret, maiorem perfectionem fore cum illis non communicare, id promptiſſimè ſe facturam, nec ampliùs eos viſuram, quibus mentis quietem debebat.*

23 *Guſtus atque affectiones eius de Deo explicari non poſſunt; adeò vt in eius amore quaſi liquefacta, integros dies immobilis permaneret.*

24 Cùm de Deo cum pietate, ac efficacia loqui intelligebat, ſæpiùs in extaſim rapiebatur, nec id impedire poterat, excitando hac ratione plurimos ad deuotionem.

25 Aegrè fert quoſcumque ſibi familiares, qui ſibi defectus ſuos non manifeſtant, aut non reprehendunt. Correctiones verò ſumma cum humilitate amplectitur.

26 Valdè quoque ei diſplicet, quòd vnuſquiſque ſecundum gradum ſui Inſtituti non ſtudeat ſummoperè eiuſdem perfectioni.

27 Supra modum affinium, aliorumue ſecularium conſuetudinem fugit, amica ſolitudinis. Magnam erga Sanctos venerationem habet, eorumque feſta, & cætera Myſteria (quæ Eccleſia repræſentat) deuotiſſimè celebrat; præter altiſſimos de Deo conceptus, quibus illuſtratur.

28 Quando aut Patres Societatis, aut alij quicumque Serui Dei dicebant ipſi ante viſiones, quòd à Dæmonio illuſa eſſet, tota contremiſcebat, atque timebat: At poſtquàm in oratione, & mentis quiete Deo fruitur, aliũ quàm eum loqui, perſuadere ſibi non poteſt, etiam ſi in fruſta ipſam diſcerpant.

29 Conceſſit ei Deus animi conſtantiam, atque fortitudinem indicibilem: Vndè priùs timida, nunc Dæmonijs terrori eſt. Longè abeſt à quiſquilijs muliebribus, nec ſcrupuloſa nimis, ſed rectiſſima.

30 Ad hæc dedit ei Deus ſuauiſſimum lachrymarum donum, ſummam proximi compaſſionem, cognitionem integram ſuorum defectuum, magnam exiſtimationem bonorum; & ſui ipſius contemptum. Et dico pro veritate multos ipſam iuuiſſe, inter quos & ego ſum.

31 Semper in memoria Deum habebat, & eius præſentia cognitionem: Neque vnquàm ipſa dicere quicquam audita fuit, quod effectu comprobatum non extiterit; id quod pro magno argumento habendum videtur.

32 Omnia iſta efficiebant in ipſa magnam intellectus claritatem, & in rebus diuinis lucem admirabilem.

33 Dictum ei fuit, vt moneret contradicentes ſibi, ſcrutentur ſcripturas; in quibus non inuenient aliquam animam Deo conſecratam, atque ſeruitutis eius auidam, quæ vnquàm tam longo temporis ſpatio fuerit decepta.

S.Pę-

S. Petrus miraculoſè extinguit ignem accenſum in Conuentu nouo Roſarij; Et vt ſuccurrat neceſſitati cuiuſdam nobilis fœminæ, diuina virtute in duobus locis eodem tempore reperitur.
Cap. XVII.

ABſoluta iam fabrica noui Conuentus à Roſario dicti, S. Petrus de Alcantara eò ſe tranſtulit; vt collocando ibidem Sanctiſſimo Sacramento Altaris adeſſet: Ad cuius etiam proceſſionem, atque Miſſam à Beato Patre celebratam, Comes de Oropeſa, alijque plurimi conuenerant. Cœperat etiam Conuentus ſub cura P. Franciſci à Galiſteo Guardiani omni pietatis, atque virtutis ſtudio florere; adeò vt (quod omnibus, ipſique Beato Patri gratum valdè habebatur) id Dœmonijs cauſam præberet, operam dandi eiuſdem Cõuentus initia vna ſi potuiſſent vice, vel excitato igne deſtruere; Itaque quodam die flamma vorax, fortè accenſa appropinquabat Eccleſiæ; ita quòd Religioſi B. Patrem ibidem orantem accedentes, ſacra Myſteria transferre inſtigarent; cum ipſe nè dubitarent, reſpondens citò affuturum auxilium eius, cui ſe ſeruire profitebantur, promiſit. Mox egreſſus ad propinquum Eremitorium, vbi incendium graſſabatur; velut maiori incendio intus ardens (Deo ſic mouente) flammam tunc rectà ingreditur, atque indè tabulas aliquas correptas proiecit in medium. Mirum viſu, quod ſtatim quaſi ipſo imperante flamma decreſceret, nec ipſi, nec cuiquam alteri rei vltra noceret, donec breuì extingueretur.

Indè reuerſo Pedroſum litteræ à Principiſſa D. Ioanna de Auſtria traduntur, quibus Madritum vocatus abiuit quampromptiſſimè: Attamen non eadem facilitate acquieſcere potuit illi (qua vrgebatur) inſtantiæ, curam ſuſcipere Monacharum; quas ſupra narrauimus à prefata Principiſſa in regali Parthenone fuiſſe collectas. Cupiebat namq; deuota Principiſſa, vt primæ tam nobilis Monaſterij plantæ ſan-

ſtitate, atque prudentia S. Petri de Alcantara irrigatæ, formæ exiſterent aliarum; quæ ſucceſſu temporis locum illum adeò illuſtrem pietate exornare debebant perfectionis profeſſione. Excuſabat ſe igitur S.Petrus ex nouæ Reformationis occupatione, cui tunc maximè inuigilare neceſſum habebat; licet negare nõ poſſet aliquem ex ſuis ijſdem directorem concedere; pro vt paulò poſt miſit P. Bartholomęum à S. Anna magnæ virtutis, & ſcientiæ Religioſum. Viſitabat intereà ſæpiùs eaſdem Virgines, atque documentis ſpiritualibus tùm ipſas, tùm earundem Patrem ſpiritualem ſufficienter inſtruxit; quæ ipſis tanquàm à cœleſti Magiſtro dictata inpoſterùm firmiter hęſerunt, atque in pretio habita.

Gratum hoc adeò pręfatæ Principiſſæ officium extitit, vt & in fundatione auxilium, & in protectione Conuentuum ſuum fauorem impenſiùs exhibuerit; nec promiſſum ſine effectu fuit, cùm prope diem ijdem Conuentus reformati ex decreto Conſilij regij antiquis ſuis Prouincijs coniungendi, interceſſione tamen atque authoritate pręfatæ Principiſſæ in ſuo ſeparato gubernio, ac inſtituto perſeuerare permiſſi fuere..

Dum itaque S. Petrus ob varias deuotorũm diſtractiones Madriti diutiùs detineretur, allata fuit Bulla Summi Pontificis pro publicando Iubilęo: Huius aſſequendi deſiderio fœmina quędam nobilis, ac Domina loci de Grimaldo nomine D. Eluira Carauajal, filia ſpiritualis S.Petri de Alcantara valdè de eius pręſentia ſollicita, quòd nulli alij quàm ipſi conſcientiæ ſuæ latebras aperire ſolita, tunc maximè recuſabat; at quia diſtantia locorum impoſſibile, ac vanum eius votum reddere videbatur, mariti ſuaſionibus, atque exemplo nè quicquam moueri poterat; vt alteri Patri tunc ad ſe vocato confiteri vellet; licet ſequenti die pręſcriptum tempus expiraret. Vndè dum his perturbationibus tota familia mœſta hęrebat, ecce quòd præter ſpem aduenienſ S.Petrus de Alcãtara omnes & lętitia & ſtupore repleuit, ipſamque Dominã præ gaudio quaſi exanimem ad pedes ſuos prouolutam ſic ille ſeueriùs alloquitur. *Filia, nè vobis impoſte-*

Digitized by Google

poſterùm aliud ſimile huic contingat, ſed cuicumque Confeſſori nè recuſetis conſcientiam veſtram aperire; quia manifeſto vobis, quòd me hùc venire Madrito feciſtis itinere nimis longo atque laborioſo, ſolùm vt ſolatium vobis afferrem, & participem fieri curarem magni huius theſauri, qui per Indulgentiam ſanctam aperitur. Ad hęc humillimis gratijs reſpondens deuota fœmina, magna animi conſolatione & confeſſionis, & Iubilæi officium expleuit; magiſque cognouit ſingulari Dei virtute S.Petrum tunc Madriti exiſtentē vel ad ſe miraculosè tranſlatum, vel in duobus locis eodem tempore corpore pręſentem extitiſſe. Cuius etiam ſucceſſus ratio omnibus deuotis, tunc Sancti Patris meritum notabilius commendauit, eiuſq; venerationem plurimùm auxit.

S. Petrus de Alcantara confirmatur Commiſſarius generalis; Venit Romam, & quæ illi ibidem contingunt.
Cap. XVIII.

ABſoluerat iam S.Petrus tres annos ſui Commiſſariatus, quo durante varias literas ad Generalem Cōuentualium ſcripſerat de ſtatu,atque progreſſu nouæ Cuſtodiæ à ſe frequenter viſitatæ: Tandem nouiſſimis literis negligentias ſuas deprecatus Anno 1559. Generali officij ſui terminum denuncians ſupplicabat; vt alteri Religioſo zelanti Cuſtodiam iſtam committeret, qui defectibus ſuis ſupplendis ſufficeret. His obteſtationibus Generalis occurrens,S.Petrum de Alcantara nouo diplomate ad ſubſequens triennium cōfirmat, & ſingulari epiſtola ad cœptæ vigilantiæ ſtudium indulgentiùs extimulat. Quod conſilium tantùm effecit, vt omnium de hac confirmatione applauſus, experientia quoque fœlicis ſucceſſus ſimul comprobarent id ipſum à Deo fuiſſe prouido Generali opportunè immiſſū. Vix enim vulgata illius confirmationis fama & inſurgentibus contra Dei ſeruum, eiuſque familiam nouis perſecutionibus ijſdem opponi, atque ſufficere potuiſſe ſolam B. Petri ſanctitatem atque prudentiam, rerum euentus fœliciter comprobauit.

Hinc

Hinc quia vndique prędictæ oppoſitiones inualeſcebant, poſt longam orationem, atque deliberationem, ſubſtituto ſibi Viro graui atque regimini idoneo, Romam contendit; Vicarij Chriſti in terris oraculum conſulturus; vt voluntatem Dei explorando eandem magis compertam ſibi haberet, vt dicebat. Acceſſit itaque Vrbem circa finem Martij eiuſdem anni, & à Generali Conuentualiũ perbenignè exceptus, eidem negocij grauitatem exponendo ſubſidij, atque fauoris liberalitatem elicuit: Viſitatis intereà ſæpiſſimè ſanctis locis, ſtata die ad pręſentiam Pontificis tunc Pauli Quarti admiſſus fuit. Pontifex hilari vultu eum ſuſcipiens virtutis, ac famæ perſuaſione omnia ſe conceſſurum promiſit; eò magis quòd modeſtè de iniurijs ſuæ familiæ illatis illum conqueri audiret. Dein fortiùs in diuini cultus, atque Regulæ zelo animatum, paternaquè benignitate conſolatũ dimiſit; commendans vt grauiſſimas ſuas pro Republica Chriſtiana curas, feruentioribus precibus apud Deũ ſubleuaret.

Expeditum fuit igitur ſuper his negocijs Breue ſic incipiens: *Paulus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Petro de Alcantara reformatæ vitæ Ordinis Fratrum Minorũ Conuentualium nuncupatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionẽ. Cùm à Nobis petitur quod iuſtum, & honeſtum eſt; tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis; vt id per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Sanè pro parte tua Nobis nuper exhibita petitionis ſeries continebat; quod cùm dilectus filius Iulius Magnanus &c.* hìc referuntur authenticæ Literæ Generalis. Et inferiùs: *Nos igitur tuis iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, præmiſſa & ſingula per præfatum Generalem &c.* Quo Breui vltra confirmationem triennalem à Generali factam concedebatur licentia eiuſdẽ Cuſtodiæ Religioſis S. Petrum de Alcantara reeligendi in Officio: Patribus quoque Prouinciæ Sancti Iacobi iuriſdictio in eandem Cuſtodiam diſtrictè interdicebatur; dabatur denique facultas eligendi ex ſuo Inſtituto Prouincialem, cùm ad ſufficientem numerum & Fratres, & Conuentus excreuiſſent.

Digitized by Google

ſent. Et quò diuinæ voluntatis certiorem S. Petrum Pontifex redderet; decreuit vt Breui ſuo inſeri deberet clauſula, qua virtute Sanctæ obedientiæ Commiſſariatus illud munus ei iniungebatur.

Tot fauoribus Pontificijs confuſus S. Petrus de Alcantara certò ſibi de diuina voluntate perſuaſum ibat, eidem Reformationis opus placere. Quamobrèm vt futuris difficultatibus ampliùs prouideretur, vltra pro Iudicibus earundē in Hiſpania nominandis, vltimo apud Pōtificem acceſſu humiliter ſupplicauit. Hanc proindè gratiā obtinuit per aliud Breue, cuius placet hìc initium ſubiungere: *Paulus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filijs Priori de Magazela nullius Diœceſis, & Archidiacono de Valdeminorum locorum, ſeu terrarum Tudenſis Diœceſis reſpectiuè; ac Alphonſo Dauila Canonico Doctorali Abilienſis Eccleſiæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilecti filij Petri de Alcantara, reformatæ vitæ Ordinis Minorum Conuentualium nuncupatorum Profeſſoris, nuper oblata petitio continebat; quod cùm dilectus filius Iulius Magnanus &c.* Quibus expeditis non obſtante æſtiuo calore ad confirmandos Fratrum ſuorum animos, atq; Reformationis opus proſequendum, quàm citiſſimè redire in Patriam properauit.

Reditus Pedroſum, vbi baculus ab eo terræ infixus conuertitur in ficum. Cap. XIX.

PLacuit Deo ſingulari, atque miro ſucceſſu Serui ſui ſudores velut præmio quodam particulari abſtergere, dū poſt fœlicem reditum eius Pedroſum, omniumq; ſuorum ſūmas congratulationes, conſtantem Serui ſui virtutem hoc modo illuſtrare dignatus fuit. Perambulabat S. Petrus de Alcantara quadam die arboretum quoddam à ſe olim in hoc loco plantatum; iam verò adultum innixus baculo (quē ſecundò Romam reportarat) tunc ad illum Guardianus: *Pater,* inquit, *non inutile videbitur, nec fruſtrà erit te inter has arbores ficulneam aliquam plantare, cuius fructu aliquando Religioſi,*

ligioſi huius Conuentus pro collationibus hybernis uti expeditiùs poſſint. Ad quæ S. Petrus quaſi præcepto Guardiani obſtrictus, oculos in Cœlum attollens atque aliquandiù ſuſpenſus, quaſi indè conſilium petens; baculum (quem tunc manu tenebat) deuotè terræ infigit. Sed infudit illo inſtanti Deus virtutem, vt etiam ſine cortice radices agens, ramuſculos ac frondes emitteret, ex quibus opportuno tempore fructus colligi poſſent.

Tam inſigni miraculo obſtupeſcentem Guardianum S.Petrus de Alcantara ad collaudandum Deum reuocat; & obedientiæ meritum euidenti præmio compenſare eundem voluiſſe humiliter excepit, quò operis gloriam à ſe maximè auerteret. Sed non potuit intra ſepta Conuentus claudi, quod multorum deuotionem è longinquo accerſeret; tam ad videndum arborem, quàm ad probandum fructus eius virtutem, quam Deus pro multorum morborum medela ſimul infuderat. Hinc conſuetudine adhuc perſeuerante Reginis Hiſpaniarum quotannis caniſtrum hoc fructu plenum tranſmitti ſolitum,& deuotioni aulicarum virginum,& aliorum infirmitatibus, antiqui ſucceſſus fidem mirabiliter confirmat.

Inter plurima verò, quæ annotari poſſent,id notabile cuidam nobili fœminæ ex Ciuitate Caurij contigit; vt continua febri,ac deinceps tiſi laboranti amica quędam eius tres ex illa arbore ficus afferret, atque ex deuotione Sancti Viri manducandos porrigeret. Infirma autem priùs quidem paululùm addubitans; mox integra fiducià prædictos ficus deguſtans; ſenſim & conſolari, & viribus augeri, tandem breui tota conualeſcere non ſine plurimorum admiratione viſa fuit:

Mirum quoque eiuſdem arboris ramos in eodem horto, aut alibi plantatos; fructus colore, ſapore, atque magnitudine diſſimiles producere, quaſi priuilegium quoddam particulare arbori à Sancto Viro plantatæ diuina diſpenſatione largiente. Alterum quoque non inferiùs; quòd excisis tot ramis ad conficiendas cruces, aliaque vaſa, quæ pro deuotio-

uotione extra Hiſpaniam etiam deferuntur; ipſa arbor nequaquàm minui, aut deficere cernitur ſuccreſcentibus quotidiè alijs, atque alijs.

Aliquot annis poſt glorioſum tranſitum B. Petri de Alcantara, hortulanus quidam Conuentus de Arenas Frater Alphonſus de Sancto Martino, pœnitentiæ exemplar inſigne; cùm exhumando corpori Beati Viri operam ſuam impendiſſet, vt in decentiori loco reponeretur; non fruſtrà obſeruabat gratias atque miranda, quæ per terræ huius ſepulchri virtutem deuotis conferebantur: Vndè obtenta à Prouinciali licentia Pedroſum petijt, vt ramum arboris à Beato Petro plantatæ in hortum ſuum transferret, eumque inter duo ſaxa, tribus tantùm terræ eiuſdem cophinis contexit; reliquam curam Sancto commendans. Non defuit pietati præmium, cùm viſa eſt arbor in dies creſcere, atque in ramos, & fructus dilatari; quorum virtus pro infirmitatibus ſanandis, radicem ſuam æmulata, neſcientibus originem, dubium aliquod iniecit; an hæc, vel illa arbor baculus ille fuiſſet, quem manu Beati olim plantatum ſupra enarrauimus.

Paucis inſuper ab hinc annis contigit in Conuentu Pedroſi ex ficu prædicta ramum quemdam præſcindi pro cruce conficienda, in cuius rami medulla cuſpis inuenta fuit, quam extremitati baculi affixam creſcente arbore in ligni ſecretiora tranſijſſe, tam mirum, quàm notabile multorum obſeruatione haud indignum fuit.

Promouet Reformationem Carmelitarum Diſcalceatarum, quam Sancta Mater Thereſia ſuſceperat. Cap. XX.

IMmiſerat iam dudùm Deus in cor Sanctæ Thereſiæ; vt Ordinis Carmelitarum Inſtitutum (ſub quo viuebat) ad rigidiorem Obſeruantiam reuocare intenderet: Ideò quia arduum ſatis negocium fore præuidebat; B. Petrum de Alcantara tunc Roma reuerſum diligentiùs per literas conſulit; vt quem ſpiritualis ſuæ vitæ aliquando agnouerat diui-

num Magiſtrum, eum etiam nunc in maioris operis aggreſſione haberet tanquàm cœleſte oraculum. Cognouit verò B. Pater diuinam inſpirationem, poſtquàm ſupremam eius Maieſtatem per aſſiduas orationes de hoc negocio ſecretiùs conſultaſſet; ideòque reſcribens Sanctæ Virgini animum addidit, nè quibuſcumque contradictionibus cederet, & vrgere propoſitum (quod pro Dei gloria incœptum) inſtantiùs ſuaſit; commendare inſuper patrocinio Sancti Ioſephi, cui etiam ſuæ qualiſcumque Reformationis augmentum inter tot aduerſa debere ſe, fuſiùs enarrabat. Indè confirmata Virgo efficaciſſimis eiuſdem rationibus omnes ſe difficultates ſuperaſſe exiſtimabat; eò magis quòd vlteriùs (fauente diuino Numine) S. Petrum de Alcantara Breuis ſui cauſa Auilam venire, etiam huius negocij coadiutorem habere fœliciùs promeruit.

S. Petrus itaque Auilæ ſummis omnium applauſibns exceptus, hoſpicium ſibi in domo D. Franciſci de Salzedo ſingulariter elegit: Mox exhibito Pontificio Breui Canonico, cui dirigebatur, eius acceptationem, atque fauorem ſingulari beneuolentia elicuit. Indè Sanctam Thereſiam inuiſens conſilio, atque opere eidem ſe promptum exhibuit; ad quod etiam D. Guiomar inſtigabat, ſuadendò vt Breue aliquod à Pontifice procuraretur, cuius authoritate occaſioni (quam Deus illicò prouidiſſet ad opus promouendum) manus & vim admouere ſecuriùs poſſent.

Erat tunc Auilæ Iſabella de Ortega virgo genere, & forma nobilis à pluribus in Matrimonium concupita; licet à teneris annis pietati addicta cœleſtis tantùm Sponſi connubium anhelaret. Hanc fama Parthenonis Diſcalceatarum Madritenſium (quæ tunc totam Hiſpaniam impleuerat) adeò eius ſtatus eligendi cupidam tenebat; vt perfectionis acquirendæ ſpiritualis vitæ perſuaſa, nullum ſibi commodiùs Monaſterium ingrediendum proponeret. Sollicita tamen priùs diuinam voluntatem piorum hominum conſilijs explorare, B. Petrum de Alcantara, cuius ſanctitatem communi veneratione colebat, ad familiare colloquium inuitare

M

tare

tare curauit; vt animæ ſtatum, & cordis occulta eidem ſecretiùs aperiret. Condicta die in quadam Eccleſiæ Capella S. Petrus animum Iſabellæ exploratùs, cognouit diuinam animæ illuſtrationem; ideòque probando orationis methodum, hortabatur ad perſeuerantiæ, atque perfectionis apicem properare. Tunc puella intentionem accedendi ad Diſcalceatas Madritenſes manifeſtans, reſponſum habuit; ſe quidem Deo conſecrare ſanctè elegiſſe, ſed in alio Monaſterio id fieri eundem decreuiſſe. Ad quod turbata Virgo vrgebat ſcire locum, in quo Sacro habitu induenda foret. Ad hæc S. Petrus de Alcantara eam ex primo Inſtituto Sacri Ordinis Carmelitarum futuram, quod prope diem fundandum erat, indicauit; multa quoque in laudem Sanctæ Matris Thæreſiæ, tunc puellæ huic quaſi ignotæ ſubiungens. Denique varijs inſtantijs de harum rerum euentu Virgini occurrens atque declarans, eam quoque precibus Deo commendandam promittens; aliquantum ſuſpenſam, atque in Monaſterij Diſcalceatarum electione magis propenſam dimiſit. Recurrere itaque interim ipſa inſtantiùs ad diuinum conſilium; atque precibus Cœlum fatigare; donec quodam die mentis velut exceſſu, intus ſibi loquentem vocem intelligeret: *Filia ego te volo in domo Sancti Ioſephi*. Ex qua, animo firmiter inhærente, cenſuit ſibi Carmelitarum Virginum Cœnobium ingrediendum; velut à Beato Petro prædictum audierat, moxque eius præſentiam iterùm petens de omnibus certiorem fecit; & vt Sanctæ Thereſiæ communicationem ſibi præpararet, obnixiùs ſupplicauit. Omnia in ſe recepit S. Commiſſarius ſuo opportuno tempore perficienda, eique regulas virtutum optimas præſcribens, ſtrictiſſimum de noua fundatione ſilentium impoſuit.

Tandem diſceſſurus Auila priùs S. Thereſiam totius ſucceſſus participem fecit, atque in fundationis propoſito animatam, illius primæ plantæ diligentiorem cultum ſedulò commendauit; ſeipſum verò quamprimùm Breue Romæ pro fundatione aduenisſet, præſtò affuturum liberaliùs ſpopondit.

In Conuentu Pedroſi, atque in via verſus Vicioſam miraculosè ei prouidetur. Cap. XXI.

REuerſus itaque Pedroſum ſolitis orationis, atquè pœnitentiæ exercitijs intentus, Cuſtodiæ ſuæ curas attentius exſoluebat: Contigit intereà Fratribus eiuſdem Conuentus ob niuium copiam, quæ per aliquot dies exitus omnes viarum præcluſerat, propter eleemoſinæ penuriam fame quoque obſideri; cùm quadam die refectionis hora imminente B. Pater fruſta aliquot panis biſcocti tunc vndique conquiſita apponi, atque inter duodecim diſcumbentes diuidi præciperet. Dein magis attentis omnibus ad ſpiritualem refectionem, quæ ſacra lectione, atque S. Petri de Alcantara ſermone proponebatur; ille mentem in Deum erigens, non deſinebat diuinam Prouidentiam ſecretiùs interpellare. Vix quiſque buccellam mandendo ſenſim conſumſerat, cùm ſigno ad portam audito Ianitor pro officio accurrens, iuuenem quemdam inuenit ex Oppido Serradilla, duodecim illinc milliaribus diſtante. Hic per algorem, & niues ad Conuentum perrumpens, Sarcinam panis, herbarum, oleique pro neceſſitate Fratrum opportuniùs attulerat. Quibus mox ad præſentiam Fratrum in Refectorium delatis, omnibus diuinæ Prouidentiæ opportunitatem collaudandi; atque orationis, virtutumque ſanctarum perſeuerantiam excolendi cum præclara S. Petri exhortatione incitamenta maiora fuere.

Nec ſine precio hoc Charitatis officium iuueni illi ſtetit, cùm breui B. Pater ad Oppidum illud accedens, domum iuuenis pro hoſpitio Fratrum eligere, atque inſuper eius Matrem Societati ſpirituali ſuæ Religionis (literis filiationis, vt vocari ſolent) adſcribere voluerit. Quantum autem hæ literæ, etiam vltra animæ bona, domui huic prodeſſe potuerunt, hac maximè experientia comprobatum; quòd non ſolùm domeſticis, ſed & plurimis loci prædicti incolis applicatæ, in varijs infirmitatibus ſalutem integram attulerint:

Vt

Vt vel hinc rectè dicere ſoleret deuota illa mulier, ſe in iſtis literis omnium remediorum habere promptuarium.

Non ceſſabant intereà S. Petri de Alcantara æmuli ampliſſimæ eius authoritati in ordinanda ſua Reformatione nouas difficultates opponere, quibus remouendis Plaſentiam ire coactus, Epiſcopo Pontificij diplomatis vigorem intimauit; indèque proficiſcens continuò colligendo roſas è ſpinis contrauenientium, & vbique premens Chriſti veſtigia, benè merendo de omnibus ad Conuentum Vicioſæ tranſiuit.

In hoc itinere modo quaſi ſuperiùs relato, meruit Beatus à diuina Prouidentia ſubueniri; dùm quodam die via, atque Solis æſtu confectus, ſocij vicem concidentis fame, ac ſiti (vt dicebat) magis anxius, oratione obtinuit; vt inter quædam ſaxa ſcaturientem aquam limpidiſſimam, ac duos panes pro reficiendis viribus deficientis præſtantiſſimos eidem demonſtraret. Poſt ad cauponam quandam dictam della Vadera noctù perueniens, & ob ſtrepitum hoſpitum vix loco quietis inuento, in propinquum dumetum pernoctandi cauſa ſeceſſit; vt verò aliqui receſſiſſe S. Petrum de Alcantara aduerterunt, diligenter eum inquirendo tandem auribus ducti inuenere, vbi flagellis ſe fortiter diſciplinabat: Hìc eum inuitare perhumaniter ad hoſpicium regredi; & quia recuſare inſtabat, ex eadem caupona obſonij quidquam afferre pro ſumma pietate habuerunt. Hæc occaſio fuit; vt S. Petri de Alcantara ſanctitas cunctis illis viatoribus eiuſdem deuotionem altiùs imprimeret, & licentioſè viuendi diſſolutionem modeſtiæ exemplo efficaciùs temperaret: Ipſe verò primo diluculo viam, quæ ad Carceres ducebat, aggreſſus; indè ad Conuentum Vicioſæ citò perrexit.

Quomodò in Conuentu Roſarij ab Angelis ei promiſſum fuit. Cap. XXII.

CIrca hoc tempus, quo redux S. Petrus de Alcantara tertia vice à Ciuitate Auilæ, viuebat in Conuentu Roſarij; mirabiliter iuxta conſuetam prouidentiam Deus ei hoc

hoc modo ſubuenit: Circa Natalitia Domini furente tempeſtate niuibus, atque pluuijs continua, quæſtuandi facultas Fratribus adimebatur; vt iam nihil ad victum illius diei, niſi pauciſſimæ buccellæ ſupereſſent. Tunc Guardianus Beatum Virum monere de præſenti neceſſitate attentans, ad orationis remedium coram ſanctiſſimo Sacramento implorandum ab eodem inſtantiùs vrgebatur. Conuenere igitur omnes, & ad S. Petri exhortationem in diuino auxilio, atque Sanctiſſimæ Virginis patrocinio confidentes, contra inualeſcentem tempeſtatem feruentiùs in oratione perſeuerabant; donec Nũcio cœleſti allatam fuiſſe prouiſionem ſignum ad portam factum promptiùs indicaret: Ac currente namque oſtiario, nemine viſo ſportam optimo pane plenam ſupra niuem depoſitam citiùs renunciauit, ad quam recipiendam omnes cum accenſis luminaribus ordine proceſſere. Tunc B. Pater ſingularem Dei opem orationis efficaciæ adſcribens, hymnum *Te Deum* intonans ad Eccleſiam reuerti; indèque breui ac deuoto ſermone omnium affectus in diuinas laudes, atque ſeruitium excitare ardentiſſimè curauit.

Sed miraculum ex eo magis inclaruit, quòd panes illi toto tempore, quo incluſi Fratres manſere, perdurarunt; vſque dùm Comes Oropeſæ, de eorum neceſſitate ſollicitus, prouiſionem opportunam ſubmiſiſſet. Hic cùm à Religioſo quodam rei notitiam habuiſſet, ſtatim Conuentum accedere, atque ex panibus illis cœleſtibus partem, aut reliquiam aliquam expoſtulare. S. Petrus de Alcantara, cui propter ſolitam aliquot dierum inediam tres panes remanſerant, eoſdem importunis Comitis precibus concedere reuerentia tanti Viri coactus fuit. Qui tam inſigni theſauro locupletatus conſultiùs iudicauit pro Dei, ac Serui ſui gloria eodem ſe priuare, mittendo vnum ad Maieſtatem Catholicam Regis Philippi II. alterum ad Portugalliæ Regem, & tertium ad Hiſpaniæ Legatum, qui in Romana Curia eundem Summo Pontifici exhiberet. Sic nimirùm ſupernè diſpoſitum fuit; vt miraculum adeò inſignis prouidentiæ, & merita Serui Dei Petri de Alcantara longiùs ſpargeret; & ini-

mi-

micorum eiuſdem contumaciam notabiliùs confunderet.

Vocatur à S. Thereſia ad deliberandum de negocio aliàs incœpto de fauoribus, quibus Auila à Deo illuſtratur. Cap. XXIII.

DVm S. Petrus in Conuentu Roſarij Religioſorum conſolationi attendebat, redditæ ei fuerunt litteræ à Sancta Thereſia, quibus ſignificabat difficultates de obtinendo Breui pro noua fundatione: Eòque magis ſtimulabant S. Commiſſarium, vt multarum rerum occupationibus, quibus ad officij partes explendas tenebatur; præferret tranſire Auilam conſolandi, iuuandique animo Thereſiam. Illuc itaque ſine mora properans, Sanctam conuenit; atque de varijs difficultatibus, quæ pro expeditione Breuis offerebantur, cum iqſa deliberat: Quibus maturè expenſis, ſuadet tandem Breue à Summo Pontifice petendum nomine D. Guiomaræ de Vlloa, eiuſque Matris; quæ ſuis impenſis Conuentum fundare cupiebant ſub Inſtituto primæ Obſeruantiæ Montis Carmeli. Dein vtriuſque Dominæ quæſito; habitoque conſenſu, atque fauore; Sanctam iterùm ſollicitat Romam mittere, atque cætera prouidere; quæ ſibi in operis promotione aduerſa imminere prædicebat: Adeò vt ipſa Sancta proprijs ſcriptis hanc diligentiam, atque induſtriam B. Petri de Alcantara commendans; omnia penè ipſi deberi, nec ſine eius auxilio ſe terminare potuiſſe, ingenuè teſtatum reliquerit.

His curis Auilæ addicto S. Petro de Alcantara obtigerat ſæpiùs varia Religioſarum Virginum Monaſteria adire, quibus inter virtutum monita, præcipuum orationis ſtudium ſedulò commendabat: Hinc multis libellos ſuos, quos de hac re conſcriptos tradidimus, illis diſtribuendo, ſermone quoque feruenti pietatem accendebat. Inter prima hæc, Monaſterium Incarnationis (quo Sancta Mater Thereſia includebatur) ſæpè ad inſtantiam Sanctæ, atque ægrotantium ingreſſus præſentia, doctrinaque mirabili inſtruendo perfecit:

fecit: Alterum Sanctæ Annæ, Ordinis S. Bernardi Religioſas magnæ perfectionis continebat. Illuc ſemel ab Abatiſſa inuitatus, vt ægrotantem quandam Virginem inuiſeret; redeundo à plurimis eum vndique ſtipantibus, ad celebrandum Sacrum in Oratorio Synodij, ſeu Capituli trahebatur; quò deuotionis feruorem, quem omnes in Beato venerabantur, in ſuæ pietatis affectum conuerterent vtiliùs: Nec feſellit opinionem promptum ſincerumque viri obſequium; dùm ſenſim interna ſpiritus flamma in Myſterij meditatione exardeſcens, antequàm ad ſanctiſſimi corporis communionem perueniſſet; vehementi raptu per tres horas vltra cubitum à terra ſubleuatus omnes ſtupore, atque deuotionis compunctione percelleret. Hinc ad ſe reuerſus, ſacrificioque abſoluto, gratiam (quam ipſe in diuina clementia altiùs prædicabat) deuotis Virginibus in pietatis ſtimulum validiùs conuertit; vt quod ſibi indigniſſimo Dei famulo conceſſum immeritò mirabantur, id amantibus feruentiùs, atque ſectantibus diligentiùs diuinam Bonitatem incitamenti magis, quàm præmij loco habendum efficaciùs perſuaderet: vndè cùm ei aliquoties in eodem loco, occaſione illius infirmæ viſitandæ, idem contigiſſet; altiſſimos eiſdem Virginibus conceptus de familiaritatis diuinæ, atque ſpiritualium deliciarum precio faciliùs impreſſit.

S. Petrus de Alcantara duas ſocias Sanctæ Thereſiæ eligit, Conuentum ſui Inſtituti in Epiſcopatu Zamorenſi admittit. *Cap. XXIV.*

Eadem inſuper occaſione, qua Auilæ moram trahebat B. Pater, non defuit conquirendo Sanctæ Thereſiæ Virgines aliquas ſocias, quæ nouo eius Inſtituto nomina darent; operam impendere: Vndè cuidam deuotæ ſuæ pœnitenti religioſam vitam meditanti, atque iam ſoluta dote cuidam Monaſterio addictæ, validiùs perſuaſit; vt propoſiti effectum differendo vſque ad opportunum magis tempus, quod ſe indicaturum promiſit, pietatis ſtudijs intenſiſſima

no-

nouam illam fundationem expectaret.

Alia Virgo nomine Maria de Pace domeſtica D. Guiomaræ de Vlloa, cuius virtutes imitabatur eodem Religionis deſiderio accenſa, turbabatur valdè à dotis neceſſariæ ad ingrediendum Monaſterium defectu: Quod cùm B. Petro de Alcantara ſincerius aliquando communicaſſet, eius monitis, atque conſilijs plurimùm conſolata; remedium ſuæ impatientiæ impoſterùm ex Sancti Viri promiſſione ſecurior expectabat. Harum itaque Virginum acquiſitione Sanctæ Thereſiæ renunciata, obfirmabatur ſpe fundationis ſuæ ſucceſſum (tam fœlici principio, tamque ſollicito Promotore, obſtetricantibus) prope diem optatum ſui deſiderij fructum pariturum; eòque alacriùs, atque diligentiùs B. Patri gratias agere, & ad operis perfectionem ſollicitare inſtabat.

Varijs intereà Populorum ſollicitationibus inuitabatur S. Petrus de Alcantara ad fundandos Conuentus ſui Inſtituti in eorum locis, quos excuſabat ipſe reijciēdo in opportuniora tempora; nè obtrectatoribus inuidiæ materiam magis augeret. Inſtabant ardentiùs incolæ loci Aldeæ del Palo quinque milliaribus Zamora diſtantis; ideòque quò faciliùs obtinerent, D. Guiomaram de Vlloa (quam adeò Sancto Viro addictam nouerant) literis compellant, vt eum ad ſua deſideria pertrahat: Hæc cùm S. Commiſſario varijs perſuaſionibus conſenſum extorſiſſet, litteras quoque, quibus idem explicaretur, atque ad fabricæ promptitudinem Ciues inuitarentur, elicuit; ſeruantur adhuc apud Zamorenſes Ciues prædictæ literæ in deaurata tabula ſub criſtallo incluſæ, quarum tenorem hic adſcribere non ingratum fore exiſtimo ijs, qui (vt dicitur) Leonem ex vnguibus cognoſcere cupiunt; ſic ergo habent.

Ego Fr. Petrus de Alcantara Commiſſarius Generalis Fratrum Minorum Conuentualium Reformatorum per Hiſpaniam Authoritate Apoſtolica &c. Quia illuſtris Domina Guiomara de Vlloa, modò habitans in Ciuitate Auilæ, mihi dixit; quòd in Aldea del Palo Oppido propinquo Zamoræ, Rectores & aliæ perſonæ principales eius loci offerunt quoddam Oratorium à San-

N *cta*

cta Magdalena vocatum, vt ſub noſtra obedientia ibi Conuentus ædificetur; & ſic aliqui deuoti conſtruere volunt Eccleſiam, domum, atque hortum iuxta formam noſtri Inſtituti: Itaque dum ita fuerit, vt prædicta Domina fide digniſſima retulit, & prædicti ſollicitantes in propoſito eidem declarato perſeuerauerint; Ego ex nunc recipio, atque admitto prædictam Domum pro Monaſterio; & illud incorporo cum cæteris Conuentibus noſtræ Cuſtodiæ; & exhibeo me miſſurum Fratres, qui opus incipiant: Et quando Deo fauente, Domus perfecta fuerit, promitto me deſtinaturum alios, qui eam incolant; hac tamen conditione, quòd non excedat formam noſtris ædificijs præſcriptam, & quod Magiſtratus, vel hi qui maiorem partem Monaſterij ædificauerint, ſemper maneant Domini eiuſdem; ita vt ibi habitantes Fratres indè eijcere poſſint, quandocùmque intellexerint, quòd ex ipſorum vita non reſultet gloria Dei, atque proximi ædificatio, ſiue quauis alia ex cauſa; quia illud noſtrum non exiſtimamus, niſi tantùm vt in eo Domino Deo noſtro ſeruiamus, tanquàm peregrini, & mendici in hoc Mundo. Et ſic promittimus reſtituere illis quolibet anno claues eiuſdem Conuentus, vt de illis faciant quicquid ipſis placuerit; aut propter amorem Dei, nos iterùm in illo habitare permittant. Et quò præſentes literæ maius robur habeant, ſubſcribuntur mea propria manu, & obſignantur ſigillo maiori mei officij. In Villa Oropeſa die 9. Ianuarij Anno 1561.

Fr. Petrus qui ſupra manu propria.

LIBER TERTIVS

De erectione Prouinciæ S. Ioſephi vſque ad vltimum annum finis vitæ S. Petri de Alcantara.

Concludit erigere Cuſtodiam in Prouinciam: De inſigni miraculo eius meritis à Deo conceſſo. Cap. I.

STATVERAT ſecum S. Petrus de Alcantara in virtute poteſtatis ſibi à Chriſti Vicario conceſſæ Cuſtodiam ſuam in Prouinciam erigere: Itaque dùm vndique ad nouum Inſtitutum canditati concurrebant, atque varia loca Conuentuum fundationes expetebant, Patres ad Capitulum conuocat, cum quibus de his, alijſque regulis conſtituendis deliberando, maturiùs omnibus prouideret.

Hinc principio Anni 1561. congregatis Pedroſi prædictis Patribus, placuit diuinæ benignitati Serui ſui conſilia ſequenti miraculo illuſtrare. Habitabat in propinquo pago Inoxal Vir ſatis deuotus Religioſorum, cui filius eadem pietate non inferior, Fratres apud ſe tranſeuntes omni charitatis officio proſequebatur: Inter alia ſæpè conquiſitas à Fratribus eleemoſinas ſuo iumento ad Conuentum perferens, ibi à Sancto Viro Petro de Alcantara humaniter exceptus, in morum innocentia efficaciùs confirmabatur.

Quadam die occurrebat eidem iuueni, huic officio explendo, tardiùs domo ſua proficiſci; indèque iam tenebricoſa nocte Tagi ripam accedere: Cùm iam iumentum aquas fluminis (quod ob profunditatem quietum fluit) attigiſſet, nullo verbere, vel alio incitamento progredi voluit; compellente illud magis iuuene; qui ſe ad torrentem quemdam, qui in eadem via occurrit, perueniſſe exiſtimabat. His ita-

Digitized by Google

que curis anxius, nè in deſerto loco noctis inclementiam experiri cogeretur, ad Deum mentem eleuans ſumma fiducia S. Petri de Alcantara fauorem inuocat, atque iumentum acriùs extimulat; Mirum dictu, quòd iumentum quaſi præcepto obediens, moras rumpit, timorem excutit, vndas fluminis ingreditur, atque cum ſuo ductore ſine vlla aquæ offenſa in obiectam ripam ſiccis pedibus pertranſit; at verò iuuenis, cui nondùm in mentem Tagus venerat, cùm ſe eum iam traieciſſe animaduerterat ex his, qui ſibi obuij demonſtrarunt; perculſus ſtupore vix non exanimatus corruit. Vndè deuotiùs in gratias, ac lachrimas coram Deo effuſus, meritum S. Petri de Alcantara, atque virtutem etiam ſuper animantia, & elementa altiſſimè intonando accelerabat paſſus; vt quàm citiùs ad liberatoris ſui pedes in Conuentu procumberet. Peruenit tandem, licet tardiùs, ad Conuentum; atque coram omnibus, maximè verò ad pedes S. Patris, liberationis beneficium, & miraculi excellentiam exultabundus recenſet, cuius cauſam S. Petrus de Alcantara charitatis præſtantiæ adſcribens, gratiarum actionem omnem in diuinam Omnipotentiam refudit: Viatores autem, qui ad flumen traijciendum perueneran; à nauiculario certiores facti neminem illum ea nocte traieciſſe; eò magis ſucceſſus magnitudinem, quacumque tránſirent, eulgabant.

Intereà dum præparant ſe omnes cōgregati deuotis orationibus atque exercitijs, vt rebus agendis cœleſtis ſpiritus præſidium implorent; adueniunt duo nuntij ab Oppido de Arenas, inſtantes vt Conuentum Fratrum apud ſe ædificare permitteret S. Petrus de Alcantara, idemq; ſuis ſumptibus Ciues perfecturos: Quibus tunc humaniter dimiſſis, poſteà Deo ſic inſpirante, pleniùs ſatisfecit. Eandem inſtantiam ſæpiùs fecerat Excellentiſſima D. Ioanna de Portugal Marchioniſſa de Elche, quando audiuit eum creatū eſſe Cōmiſſarium Generalē,& conceſſam illi fuiſſe facultatē recipiendi alios Conuentus,cuius precibus conceſſerat S. Petrus Anno 1560.vt ad illū locū explorandū P.Antonius à Cōceptione, & Fr. Bartholomęus à S.Anna tranſirent: Hi poſtquàm vbique

quę opportunitatem ſitus condendi Conuentus deſignaſſent, tam in loco de Elche à prædicta Marchioniſſa oblato, quàm in Oppido de Monforte, quò illos tranſeũtes deuotio incolarum vocarat, rediere ad Capitulum Pedroſi; vt miſſionem Fratrum ad nouam fundationem ſollicitarent, velut in Capitulo Lorianæ congregato ſtatuerat S. Commiſſarius.

Quibus ſic diſpoſitis principium Capituli Dominica Septuageſimæ à S. Petro de Alcantara factum, in quo auctoritate Apoſtolica ſibi tanquàm Commiſſario Generali conceſſa, Patrum quoque votis accedentibus erexit Cuſtodiam, iam nouem Conuentibus auctam, in Prouinciam titulo Sancti Ioſephi; cuius imaginem pro ſigillo aſſumere placuit. Ei paribus ſuffragijs, primus Prouincialis pręfectus fuit P. Chriſtophorus Brauo, Vir ſingularis virtutis atque diſciplinæ religioſæ, cui ſola obedientiæ vis muneris acceptationẽ extorquere poterat, vrgente eundem Sancto Commiſſario Petro de Alcantara. Idem mox cęteris creatis Superioribus Prouinciæ, leges propoſuit; quibus præ his, quæ à fundatione Cuſtodiæ introductæ vigebant, ſequentis Reformationis norma atque exemplar inniteretur: Ideòque vnanimi cõſenſu approbatas; quia pietatem, ac zelum paupertatis redolent, pro multorũ conſolatione adſcribere non recuſabo.

Primò ordinamus, vt in omnibus Conuentibus noſtra Prouinciæ recitetur Officium diuinum voce ſubmiſſa æquali, atque deuota vbicùmq; quatuor Fratres conuenerint, qui id ritè explere poſſint.

Item in omni tempore fiat oratio mentalis per tres horas in communi, & vna hora labore corporali Fratres exerceantur. Per totum annum faciant diſciplinam in communi more ſolito, exceptis Dominicis, ac feſtis de præcepto.

Item quia ſcimus, quòd noſtræ profeſſionis principalis Obſeruantia conſiſtit in Sancta paupertatis praxi; qua derelicta, Obſeruantia quoque Regulæ noſtræ ſanctæ deperijt: Eàpropter ordinamus, vt omnes Fratres nudis pedibus incedant, veſtiti panno groſſo; ex quo habitus longitudo non excedat pedis ſuperficiem, nec latitudo decem palmos; manicæ pertingant ad primam manus iuncturam, & latitudo inter vtrumque humerum palmi & mediȷ

medij cum vnica apertura: Mantellum longitudinis tanta ſit; vt extrema digitorum obtegat demiſſo brachio.

Item ordinamus, nè petantur pro ſanis carnes, piſces, vinum, oua, exceptis eleemoſinis quotidianis, quibus non petantur res delicatiores; ſed illa recipiantur, quæ ſpontè offeruntur, exceptis pernicibus, gallinis, & alijs huius generis cupediarum: Nec conquirantur res quæcumq; vt ſeruentur; præter legumina pro vno aut altero menſe cum conſenſu Prouincialis, *Guardiani, & Seniorum* Conuentus; *nec cogatur aliquis carnes, vel lacticinia manducare, quocumque tempore, ſi noluerit.*

Item omnes Fratres *ſuper humum dormiant, in aliqua tabula, ſtorea, vel pelle; ſaluo in locis humidis, vbi ſtratum erigere poſſunt altitudinis vnius palmi à terra, neque ad hoc faciendum à* Superioribus *cogantur: Et poſſunt habere ſtragulum vile quatuor menſibus anni, & alijs duo; quatuor verò æſtiuis nullum.*

Item ordinamus, vt Fratres *ætate prouecti benè habeantur, & infirmi optimè curentur ſecundum poſſibilitatem ſine magna aliqua diſtractione cum charitate: Nec quiſquam, qui vitam communem non ſeruauerit, ad minus per medium annum habeat vocem paſſiuam; ſi verò conualeſcens, ad eandem vitam per mediũ annum redierit, eandem vocem recuperabit.* Pro *vita autem communi intelligimus non portare quodcumq; genus calceamenti, non vti culcitra, lino, aut alijs huiuſmodi, quæ vbique ſanis prohibentur: Et ſi quis hac voce paſſiua vtitur (pro vt dictum eſt) impeditus, priuetur eadem per duos annos; &* Prælatus *(qui id permiſerit) priuetur ad triennium in* Capitulo *ſequenti.*

Item ordinamus, nè pro Sacrario *recipiantur vaſa aurea, vel argentea; præter duos calices, & vnam* Cuſtodiam *pro Sanctiſſimo* Euchariſtiæ Sacramento*: Nec recipiantur paramenta ſerica, aut acu picta; ſed ſimplices quatuor tantùm caſulæ cum cæteris ornamentis ad ſacrificium neceſſarijs; neque ſint in qualibet* Eccleſia *plura quàm duo* Altaria, *quorum ornatus pauper ſit, & nitidus; vt deuotionem excitet.* Cætera Conuentuum *ſuppellex humilis ſit, atque exigua; ita vt neceſſitati ſufficiat.*

Item non recipiantur pecuniæ pro Miſſis, ſed omnes applicentur pro benefactoribus; ſaluo quòd Guardianus *vnam, aut duas appli-*

Digitized by Google

applicare poterit pro aliqua perſona particulari, cui Prouincia ſingulariter obſtricta fuerit; nec pro eadem quicquam recipiatur.

Item ordinamus, vt Conuentus (qui impoſterùm recipientur) ſint parui & humiles iuxta formam à Capitulo praſcriptam: Nec aliquis recipiatur, qui non habeat Patronum, cui non permittatur, vt eum Papæ renunciet; ſed tanquàm Dominus quandocùmque voluerit, poſſit eijcere Fratres, & facere de eo quicquid ei placuerit. Ideò quoque quolibet anno accedant eum Fratres cũ clauibus, vt ei reſtituant; aut ſi propter amorem Dei voluerit eos vlteriùs in eodem habitare, id iterùm concedat: Tenenda quoque ſunt duo inuentaria ſuppellectilis Cõuentus; vt exeuntibus Fratribus relinquant illam, quam à Domino acceperunt, aliam verò ſecum auferre poſſint.

Item ordinamus, vt iuxta Regulæ præceptum de Conuentuum noſtri Inſtituti humilitate Eccleſiæ paruæ ſint; nec latitudine octo pedibus anguſtiores, nec 24. longitudinem excedant: Nec ex quacumque occaſione amplientur, niſi propter aliquorum habitatorũ commoditatem, qui nullam aliam in propinquo Eccleſiam habuerint. Et in Conuentu, vbi habitauerint Fratres, reſplendeat paupertas & vilitas; nullo ligno elaborato conſtruatur niſi Eccleſia, Chorus, & Sacrarium: Nullum ibi ſit ſynodium, aut bibliotheca; ſed libri inter Fratres diſtribuantur, vt meliùs conſeruentur. Totius Conuentus de nouo extruendi circuitus quinquaginta ad ſummum pedes contineat. Octo pedum vel nouem latitudinem Sacrarium, portaria, atque valetudinarium inferius includat. Cellæ ſeptem pedes ad ſummum, valetudinarium hybernum tredecim, aut ſexdecim non excedat: Clauſtri area in forma quadrata ſeptem pedes habeat. Diuiſio cellarum ſit ex lateribus; & ſcala trium pedum latitudinis: Ad quam formam omnes Conuentus quantùm poſſibile fuerit redigendi, aut præcipuè ædificandi.

Nullus Conuentus vltra octo cellas habeat portam Clauſtri quatuor palmis latam, ſeptem vero altam; reliquas portas 2. pedibus latas, & ſex altas. Eccleſia eiuſdem ſit altitudinis cum Conuentu, vt quadratura iuſta ſeruetur.

Tandem ordinamus, vt Prouincialis, Commiſſarius, Cuſtos,

aut

aut Guardianus, qui has Regulas non ſeruauerit; priuetur per ſex annos, aliјſque pœnis ſubiaceat, iuxta ſententiam omnium Patrum.

De vlteriori ſucceſſu prædicti Capituli: Quomodò S. Petrus de Alcantara miſit Religioſos ad fundandum Elche, & Lorito in Regno Valentiæ; & ipſe in Aldea del Palo fundat Conuentum, & de quodam ſucceſſu mirabili. Cap. II.

POſtquàm à Patribus congregatis præſcriptæ Conſtitutiones fuiſſent approbatæ, Conuentuum Guardianis prouiſum fuit; varijque Religioſi, qui noui Inſtituti deſiderio ad Capitulum ex varijs Prouincijs concurrerant, per familias commodè diſtributi fuere: S. Petrus de Alcantara nouum quoque Prouincialem Romam deſtinauit; vt Magiſtro Generali Conuentualium, rerum geſtarum rationē reddendo, omnium confirmationem tàm ab ipſo, quàm à Summo Pontifice procuraret. Eodem tempore octo Fratres moribus, ac experientia probatiſſimos, nempè Fratrem Gaſparum de Tordeſillas, Fr. Hieronymū de Ciudad Rodrigo, Fr. Antonium de Valentia, Fr. Antonium Brauo, Fr. Hieronymum de Torrejonzillo, & Fr. Gaſparum de Salmeron Nouitium, eorumque Commiſſarium Fr. Alphonſum de Lerena & Guardianum Conuentus S. Ioſephi de Elche, & Fr. Iſidorum à Sancto Iacobo Guardianū de Lorito, miſit ad fundandos eoſdem Conuentus; de quibus ſuperiori Capitulo mentionem fecimus. Horum virtute, ac ſanctitatis exemplo fundamenta iacta fuere, Reformatæ Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ in Regno Valentiæ: Cui S. Petrus de Alcantara tanquàm primogenitæ & affectum, & ſpiritum ſuæ pietatis impenſiùs communicauit, fouendo quoque ſemper quantum vixit; vt meritò S. Petrum ſuum fundatorem præ cæteris agnoſcat, ac veneretur.

Scripſit quoque S. Petrus de Alcantara epiſtolam ad Sāctam Thereſiam de rebus à ſe geſtis, quarum conſolationem omnes

omnes exantlatos labores abſterſiſſe affirmabat; eòque Sanctam ad ſui Conuentus fundationem incitabat, nec impatienter contradictiones, aut obſtacula perferenda, ac ſuperanda admonuit; vbi tam inſignis fructus colligendus ſperabatur. Scripſit quoque ad D. Guiomaram de Vlloa, ſignificando ſe iturum quamprimùm Aldeam del Palo; vt fundationis promiſſæ debitum exſolueret: Cui occurrendo deuota Domina ſe quoque itineri commiſit; vt poſſeſſionem quandã ſuam in illo loco fabricæ Conuentus offerret. Hinc S. Commiſſarius tenerrimo affectu, atque amplexu omnes ſuos Religioſos dimittens, ipſe Aldeam del Palo abijt, ibique ſummis honoribus omnium exceptus, partem prædictæ poſſeſſionis Eremitorio Sanctæ Mariæ Magdalenæ propinquam, vbi Conuentus extruendus erat, à D. Guiomara recepit; & intereà cum Socijs in ædiculam quandam molendini olei ad habitandum ſeceſſit.

Dùm in hoc loco, rebus diſponendis, fabricæ incumberet, atque prædicationis efficacia præclaros fructus colligeret; occurrebat intereà duobus S. Petri deuotis Alcantaræ in Eſtremadura (de quibus aliàs retulimus fuiſſe perſuaſos in ſeculo remanere) vt domeſticis, externiſque curis cõturbati ſortis ſuæ moleſtias inuicem conferrent; conſiderando ſe à B. Patre aliàs excluſos à Religionis ingreſſu, nunc maioribus aduerſitatibus tam animi, quàm corporis vexari: Vndè conſultum ſibi Patris ſpiritualis præſentiam adire; vt ſolatium aliquod referrent, quod ſola ſpe eiuſdem reditus auidiùs prælibabant. Quadam itaque die, qua his collocutionibus animi mœſtitiam ſubleuabant; placuit diuinæ Omnipotentiæ S.Petro de Alcãtara (licet longè diſtanti) omnia in ſpiritu patefacere, & vt illis ex improuiſo apparens, ſic amicè ſalutaret: *Dominus det vobis ſuam pacem.* Ipſis verò præ gaudij magnitudine (quaſi exanimes) ad Sancti pedes corruentibus, atque lachrymis irrigantibus, inſtabat iterùm ille: *Quid vobis eſt fily? quid occurrit? quæ cogitationes, quæ dubia vos conturbant?* Vndè à terra ſurgentes, atque ſeorſim Virum Dei conſultando animi latebras aperire, omnes an-

xietates deponere, tantòque maiori ſtupore percelli; quo repentè ex oculis ſuis euaneſcere, & certa indagine miraculosè ſibi adfuiſſe compertum habuere. Hinc ſummas diuinæ Bonitati gratias reddere, qui ſuæ afflictioni auxilium, Petri ſanctitatem ſuæ deuotioni magis confirmare miro modo dignatus fuiſſet: Ita quòd impoſterùm ſæpiùs conſolati eiuſdem præſentia, eandem alijs eius deuotis diuinitùs conceſſam tã beneficij accepti gratitudine, quàm altiſſimis amici Dei præconijs publicè declamarent.

Vadit Arenas ad fundandum Conuentum, & in via miraculosè fluuium quemdam tranſit. Cap. III.

PErducta tandem Conuentus fabrica ad eam perfectionem, qua præſentia ſua non indigebat; S. Petrus de Alcantara vlteriùs ad fundandum in loco Arenas aliũ longiùs progreditur: Et quàmuis hyberna intemperies illo anno magis niues accreuerat, Sanctum tamen Virum in ſui rigoris obſeruantia non relaxabat; dum nudis plantis gelu calcans, caput omni niuium, imbriumque inclementiæ nudum exponeret. Animabat quoque magis Fratrum in Aldea del Palo relictorum commiſeratio, quorum à Cœlo benigniori Eſtremaduræ ad illud rigidiùs translatio maiorem alienum, quàm proprium ipſi doloris ſenſum cauſabat.

Exaudiuit tamen Deus Serui ſui preces, quibus ſuccurrere filijs ſuis abſens negligere non potuit; dum quadam die in præfato Cõuentu, Fratres ſine prouiſione vlla afflicti, ſequenti tandem luce Angelico miniſterio mirabiliter ſibi ſubuentum, vt ſecuriùs intellexerunt; ita diuinæ Prouidentiæ, Sanctique ſui Commiſſarij meritis acceptum ferre non deſtiterunt.

In via autem B. Petrus de Alcantara progrediens peruenerat ad Durium fluuium aquis exundantem, quem ſine periculo tunc transfretare non poterat, niſi renouando priora miracula Deus Seruo ſuo opportunam, mirandamq; opem attuliſſet: Nam fruſtrà implorato tranſitu, quem Nauicu-

larius ob aquarum rapidum curſum pertinaciùs denegabat; Sanctus Vir crucis ſigno ſe,aquaſque muniens,intrepidè ſuper vndas (obſtupeſcentibus his, qui in aduerſa ripa ratem expectabant) in alteram partem ſiccis pedibus tranſgreditur. Quò cùm perueniſſet, inter medias turbas,quæ ad eius venerationem pronæ conglobatæquè concurrebant, quàm citiùs potuit (laudando Deum in mirabilibus ſuis) perrumpendo tranſiuit. Spargebatur tamen vbique rei ſucceſſus, & ad Conuentum Aldeæ del Palo perueniens,Religioſos illos Fratres de ſingulari cura,qua Seruum ſuum Deus vbique mirificabat, certiores alacrioreſque reddebat.

Peruenit tandem emenſo laborioſiſſimo itinere ad locum de Arenas, vbi omnium applauſu (velut Apoſtolus exceptus) Eremitorium quoddam media leuca diſtans nomine Sancti Andreæ de monte, iuxta diuinam reuelationem recepit. Erat locus ſitu amœno inter colles quoſdam caſtaneis, aliiſque arboribus opacus, quem à quadam Confraternitate petitum, mox fundatione atque Fratrum habitatione excolendum ſuſcepit: At inuidente Dæmonio huic pio operi quoſdã Clericos ſuſcitauit, qui opponendo ſe, ſe fundationi ad Epiſcopum Auilæ appellarunt; vndè nequicquã B. Petrus turbari ſe permittens, meliora concepit de Conuentus eiuſdem progreſſu auguria, ſcribenſque ad D. Ioannem Velaſquez de Auila; vt ſuaderet contrariis opus illud maiorem Dei gloriam, incolarumque vtilitatem allaturum; ſed reſponſum tulit neceſſarium eſſe, vt ipſe Auilam veniat coràm difficultatis controuerſæ ſolutionem à fauente ſibi Epiſcopo auditurus. Sine mora itaque S. Commiſſarius Auilam pergens, tanta humilitate atque dicendi vi rationes fundationis ſuæ Epiſcopo explicauit; vt ipſos Aduerſarios non conuictos modò, ſed & fauentes operi ſuo redderet, & Epiſcopum quoque,adeò propitium faceret; vt inſuper aliũ ſitum ædificando valetudenario cõmodum aſſignaret. Hinc remiſſo ad fabricæ continuationem ſocio, ipſe ad alia negocia pertractanda Auilæ remanſit.

De quibuſdam colloquijs cum Sancta Matre Thereſia, in cuius præſentia quodam ſingulari fauore à Deo honoratur.
Cap. IV.

VIx S. Petrus de Alcantara Auilam aduenerat, cùm à Sancta Thereſia ad colloquium inuitatur (quo gratiùs ſibi contingere nihil omninò poterat) mox confecta lite ad eandem ſe confert; & poſt Pœnitentiæ Sacramentum, de ſuorum negociorum ſtatu penitiùs interrogat: Illa Romæ ſe Breue expectare quamprimùm indicat pro Reformationis approbatione; deindè conſulit an Monaſterium ſuum cum modica dote fundare conueniens foret. Quod zelator paupertatis non quidem admiſit, ſed adducto Sanctæ Claræ exemplo, & tunc vigentium Regiarum Diſcalceatarum nobili pauperie, Sanctam Matrem adeò in hoc ſenſu obfirmauit; vt omninò nullos redditus Monaſterio adſcribi velle firmiter proponeret. His vterque adiungebant de varijs vitæ Aſceticæ regulis tam in pœnitentijs, quàm alijs exercitationibus; inter quas, cùm mirabilem S. Commiſſarij abſtinentiam Thereſia admiraretur, eò quòd ſe confidenter declaraſſet poſt tres tantùm dies refici, & interdum etiam integram hebdomadam inedia tranſigere: Tunc ille; *Nè mireris filia hoc, quod conſuetudine ſit poſſibile*. Deindè Sancta vrgere ampliùs; vt ad Dei gloriam manifeſtaret ſibi, quid ipſi in vita ſpirituali maximè omnium difficile occurriſſet? Cui S. Petrus de Alcantara ſomni torpedinem accuſans, ſe iam ab ingreſſu Religionis eius tormentum grauiter ſenſiſſe dolebat: *Ideoque ſcias*, inquit, *vt illud vincam, me ſemper aut erectum, aut genuflexum, aut ſedentem capite ligno cuidam acclinatæ, iam per quadraginta annos, vltra ſeſquihoram ſomnum non capere*. Mox de oculorum mortificatione diſſerens ſibi, quia illi aſſueuerat indifferens eſſe aut videre, aut non videre, aſſeruit addens quoque alia multa de vitæ ſuæ norma, quam nemini vnquàm declarare voluit; ſed ad inſtructionem modò Sanctæ, eiuſque vitæ confirmationem, cum rigo-

roſo

roſo ſilentij pręcepto tunc familiariùs explicare ab ipſa auditus fuit, & ſcriptis ſuis poſteà publicauit.

Hac occaſione Sancta B. Patrem, vt apud ſe pranderet maximis inſtantijs, amoris verò Dei (quo ſemper commouebatur) argumento ad conſenſum fortiùs pertraxit: Et quia S. Petrum inedia adeò confectum dolebat, dum videret pellem oſſibus inhęrentem vix cruribus inſiſtere, ſed pedes & manus radices potiùs arboris exprimere; parari iubet modicam refectionem, ad quam filiam quandam ſpiritualem S. Petri de Alcantara, deuotiſſimam quoque virginem Mariam Diaz vocare placuit. Sequenti igitur die vtraque ad Monaſterium veniunt, vbi poſt mutuas congratulationes Religioſarum, ſermo de amore Dei feruentior iniectus fuit à Sancta Thereſia; quo dum explicando inardeſceret S. Commiſſarius totus extra ſe raptus, in altiſſima extaſi longo temporis ſpatio eleuatus permanſit; ita vt Sancta tunc prima vice hunc cœleſtem fauorem in S. Petro conſpiciens, eundem tenerrima lachrimarum deuotione proſecuta, atque cum ſociabus Deo gratias agendo finem attentior expectaret.

In ſe igitur reuerſus B. Pater menſæ adſidens, atque ſolito cibo iuſculi aquæ delibuti vſus, alia deguſtare recuſabat; cùm repentè, iuuenis quidam diuina ſpecie ferculum quoddam diuidere viſus S. Petro de Alcantara offerre, atque ſui oblito potum propinare, atque os abſtergere familiariùs tractando ſtuporem aſpicientibus incuſſit. Vndè diuinam pręſentiam agnoſcentes Virgines, indignas ſe tanto fauore confiteri, diuinam Bonitatem depręedicare, Sanctum quoque tam admirabili dulcedine repletum profundiùs venerari, huius diei memoriam inter illuſtriora ſcribere, pro maximo conſolationis fructu, attentiùs collegerunt. Et licet ſucceſſus ſilentium vtriſque diſtrictè imperaſſet; tamen iubente Deo à Sancta Thereſia factum aliquo poſt tempore vulgatum fuit, & ab altera Maria Diaz confirmatum; vt ſic ad poſteritatis notitiam faciliùs tranſierit: Eadem Sancta alios plurimos fauores B. Patri factos proprijs oculis conſpe-

ſpe-

ſpexit, quos reticuiſſe ſe tùm eiuſdem mandati reuerentia, tùm Confeſſarij (quo tunc vtebatur) cùm vitam ſuam ſcriberet, timore explicatis verbis ſic confitetur de S.Petro loquens: *Multa alia dicere vellem, niſi timerem ea tibi dicere; idcòque relinquo contenta his, quæ hactenùs dixi.*

De mirabili conuerſione cuiuſdam Nobilis facta virtute orationum S. Petri de Alcantara. Cap. V.

NVper Auilam Clericus quidam Nobilis aduenerat, qui iuuenta, atque opibus inſoleſcens diſſolutè ſatis viuendo, alios quoque exemplo offendebat: Nam redditus Eccleſiaſticos copioſos inter luxum & ganeam, ludos & vitia licentiosè profundens; Officij diuini, graduſque Eccleſiaſtici, immò decoris natalium vix vllam rationem habere videbatur. Accedebat ille interdùm cum alijs nobilibus S. Petrũ de Alcantara tunc Auilæ degentem, cuius colloquia, & doctrinã ſodalium magis affectu, quàm virtutis amore, aut ſtudio auſcultabat, atque mirabatur; dum enim primò Viri Sancti conſpectu tanquàm defuncti cuiuſdam tunc è ſepulchro egreſſi ſpecie percelleretur, mox verbis eiuſdem altiùs animum penetrantibus, cœpit vitæ pudore frequentiores Viri Dei acceſſus paulatim declinare: At B. Pater, qui interno lumine iuuenis ſecretiora ſcrutabatur, ſubinde cùm recedebat monita ſalutaria ſuggerendo; quodam die, ab ipſo rogatus, vt pro ſe Deum deprecaretur, libenter ſe hoc præſtiturum ſpopondit. Secutus eſt hanc ſponſionem mirabilis effectus, cùm eadem nocte S. Commiſſario feruentiùs pro iuuene Deum exorante, ille tam vehementi ſcelerum ſuorum contritione compunctus, nec requiem conſcientiæ, nec leuamen dolori, niſi in lachrymarum profuſione inueniret: Dubius tamen tam repentinæ mutationis cauſam recogitans diù, neſciebat cui aut illam adſcriberet, aut quomodò errorum turpitudines priùs licentia peccandi euulgatas, tunc ſecretiùs per Sacramenti virtutem deleret; accuratiùs tandem refricanti memoriam occurrit S. Petri recens promiſ-

miſſio, cuius effectum certiùs ſe illa nocte expertum concludens, ſummo animi dolore conſcientiæ examen, ſcripto intereà commendat, & ſtilo acutiſſimæ compunctionis characteres formans, lachrymarum ingenti copia irrigabat; dum culparum fœditates exhorreſcens illas lingua exprimere verecundabatur magis, aut differebat. His itaque curis noctis quietem repellens, ſummo manè ad B. Petrum celeri greſſu ire properat, eumque poſt celebratam Miſſam Arenas euntem, maximaque ſalutantium corona ſtipatum inuenit: Hinc iterùm (inuidente ſibi Sathana) ne meditatã conuerſionem faceret, mundano quodam reſpectu fortiter ſe retrahi ſenſit; nec in facie tantæ multitudinis B.Patri appropinquare, ſuũque negotium aperire auderet. At fortiùs ſtimulante diuina gratia (quæ vocauerat) ducitur tunc ſuauiter inter alios, qui S. Petrum de Alcantara ſequebantur extra ciuitatem; ita vt ſemper è propinquo eum conſpiciens, omnibus recedentibus, ille tandem vltimus accederet: Mox doloris ſui pondere preſſus ad pedes S. Petri inclinatus, ac ſcriptum ſuum porrigens; *In hac*, inquit, *pagina Pater mi, vitæ meæ obſcuras, vitijſque conſpurcatas lineas agnoſces; humiliter ſupplicans vt orationibus tuis, à Deo mihi omnium veniam deprecari non dedigneris*. Ad quæ S. Commiſſarius manum & ſinum extendens, benignè eum colligit, verbiſq; velut aculeis cor eiuſdem configens, oleũ conſolationis vulneribus conſcientiæ infundit; denique perſeuerantiæ donum à Deo ei poſtulaturum ſe promittens, cum benedictione lætum ad propria dimittit.

Poſteà adiunctis ſibi ſocijs itineris Magiſtro Daza, & Nobili quodam D.Franciſco de Guzman, Arenas progrediens, hunc licet prægrauem inceſſu; ſuauitate tamen ſuæ conuerſationis illectum, obtentu cuiuſdam negocij Arenis expediendi nequaquàm à ſe potuit ſeparare: Nec obliuiſcebatur intereà ſecreta mentis eleuatione diuinam miſericordiam compellare; vt iuueni illi pœnitenti dignam delictis ſuis compunctionem cordis concederet. Vndè ille per totam viam (qua domum redibat) ſentiens ſe vehementiori

do-

dolore peccatorum conteri, in alium hominem mutatus, depoſitiſque prioribus vanitatibus cœpit varia luxus inſtrumenta in pauperum eleemoſinas conuertere, atque vitam moderatiùs inſtituere: Paulò poſt Arenas petens S. Petro de Alcantara peccata, quæ iam ſcripto prodiderat, confeſſione ſalutari faciliùs diluens,ab eodem nouæ quoque vitæ documenta reportauit; quibus anteactæ ruinam tam ſibi, quàm alijs illatam, inſigni emendationis exemplo reparauit.

Hinc quamprimùm Auilam reuerſus modico contentus famulatu, veſtituque vulgari, ſericis dimiſſis Nobilium iuuenum conuerſationes fugiens, Religioſis frequentiùs iungebatur. Viſitationes non niſi ad Xenodochia, & carceres dirigere, in Eccleſijs quotidiè frequens, & in priuato Oratorio meditationibus, atque corporis macerationibus peruigil; inſuper pauperum neceſſitatibus ſubueniendis plurimùm intentus videbatur. Huiuſmodi nimirùm vitæ ratione omnibus admirandus, atque Beati Patris continuo magiſterio proficiens tàm ſuæ virtutis exemplum illuſtre,quàm efficaciæ orationum, doctrinæque Viri Dei ſingulare teſtimonium ad finem vſque reddidiſſe perhibetur.

Quomodò redeundo Arenas multos ſola præſentia S.Petrus de Alcantara conuertit. Cap. VI.

DVm autem B. Petrus viam Arenas proſequitur, Magiſtro Dazæ propoſitum Sanctæ Tereſiæ de fundando nouo Monaſterio primi Inſtituti Carmelitarum enarrat;eiuſquè fauorem eidem præſtandùm efficaciùs implorat. Quibus colloquijs tùm Magiſter hic, tùm D.Franciſcus Guzmanus adeò conſolatos ſe fuiſſe poſtmodùm affirmarunt; vt ſingulari Viri Dei merito adſcribere non dubitarint, ſe viæ moleſtiam pedeſtres nequaquàm ſenſiſſe.

Tranſeundo per locum del Barracco, incolæ cum quibuſdam Sacerdotibus ordine, Viro Dei vſque ad certum Oratorium à loco per milliare diſtans, obuij proceſſere; in-

de

dè ſumma cum reuereutia exceptum vſque ad locum ſuum conducunt. Multi eius aſpectu compuncti, detractis calceamentis, nudis etiam pedibus ſequi non recuſarunt. Ad hunc venerationis exceſſum ſuffundi rubore S. Petrus de Alcantara; & vt erat humilis magis diuinum conſilium reuerebatur, qui tali medio multorum ſaluti conſulere voluiſſet; ideò ad Eccleſiam rectà proceſſionem dirigit hymnos, pſalmoſquè in Dei gloriam deuotè intonando. Inter eundum tamen per plateas, & vicos conglobari magis Populi, & coram Seruo Dei humiliter proſtrati; quidam illi contranitenti veſtem, & pedes oſculari: Alij ſola ſpirantis velut cadaueris eius obiecta ſpecie vix non terreri, aut ad cordis dolorem excitari; ita quòd plerique commotis animis, nulla eius prædicatione audita ad pœnitentiam conuerſi, ab Eccleſia (vbi coram venerabili Sacramento eius benedictionē receperant) ad domos ſuas reuerterentur probiores.

Erat in loco Sacerdos nomine Andreas del Prado, cui S. Petrus de Alcantara indulgendo voluit per aliquot horas in eius domo quieſcere; magis nobilium ſociorum, quàm ſui ipſius cauſa; qui fatigatione incalluerat. Cùm itaque ad menſam varij cibi hoſpitibus conuenientes afferrentur, ipſe iuſculo quodam contentus, frigidam infundebat. Quare ab alijs repræhenſus, quòd ſtomacho noceret; excuſabat ſe, nec alios cibos concoquere poſſe, nec res nimis calidas pati.

Hinc Arenas progrediens varios pagos, quos tranſire occurrebat, tanta ſui admiratione repleuit, vt incolæ ſequendo eum è longinquo venerabundi, ac proni in terram benedictionem eius ſuſcipere pro ſumma fœlicitate haberent. Eodem honore Arenis affectus, illos quoque ſibi fauentes experiebatur, quos aliàs maximè aduerſos in Conuentus fundatione prius inuenerat. Vndè cum ſuis Religioſis in loco, qui infirmis deſtinatus erat, aliquandiu vitam religioſiſſimam ducens; Conuentus fabricam ſuo admirabili viuendi exemplo non minus, quàm doctrinæ efficacia breui ad neceſſariam habitandi commoditatem promouit.

Impetrat à Deo pluuiam in magna ſiccitate. Cap. VII.

DVm Arenis moratur S. Petrus de Alcantara longa duritiės Cœlum ocluſerat; & præ ſiccitate areſcentibus herbis & ſeminibus, terra ipſa crebris hiatibus velut oribus pluuiam expoſcebat: Pro his omnium ſupplicationes, atque vota irrita videbantur; ita quòd dolore oppreſſi incolæ, nihil præter ſcelerum ſuorum ſupplicia agnoſcerẽt. Incidit tamen quibuſdam in mentem B. Virum adire, eiuſque interceſſionem inſtantiùs expoſcere: Qua quidem inſtãtia atque miſeria ille commotus, promittit, ſe non defuturũ cum Religioſis ſuis orationibus inſtare; modò ſolemni proceſſione omnes ad condictum diem, ac locum pro placando Numine deuotiùs acceſſiſſent.

Itaque ex vicinis locis ad Eccleſiam principalem ingens multitudo conuenerat, cum S. Petrus de Alcantara rogatus ſermone ad Populum habito, omnium affectus, & lachrymas ad Deum conuertit. Hi offenſarum dolorem magis exprimere viſi, ſpem certiorem dabant diuinæ exauditionis: Vndè S. Petrus fiducia diuinæ miſericordiæ aliquantulùm coram Altari in oratione procumbens, Deum inuocat; & ſtatim exurgens: *Procedamus*, inquit, *fratres contrito corde ad placandum Deum; ego etenim annuntio vobis, quòd priuſquã ad hanc Eccleſiam redeamus, exauditos nos à Domino manifeſtè cognoſcetis.*

Indè procedunt cuncti ordinati cantando hymnos, ac pſalmos deuotè; vt diuinum auxilium implorent. Erat tunc ſerenum Cœlum, adeò vt Solis radij omnes vehemẽter adurerent: Cùm quaſi ex improuiſo aer turbari, nubes Cœlo obduci videbantur; ita vt Populus futurum imbrem ſuſpicando, paſſus acceleraret. Deus igitur publicæ neceſſitatis miſertus, & Serui ſui Petri deuotis ſupplicationibus inclinatus, quas defixis in terram oculis, & corde in Cœlum eleuato, efficaciùs ſemper porrigebat; denſiſſimam pluuiam immittendo, Populum exultantem madefecit; & Serui ſui

fidem

Digitized by Google

fidem in Eccleſia datam promptiùs exſoluit.

Poſtquàm Eccleſiam omnes intraſſent, B. Pater ad gratiarum actionem fideliter exhortatur, atque in conſcientiæ puritate Deum ſibi propitium conſeruarent, diligentiùs perſuadet. Mox inter congratulantium, atque adorantium globos ad Conuentum ſuum euaſurus perrumpit, acclamantibus cunctis diuinæ gratiæ ſingularem largitatem, quæ non ſolùm aliquot dierum pluuia exſiccatos fructus reuireſcere; ſed etiam vbertate meſſis multorum annorum præcedentium abundantiam, obliuiſci feciſſet.

Alia miranda operatur Deus, propter orationes S. Petri de Alcantara. Cap. VIII.

SVperiori miraculo euulgato, vndique ad S. Commiſſarium concurrunt Populi, qui ſe, ſuaque orationibus eius confidentiùs commendarent; alij ad Inſtitutum eius admitti poſtularent; vt in proximo Capitulo narrabimus. Erat Arenis mulier quædam oculorum ægritudine ad cæcitatem quaſi redacta, quæ auditis S. Petri de Alcantara ſtupendis factis illum promptiùs adire decernit, quò eius benedictione accepta viſum ad luctandum victum recipiat; S. Petrus mulieris audita fide, atque amoris Dei mentione, qua viſcera ſibi commoueri ſentiebat, ſtatim manus capiti eius imponit, & eleuatis in Coelum oculis, *Deus te ſanet*, reſpondit; dataque ei benedictione receſſit. Mirum profectò factum, quòd ſtatim mulier oculos aperiens, liberè ſe videre, atque omni dolore carere agnoſceret, ac profiteretur.

Alius Nobilis filium paruulum habebat, quem hernia immenſis doloribus ad deſperationem affligebat; nec Medicorum conſilio, niſi per ſectionem curari poterat: Mater attamen D. Maria de las Torres, vicem filij anxia S. Petrum conuenit; atque vt orationibus & ſacrificijs ſuis miſerum pueri ſtatum Deo commendet, obteſtatur ardentiùs. Cuius S. Petrus vehementem anxietatem ſubleuans, bono animo eſſe iubet, nè vlteriùs quicquam circa puerum agat; ſed

quamprimùm ad ſe conducat. Mulier itaque domum regreſſa inuenit omnia parata ad inciſionem; ſed explicato Serui Dei præcepto ſciſſuram ſuſpendit, & puerum ad Fratrum habitaculum perducit. Tali ſpectaculo magis compatiens S. Petrus de Alcantara priùs Sacrum facere aggreditur, eoque abſoluto Euangelium ſuper puerum recitat, eique benedicit. Intereà verò dum iterùm in ſacrarium ad deponendas ſacras veſtes recedit, puer meliùs ſe habere, nullaque ſe parte offenſum ſentire; & Mater præ gaudij exceſſo, miraculum, miraculum exclamat. Mox profundiſſimis gratijs benefactori ſuo (qui effectum in ſacrificij virtutẽ reijciebat) peractis, ipſa cum filio ſano læta domum regreditur; qui etiã ætate prouectior, ſucceſſus huius fidem publico teſtimonio depoſuit.

Sic itaque inclareſcente fama virtutis S. Petri, vndique varijs tribulationibus, aut infirmitatibus vexati ad eum cõfidentiùs conuolare, & ſicut amoris Dei incitamento omnibus expeditiùs compati ſolebat; ita orationibus ſuis ſalutẽ, ac remedium plurimis impetrabat. Inter illos ſingulare fuit, quod nobili fœminæ D. Catharinæ, vxori Bernardini de Medrano accidit, quæ addictiſſima B. Patri, Fratribus, ac Conuentui eiuſdem eleemoſynas abundanter largiebatur. Adierat quadam die S. Petrus de Alcantara domum huius nobilis; vt pro beneficio cuidam miſero opportunè conceſſo, gratias eidem ageret; cum vxor à B. Patre confidentiùs cordam (qua cingebatur) propter amorem Dei dari ſibi expoſtulat, & obtinuit. Non multo ab hoc tempore mulier fluxione graui in facie correpta vltra deformitatem, grauiſſimis quoque doloribus cruciabatur. Vndè fruſtrà Medicorum conſilijs, atque induſtria pertentata; à marito admonetur deuotionis in Sanctum Petrum de Alcantara & reliquiæ, quam apud ſe retinebat, à quibus remedium quæreret. Confiſa igitur mulier Beati meritis ſumit cordam, eamque offenſis partibus imponit Deum affectuoſiùs deprecans; vt interceſſionibus amici ſui ſanitatem concedat. Nec defuit Deus, qui vt

vt cordam mulier aliquibus partibus ſenſim admouet, eaſdē illicò tumore recedente curari conceſſit; ita quòd omni ex parte ſanata, poſteà maxima in veneratione hanc cordam habens, plurimis alijs beneficium ſanitatis impertita fuerit. Contigit hoc præ alijs multis fœminæ cuidam in partu laboranti, cui cùm ad extremum perductæ corda B. Petri applicaretur; imminenti periculo ſubtracta, duos maſculos ſanos in lucem fœliciter edidit. Sicque Viri Dei merita longè, lateque apud omnes corruſcantia, venerationem atque pietatem publicam accendebant.

De duobus Viris conſpicuis, quos ad S. Petrum de Alcantara Deus hoc tempore miſit; vt Religioni adſcriberentur.

Cap. IX.

QVod non minùs virtutibus S. Petri de Alcantara debebatur, vt propitio Numine multi corporum ſalutem illo interceſſore adipiſcerentur; ſed vt plurimi quoque animæ conſulerent, ſub ipſiuſque magiſterio æternitati ſtuderent, ſequentes conuerſiones ſingulariter edocebunt.

Aliàs retulimus S. Commiſſarium in Andaluſiam euntem per Baezam tranſijſſe, ibique à Ciue quodam deuoto ac opulento perhumaniter tractatum. Huic filius præclara indole à S. Petro ad perfectiorem ſtatum præſignatus, Patri valdè commendatus fuerat; donec ſtudiorum profectu Sanctorum ſcientiam edoctus, religioſæ vitæ perfectionem amplecti præ cæteris elegiſſet: Hinc poſt diuina oracula per frequentem orationem conſulta, quadam die inſcio Patre domum egreditur, Arenis S. Petrum de Alcantara aditurus. Hic Adoleſcentem quindecim annorum delicata complexione in delicijs paternis enutritum, eò blandiùs collegit, quò ſpiritu cenſiùs præuidens virtutis eiuſdē futurū magnū incrementū; ideò nunc auſteritati Inſtituti primis initijs contemperandū, eſſe iudicauit, nè ſtatim opprimeretur. Suſcepit itaque ad Religionis habitum non aduerſante Patre, qui recordatione prædictionis S. Petri de Alcantara, vt filium ſeruituti Dei

man-

manciparet, eò libentiùs à ſe auelli permittebat. Nec feſellit vtrumquè opinio, cùm creſcente ætate ſingularibus à Deo donis iuuenis illuſtrari mereretur: Nam orationis contemplationiſque frequentia, crebros raptus; corporis maceratione illuſtres victorias contra offenſiſſimum ſibi Sathanam mirè obtinuit. Indè ob vitæ innocentiam, atque humilitatem à S. Commiſſario ſui agniculi nomine deſcriptus ſtupenda plurima operatus fuiſſe perhibetur: Toto quaſi vitæ tempore educationi Nouitiorum Præfectus, tam inſigni fructu exercuit magiſterium; vt multi ex eius Diſcipulis virtutibus clari, etiam martyrio in Iappone celebriores euaſerint. Poſt mortem B. Petri de Alcantara Sancta Thereſia ſæpiùs de animæ ſuæ ſtatu eumdem conſulens, intellexit in illo tamquàm altero Eliſæo, ſancti Magiſtri ſpiritum perennare; nomen ipſi P. Gaſparo à Sancto Ioſepho, de quo aliâs mentio recurret.

Alter qui Arenis S. Petro aſſociari voluit, P. Didacus Manchado iam in Religione profeſſus tali viſione incitatus fuit. Quadam nocte orationi inuigilanti per ſpeciem offerebatur ſpacioſum mare, in cuius medio nauis inſtructa varijs inſignijs velut firma ſtabat; ad quam multi Religioſi, per viam ſaxoſam, quæ inter aquas eminebat, pergere contendebant: Notabat autem ex his aliquos ſarcinis prægraues non adeò expeditos titubando inter ſaxa, vndis ſubmergi; alios verò leuioribus veſtibus, ac corpore, vultu, & membris macilentos, expeditiùs ad eandem nauem peruolare: Alij videbantur in littore ſuſpenſi hærere, deſiderio tantùm tranſeundi; dum aliorum, qui ſe præceſſerunt, periculum pertimeſcerent. Vndè turbari ipſe quoque non parùm; donec excuſſa mora adeundum ſibi S. Petrum de Alcantara proponeret, cuius fama vniuerſam Hiſpaniam implendo, Inſtituti quoque Obſeruantiam religioſæ ſalutis viam ſecuriorem ſtrauiſſe diuulgabat: Hinc difficulter à Miniſtro Generali impetrata licentia tranſeundi ad reformatiorem aliquam Ordinis Prouinciam, Arenas contendit, ibique duos eiuſdem Inſtituti Patres obuios habet, quos ex

vul-

vultu atque habitu iudicabat ex illis eſſe, quos ſibi viſio velociores inceſſu ad metam perueniſſe oſtenderat. His itaque comitantibus ad S. Petrum adducitur, cuius affabilitate exceptus, eiuſdem Societati nomen dedit; fœlici adeò ſucceſſu, vt inter feruentiores Religioſos Prouinciæ Sancti Ioſephi reſplendens tam in vita, quàm poſt mortem miraculis à Deo condecorari meruerit. S. Commiſſarius verò ad Conuentum Roſarij excurrens, vt fratres ibi ſuos ſolaretur, mox Brenas rediit, quò fabricæ noui Conuentus, diligentiùs incumberet. Accidit in via ſocium eius Franciſcum à Melo, inedia atque laſſitudine fatiſcere; ita vt commiſeratione ad Deum conuerſus S. Petrus de Alcantara opem ei afferre, oratione accenſa ſatageret: Indè ad ſocium; *Frater*, inquit, *inſpice ſacculum iſtum, in quo libros geris; vt neceſſitati tuæ ſuccurras*. Religioſus, cui ſacculi contenta nota erant, vanò ſibi id dictum fuiſſe exiſtimans; obedientiæ tamen promptitudine ſacculum aperit, indèque panem calidum optimumque extrahit; quò vterque obmuteſcentes mox in terram prouoluti, ſingulare miraculum diuinis laudibus perſonabant.

S. Petrus de Alcantara ſcribit S. Thereſiæ, & virtute diuina illam inuiſit, non proficiſcens Arenis. Cap. X.

Recepit circa hoc tempus S. Petrus epiſtolas officioſiſſimas, tùm à Principiſſa D. Ioanna de Auſtria, tùm à D. Maria Infante Portugalliæ; in quibus vtraque animæ ſuæ dubia exponebant, atque orationum eius ſubſidium poſtulabant. Conquerebantur inſuper, quòd nihil à ſe officij poſtulauerit, cùm paratiſſimæ forent, quidlibet etiam eius religioſæ familiæ fauoris præſtandi. Vndè reſpondendo Principiſſæ D. Ioannæ pro veſtiendis Fratribus pannum vile, & ab Infante ſimplicia quædam corporalia pro Eccleſijs ſuis, humiliter ſupplicauit.

Habuit quoque alias literas à P. Ludouico à Granata, quibus ei explorandum oratione commendabat, cui ſe ſtu-

dio

dio dicandum diuinæ voluntati potiſſimè placeret. Ideò poſt aliquod dierum interuallum reſponſum dedit; vt relicta prædicatione, ſcribendis libris ſpiritualibus ſe applicaret, quò plurimis in hac via laborantibus prodeſſet: Nam longa experientia ſatis probauit hùius Magiſtri tractatus, contemplatiuæ ſtudioſis optimam manuductionem præſtitiſſe; atque adhuc fructum facere illis videlicet libris, quos de oratione, & meditatione conſcripſit; in quibus eundem S. Petrum de Alcantara vel imitari ſtuduit, vel augendo declarauit.

Præ omnibus autem Sanctus Vir litteras à Sancta Thereſia exoptabat, quibus ſtatum ſuæ fundationis (quam vehementer perfici cupiebat) intelligeret; Vt igitur alliceret, ipſe menſe Septembri Anni 1561. (teſte P. Franciſco Ribera) breuem ad eandem epiſtolam ſcribit, qua etiam ſeriò ſe orationibus eius commendabat; eò quòd plus ſolita valitudine laboraret. Peruenit autem hæc epiſtola ad Sanctam Auilæ eodem tempore, quo ipſa propter defectum cuiuſdam clauſulæ Breuis Pontificij Romæ obtenti valdè cruciabatur. Non enim exprimebat facultatem Monaſterij ſui ſubijciendi Ordinario, ſi fortè Prouincialis Carmelitarum Reformationem acceptare noluiſſet; vndè valdè incœptum turbaretur. De his itaque certiorem facit S. Petrum de Alcantara, & de quibuſdam agendis liberiùs conſulit; ſimul gratias agendo, quòd ſollicitudinis partem ſibi tam affectuosè aſſumpſiſſet.

Placuit Deo omnia hæc, quæ mente Sancta conceperat, atque epiſtola inſcripſerat, S. Petro abſenti aperire, atque, vt ille Arenis exiſtens, Auilæ in Monaſterio Incarnationis cum Thereſia colloqueretur difficultates omnes explicando, atque pro futuris ſucceſſibus familiariter omnia diſponendo: Vndè modum præſentiæ ipſa admirans, ſumma animi conſolatione verba amici Dei ſuſcipiebat; quibus auditis, atque in oratione perſeuerans, ſupernè meritorum S. Petri de Alcantara excellentiam penetrauit; ad quam tot heroicis virtutibus ipſe aſcenderat. Prędicationibus quippe ſuis

vni-

vniuerſæ Hiſpaniæ multiplices fructus attuliſſe, ſicut vitæ exemplo comprobauerat; ita diuina reuelatione, maximè ſibi gratum exiſtere, Thereſia ex hoc inſigni memorabilique teſtimonio cognouit: *Huiuſmodi ſunt merita Fr. Petri de Alcantara, & tanti apud me æſtimantur; vt quodcumque à me eius nomine petieris, numquàm tibi negaturum me ſcias.* Quibus adiungens Dominus, ſe infra annum eundem Seruum ſuum ad cœleſtia præmia vocaturum; ſpirituale colloquium concluſit: Sancta verò mox ad S. Petrum diuinæ reuelationis nuncium perſcribit, ei de ſummi boni promiſſione congratulatur; tantòque magis eum accendebat, vt ſumma animi ſuauitate imminentem vitæ finem expectaret, atque ad eundem agonem ſuſcipiendum exercitijs feruétioribus ſeſe diligentiùs præpararet augendo macerationes, ieiunia multiplicando, orationes protrahendo.

De fauore quodam ſingulari, quo S. Petrum de Alcantara Auilæ Dominus condecorauit; dum menſæ D. Ioannis Velaſquez adſideret. Cap. XI.

NEc diù diſtulit S. Commiſſarius Auilam ire, vt fundationis Sanctæ Matris Thereſiæ initia promoueret; cuius effectum ante ſuum diem extremum videndi ardentiſſimo deſiderio flagrabat. Viuebat ſub habitu tertij Ordinis Sancti Franciſci Auilæ pia quædam, ac nobilis fœmina nomine Maria Diaz; quæ ſpirituali vitæ addicta oratione, ieiunio, ac corporis maceratione aſſidua, nullius familiaritate præter Sanctæ Thereſiæ vtebatur: Hæc S. Petri de Alcantara quoque doctrina proficiens, virtutis, ac ſanctimoniæ fama, ac propter contemplationis ſtudium inter præcipuas Hiſpaniæ tunc habebatur; ideò cùm aduenisse Auilam intellexiſſet, confeſtim ducente ſpiritu ad ipſum conuolauit; vt diuina manifeſtatione Sancti directoris, ac Magiſtri ſui merita notabiliùs agnoſceret ſequenti modo.

Remanſerat hac die S. Petrus de Alcantara in Palatio Domini de Loriana, D. Ioannis Velaſquez filij ſui ſpiritua-

Q lis,

lis, vt apud ipſum coactus pranderet; eo tamen modo, quo ſibi ſtrictam ſemper abſtinentiæ legem indixerat. Vix menſæ accubuit, cùm ciborum diuerſitatem oculis deſpiciens, eoſdem in Cœlum attollens, cœleſtium ſapore, atque dulcedine abſtractus extra ſe rapi viſus, nullius ſenſus vſum indicabat; ſicque diù perſeuerans, tali ſpectaculo etiam adſidentes, ſtupore magis quàm nutrimento aliquo ſatiabat. Huius autem inediæ quaſi compatiens Chriſtus Dominus, ſtupendo fauore Seruum ſuũ B. Patrem tunc temporis proſequi dignatus fuit; dùm ipſe cum multis Angelis Cœnaculum ingreſſus, adſtare S. Petro de Alcantara eique ex quodam ferculo miniſtrare, etiam ſuauiter ori immittere, & vt cibum aſſumeret; adhortari voluit. Nec ideò S. Petrus ſenſibus redditus naturæ officio fungi poterat, ſed virtute ſuperiori adiutus, facultatem attractiuam cibi exercendo, ab interioribus animæ delicijs, quibus abſorptus erat, non vacabat.

Dum hæc fiebant, acceſſit prædicta Maria Diaz, & quod cæteris celabatur, ipſa admirans, ſummo animi iubilo ad pedes Chriſti procumbens, cum intimo cordis ſuſpirio hanc vocem edidit: *Ah Domine mi, hìc nè tuſtas?* cui ille: *Vbi vis filia, vt ſim; hìc ſto, vt electos meos reficiam.* Tanta verò hæc verba ſuauitate, atque efficacia à Chriſto proferebantur; vt cor Virginis, ſuperna dulcedine raptum, tunc omnes corporis ſenſus deſtitueret; eamque in quietiſſima extaſi immobilem figeret. In qua dum illa perſiſtebat, ad ſe reuerſus S. Commiſſarius, & admirabilem diuinæ Benignitatis profuſionem ſubmiſſa humilitate recognoſcens; eidem Mariæ (poſt extaſim) diuinorum ſecretorum beneficia commendans, breue colloquium celeri fuga diſſoluit. Mox Sanctæ Thereſiæ, atque ſuis deuotis valè dicens, ad Conuentum ſuum Arenis redire properabat.

In itinere à tempeſtate vehementi, ac niuium copia miraculosè defenditur. Cap. XII.

PRopoſitum erat S. Petro de Alcantara illa nocte locum de las Cueuas attingere, vt ſequenti die Arenas perueniret. Sed præpeditus viribus, ſenio, atque pœnitentia confectis, non minùs quàm viæ difficultatibus; eandem non vltra radices montis Puerto del Pico, iam declinante die perduxerat. Huius itaque montis ardua conſcendens, nocte obſcura peruenit ad tabernæ cuiuſdam deſertæ ruinas; quæ tunc (nullo alio loco receptaculum præbente, & tenebrarum horrore creſcente) hoſpiti deſolato gratiſſimæ obuenerunt: Sed turbauit quietem tempeſtuoſus imber, qui niuem,& aquas effundens ſub aprico Cœlo diluuium minabatur; ita quòd S. Petrus ſocij magis quàm ſui memor, Deum precaretur, vt eum ſaluum præſtaret, atque vt ſibi meliori modo prouideret eundem hortatur. At ſocius viciſſim Beato Patri commiſerans, & nudo eius capiti niues excutiens, tot eius incommodis, ad patientiæ imitationem, animum firmabat conſtantiùs.

Dum igitur his officijs Charitatis vtrimque certabatur, obtinuit S. Petrus obedientiæ authoritate; vt ſocius (qui ſibi tanquàm meritis inferiori, atque viribus robuſtiori maiora incommoda deberi iudicabat) tandem cederet, & in ſpecum quandam ſe reciperet; foris manente S. Petro, vbi omnem aeris inclementiam ſolus ſuſtineret: Sed tantus fuit orationis, & accenſi eius ſpiritus feruor; vt decidentes in eum niues ab interno quodam calore liqueſcerent, & ſocio intempeſtæ noctis frigus nihil quicquam incommodi (ipſo confitente) afferret. Itaque dùm inter anguſtæ huius maceriæ ſpatium orando obambulat, experiebatur niues illic liquefactas ſolum ſub pedibus ſuis non attigiſſe; ſed mirabiliùs in aere ſuſpenſas, in modum teſtudinis tectum ſibi quoddam efformaſſe; ſub quo noctis, tempeſtatiſque incommoda ſecurior euaderet.

Hac ratione totam illam noctem intempeſtam in oratione tranſigendo, diluculo ſequenti clariùs animaduertit diuinæ Prouidentiæ admirandam ſtructuram; qua ſe ab ipſo gelu niuium tegumento, defenſum fuiſſe agnouit. Dein cum gratiarum actione viam proſequi aggreſſus, conglobatas niues (quæ eandem occluſerant) extenta manu in tantum remouit, quantum tranſeundi ſibi locum ſufficientem aperirent: Eadem quoque res ſocio ſtuporem maximum iniecit, cùm S. Petrum de Alcantara exiſtimans niuibus obrutum, prodire ex fornice illa mirabili attentiùs obſeruaſſet. Ex quo ambo ad diuinas laudes excitati, ſingularis beneficij prodigium per totam viam altiùs celebrarunt; eò maximè quòd non ceſſaret beneficium, donec ipſi ſingulis velut paſſibus altiſſimas niues perrumpendo, & latentes foſſas, atque præcipitia tranſeundo; poſt moleſtias, & pericula ad locum de las Cueuas ſalui, & incolumes peruenti, recto tramite pro gratijs perſoluendis Templum adijſſent.

Indè ad domum D. Franciſci de Andrada pergens S. Petrus de Alcantara ſumma cum admiratione excipitur; eò quòd deuotus hoſpes cum alijs ſuis amicis ſatis capere non poſſet, quomodò ipſe iter tam imperuium, tempore adeò inclementi illæſus perfeciſſet. Inter alios, qui B. Dei Seruo congratulabantur, erat Religioſus quidam Sacerdos Hieronymus Moreno, qui omnem itineris ſucceſſum perſcrutatus; miraculi beneficium, quo ſibi S. Petrus niuium receptaculum paratum confidentiùs narrauerat, ipſe licet prohibitus, ad Dei gloriam diuulgare non continuit. Vndè amicorum applauſus, magis quàm præterita tormenta frigoris effugiens B. Pater, poſt breuem quietem, atque ſocij refectionem eandem repentè viam iterùm proſequitur.

Angelus S. Petro de Alcantara atque Fratribus Arenis cibum affert, & de quadam prophetia. Cap. XIII.

EX ſuperioris itineris moleſtijs S. Commiſſarium ad Conuentum reuerſum vehemens ſtomachi dolor occupat; ita

ita quòd conſueta animi ſerenitate tormentum ferens patienter, indè occaſionem caperet ſeſe diſponendi ad finem vitæ, quam appropinquare prænouerat.

Contigit intereà Religioſis Conuentum nouum incolentibus propter victus penuriam, fame obſideri; quam quotidiano quæſtu ſubleuare Cœli intemperies prohibebat. Itaque exitu omni præcluſo; quocumque etiam cibi genere conſumpto; ſola S. Petri conſtantia cæterorum animos ad prouiſionis cœleſtis ſpem, alacriùs erigebat: Nec fefellit in oratione perſeuerantes euentus; cùm quodam die, refectionis hora inſtante, ad portam Conuentus quidam gratioſo aſpectu iuuenis quinque panes oſtiario attuliſſe viſus, ſtatim diſparuit. Illos vt de Cœlo veniſſe, hoc argumento cognouit S. Petrus; confeſtim Religioſos omnes ad gratias Deo agendas, hymno vſque ad Altare deducit. Auxit magis hanc fidem, quòd prædictos panes, dum continuarent pluuiæ, & Fratribus exitus è Conuentu impediretur, iiſdem per aliquot dies ſuffeciſſe compertum publicè fuit.

Poſt aliquod tempus neceſſum fuit B. Patri pro vrgente negocio, duos Religioſos ad Conuentum Roſarij mittere; P. Michaelem videlicet à Catenà cum ſocio, quibus plurimùm confidere poterat. His dum in via oborta tempeſtas tam aquæ, quàm grandinis periculum euidens minabatur; Religioſi Arenis vices ipſorum anxij, S. Petrum de Alcantara periculi admonent, & quid de illis foret, exquirunt. Quibus ille; *nè ſollicitì ſitis*, inquit, *quia Fr: Michael Euangelium Sancti Ioannis nunc recitat; atque eò ſe à tempeſtate defendit*. Quod tunc verum fuiſſe à Fratribus notabatur; quando ſocius Fr. Michaelis ad Conuentum reuerſus, ita eueniſſe certiùs affirmauit.

Non defuit intereà Romæ Prouincialis Chriſtophorus Brauo negocia Prouinciæ apud Generalem Conuentualium vrgere; vt Conſtitutionibus, aliiſque Regulis ad noui Inſtituti confirmationem approbatis, maiori quiete religioſæ vitæ diſciplina promoueretur; atque in primum ſuum ſplendorem, quo ſub Sancto Franciſco inclaruerat, reſtitueretur.

tur. At variæ difficultates, atque oppoſitiones, quæ ipſi à potenti manu longiorem moram nectebant, non permiſere, vttam citò, atque optatò omnia ſuccederent: Tandem varijs congreſſibus cum Ordinis Protectore Rodulpho Pio Cardinali Carpenſe ſuper hac re habitis, authoritate etiam Regis Catholici, atque Summi Pontificis adducta, coactus fuit Prouinciæ ſubiectionem à Conuentualibus ad Obſeruantes transferre; data ab eodem Protectore fide nihil indè detrimenti, aut periculi ſtrictiori diſciplinæ timendum fore, permanentibus in ſuo robore Apoſtolicis Indultis, atque Confirmationibus. Hac itaque potentia preſſus Prouincialis referendi cuncta ad ſuum Commiſſarium Petrum de Alcantara, qui Reformationis Author extiterat, dilationem recepit; additis etiam literis Eminentiſſimi Domini Protectoris, ac R.P.F.Franciſci Guzmani Procuratoris Curiæ. Vndè videbatur diuina prouidentia Seruo ſuo Petro, nouã merendi materiam circa finem vitæ præparaſſe; quò repetitis prioribus doloribus, quibus à principio Reformationis cruciatus fuerat, iiſdem ſuperatis poſtremò glorioſiùs coronaretur.

S. Petrus de Alcantara vadit Toletum, vocatus à S. Thereſia. Cap. XIV.

ERat his diebus Toleti D. Ludouica de la Cerda Soror Ducis Medinæ Cœli, quæ ob immaturam mortem Marchionis de Malagon ſui mariti, nullam omninò conſolationem admittere volebat. Hæc à quibuſdam amicis pijs perſuaſa, deuotam Virginem Thereſiam (quæ Auilæ ſanctitatis fama innotuerat) ad ſe euocare, & ab ipſa efficaciora humanitatis officia expectare inducitur: Scripſit itaque ad Prouincialem, vt veniendi licentiam concederet; dum hoc ad quædam charitatis officia præſtanda huic Inſtituto, tunc temporis permittebatur. Nec mora quin Prouincialis Illuſtri Dominæ obſecundare cupiens, Thereſiam virtute Sanctæ obedientiæ Toletum ire circa feſtũ Natalis Domini Anni 1561. præciperet: Quò cùm perueniſſet ſumma omnium lætitia

ex-

excepta, D. Ludouicæ adeò grata acceſſit; vt eidem ſua conuerſatione tùm mœroris vim leuare, tùm ſpiritualis vitæ deſideria accendere vehementiùs, totamque inſuper eius familiam ad optimæ frugis vitam reuocare efficaciſſima fuerit. In hac occupatione Thereſia ſex menſes inſumpſit; ſcribendo intereà de ſua fundatione ad S. Petrum de Alcantara de quibuſdam difficultatibus, quæ ei à perſonis doctis ac pijs circa paupertatis modum continuò obijciebantur. Accendebatur quoque deuotus animus prædictæ Marchionis Sanctum Virum videndi cupiditate, eòque Thereſiam vrgebat; vt venire Toletum S. Petrum inuitaret: Quod illa quidem in ſumma conſolatione habens; verebatur tamen ægram, atque deficientem Viri valetudinem itineris moleſtia opprimere. Vndè deſiderij affectu timorem ſuperans, literas ſcripſit officij plenas; quibus S. Petrum tàm charitatis, quàm pietatis argumentis exſtimulans, ad iter Toletum ſuſcipiendum adduxit.

Cùm itaque Toletum adueniſſet, mox in domo Marchioniſſæ prædictæ Thereſiam viſitauit: Illá verò præſentia Viri Dei tanquàm pœnitentiæ effigie attonita, atque in lachrymas deuotionis reſoluta; inſtar alterà Magdalena pedibus eius adhærens, doctrinam atque colloquia cum Sancta Thereſia attentiùs auſcultabat.

Ex his, quæ Sanctæ Thereſiæ difficiliora occurrebant in ſui Monaſterij fundatione, rerum omnium integra abdicatiò grauior videbatur; ex qua multas inquietudines, atque incommoda propter quotidianam mendicationem, Superioribus præcipuè imminere, prudentiorum quoque iudicia præuidebant. At S. Petrus de Alcantara, cui per reuelationem declaratus fuerat modus nouæ iſtius Reformationis, reſpondit abſolutè nullos omninò redditus admitti debere; nè potiùs ex his animi Religioſarum ſollicitudine, ac cura rei familiaris diſtraherentur: Vndè efficacibus eius rationibus perſuaſa, ſententiam aliorum, aut opinionem Sancti Patris longè poſt habuit, ſecum ſtatuens nullas prorſus facultates in fundationis principio ſtabiles acceptare.

Alia difficultas ſuperanda reſtabat cum D. Aluaro de Mendoza, Epiſcopo Auilæ; cui ſi expropriationis forma declarata tunc foret, metuebat Thereſia, quòd Monaſterium non permitteret;vt ſibi imposterùm præcaueret à ſuſtentationis neceſſitate: Illam etiam difficultatem S. Commiſſarius in ſe recepit; ita vt meritò dixiſſe Sancta videatur, *ſine auxilio Sancti huius Viri, nequaquàm opus tam arduum ſua Reformationis, promouere ſe potuiſſe*. Itaque infinitas gratias tùm S. Petro, tum diuinæ Benignitati reddebat, quòd ſuis pijs deſiderijs tam opportunè in omnibus fauiſſent.

At Marchioniſſa, quæ his negocijs intererat; non minùs lætabatur, tàm Sanctorum hoſpitum familiaritate, quàm quòd remiſſo nimio animi dolore ex mariti funere, ſe ad maiora deſideria Deo inſeruiendi, ardentiùs accendi cognoſceret: Vndè in deuotionem S. Petri de Alcantara magnoperè excitata, antequàm Toleto abiret; duas ei poſſeſſiones in ſuo Dominio, pro fabricandis Conuentibus, offerre non neglexit; vnam prope Paraquellos, alteram in Oppido de Malagon. Nec oblatione contenta, fabricæ Conuentus illius prioris ipſa adeſſe, operam manibus præſtare, aliaque tandem adeò ſtudioſè agere volebat; vt non minùs veram in Deum pietatem, quàm ſingularem in Seruum eius Petrum affectum factis exprimeret.

Conuenit S. Petrus de Alcantara Epiſcopum Auilæ pro fundando Monaſterio S. Thereſia. Cap. XV.

PRænoſcente S. Petro vitæ ſuæ diem extremum non longè abeſſe, ideò cupidus fundationem Monaſterij Sanctæ Thereſiæ priùs promouere, feſtinabat adire Auilæ Epiſcopum; vt apud eum paupertatis impedimentum remoueret. Erant autem corporis eius vires tàm maceratione, quàm labore adeò conſumptæ; vt infirmitatibus varijs obnoxiæ, eum Auilæ in lecto decumbere tunc maximè cogerent: Vndè affligebatur magis impedimenti dolore, quàm ægritudinis ſenſu; dum abſente Epiſcopo, neque per amicos

cos etiam negocium, ad quod venerat, tractare opportunè valeret. Dum igitur ſpe erigitur videndi Epiſcopum febri aggrauatus, ſcribere tandem non diſtulit, quidquid mente conceperat: Idemque vt diſtinctè magis explicent amici ſui, D. Franciſcus Salzedo, Gonzalus de Aranda, Magiſter Daza, ſollicitè commendat.

Forma Epiſtolæ hæc erat.

Spiritus Chriſti impleat animam Dominationis Veſtræ; à qua benedictionem peto. Infirmitas (qua aggrauor) hactenùs me detinuit, quin negocium valdè conueniens diuino ſeruitio cum Dominatione Veſtra pertractare poſſim: Itaque nè eius effectui promouendo ex parte mea deeſſe videar, præſenti epiola Dominationi Veſtræ eius argumentum intereà explicare, conſultum duxi. Eſt quædam perſona ſpiritualis, quæ conſtituit Monaſterium religioſiſſimum Monacharum in hoc loco ædificare iuxta perfectionem primi Inſtituti, ac Regulæ Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo: Ideò pro eadem Obſeruantia conſeruanda, conueniens ac neceſſarium iudicauit, Ordinario huius loci obedientiam, atque ſubiectionem vouere. Imprimis confiſa bonitati Dominationis Veſtræ, cuius virtutem, atque ſanctitatem in Diœceſis ſuæ gubernio, vnà cum alijs omnibus veneratur: Perduxit autem negocium cum impenſa quinque millium regalium ad illud punctum; vt Romæ diploma Pontificium obtinuerit. Et quia mihi viſum eſt bonum, propter amorem Dei ſupplico Dominationi Veſtræ, vt eius defenſionem ſuſcipiat; quia ſcio eſſe augumentum diuini cultus, & vtilitatem huius Ciuitatis. Et ſi Dominationi Veſtræ viſum fuerit, eò quòd præſens benedictionem ſuam accipere, & negocium oretenùs pertractare prohibeor; hanc mihi præſtet charitatem, vt ad me mittat Magiſtrum Dazam, cum quo id conferre poſſim, vel aliquem alium ſicut magis Dominationi Veſtræ placuerit; adeò vt hoc maximæ mihi conſolationi futurum ſit. Vlteriùs dico, quòd poteſt D. Veſtra idem conferre cum Magiſtro Daza, & Gonzalo de Aranda, quos optimè nouit; & ipſi me quoquè intimè cognoſcunt: Et licet multa mihi promittam de his, quæ Inſtitutum hoc ſuſcipere cupiunt, cùm prouectæ ſint, atque expertæ virtutis; tamen de principaliori mihi perſuaſum ha-

beo, in illa Spiritum Sanctum habitare, cuius gratiam Dominationi Veſtra diu ſeruet diuina Maieſtas ad maiorem gloriam ſuam, & vniuerſæ Eccleſia bonum. Amen. Amen. Cappell. D.V. indignus Fr. Petrus de Alcantara.

Hanc epiſtolam cùm accepiſſet Epiſcopus, neque authoritate S. Petri de Alcantara, cui multùm deferebat, neque præfatorum Virorum perſuaſionibus (quas ſingularibus rationibus contendebant, opus de Cœlo prouenire) adhuc perſuaderi poterat, Monaſterium ſine certis redditibus admittere: Sed data eis repulſa, atque vltima reſponſione, ſe Auilæ Viro Dei Petro de Alcantara pleniùs perſuaſurum, non deueniendum vllo modo fore ad fundationem ſine aliquo ſtabilimento prouentuum temporalium, mœſtos valdè dimiſit. Hi cùm B. Petrum adijſſent, non exigua rei admiratione percellebant; licet ille perſpecta ſibi Epiſcopi pietate, ſimul perſuaderet talem repulſam diuina Prouidentia ad maiorem operis promotionem dirigi; vt inter ardua conſurgens, ſe nobiliùs extolleret.

Recuperata itaque aliquantùm ſalute, viribus tamen exhauſtis, Epiſcopum conuenire neceſſarium exiſtimans, iumento quodam vehi, tunc primùm non recuſat, quò & negocio conſuleret, & ſanitati; cùm hactenùs pedeſter iter agere ſemper conſueuiſſet. Hinc ad locum Tiemblò (vbi tunc Epiſcopus degebat) perueniens, eundem ſupplex varijs motiuis, & argumentis ita vrget; vt licet ſuæ opinionis tenacem, nonniſi manifeſtæ Dei voluntati ſibi declaratæ cedere cogeret: Nam audita Thereſiæ ſanctitate, atque Serui Dei accenſo feruore perſpecto, aduerſarium ſe vlteriùs efficacioribus indicijs præſtare non audebat; ſed magis diuini conſilij Promotorem. Eadem efficacia S. Petrus de Alcantara paupertatis difficultatem explanans, haud diſſimilibus rationibus Epiſcopum conuicit; quibus aliàs Pontifici Innocentio III. Seraphicus Pater Franciſcus ſui Ordinis ſuper nihilum Sanctæ paupertatis fundati initia humiliter perſuaſerat: Et ſic vltra integrum Epiſcopi conſenſum fauoris eius auxilium reportans, Pedroſum verſus iter læ-

tus

tus intendit; poſtquàm eundem ſpiritualibus colloquijs, vniuerſum quoque Populum præſentiæ ſuæ deuotione conſolatos ſatis reliquiſſet. Dùm autem fundationis prædictæ principia à S. Matre Thereſia diſponerentur; Sanctus Petrus in Conuentum Pedroſi reuerſus, ipſi Sanctæ ea, quæ cum præfato Epiſcopo fœliciter concluſa fuere, diſtinctè perſcribere non prætermiſit.

Sathanas Religioſis S. Ioſephi perſecutiones commouet, diuinis doctrinis ſolatur S. Petrus; & admittit duos Conuentus. Cap. XVI.

QVanquàm plurimo B. Petrus pro Sanctæ Thereſiæ Reformatione zelo diſtraheretur, non tamen eundem in officij ſui ſollicitudine ad minimum remittebat, vt perfectam Inſtituti Obſeruantiam confirmare, atque promouere poſſet, non modò in Prouincia Sancti Ioſephi; verùm etiam in cæteris, quas poſt mortem ſuam relinquebat perficiendas. Itaque cùm inuidiam Sathanæ intelligeret, rigori diſciplinæ ſuorum Fratrum inſidias ſtruere tentationes ſuggerendo, ex quibus à propoſito faciliùs remouerentur: Ideò omnes diuinis monitis extimulans, plurimoſque ſanctis conſilijs confirmans; ſæpiùs magni illius Abbatis Antonij verbis ſic cohortabatur: *Credite mihi fratres; timet valdè Sathanas vigilias, ieiunia, orationes, voluntariam paupertatem, humilitatem: Et ſuper omnia, maximè illum torquet amor intenſus erga Deum.* Quibus animati Fratres exercitia duplicando, inſidias inimici eludebant; quàmuis ipſe apparitionibus, atque inſultibus etiam violentis eoſdem terrere, ac malè tractare non deſineret: Sæuiebat autem maximè contra omnium Ducem S. Petrum, quem cùm virtute Superiorem agnoſceret, eò validiùs proſternere nitebatur; eo quòd vinci etiam ſic eius feruenti oratione pertimeſcebat. Addebat inſuper & alias fraudes, concitando perſecutores, qui temeritatis, ac ſimulatæ pietatis arguendo viuendi rigorem Fratribus moleſtias varias creabant, quibus illi patienter ob-

Digitized by Google

obuiam eundo, Sancti ſui Commiſſarij doctrinis, atque exemplo magis in Chriſtiana tolerantia, atque Inſtituti perfecta Obſeruantia confirmabantur, ac proficiebant. Præterea modeſtè deuotis, alijſque arguentibus reſpondendo, confundebant multos exemplo primi Inſtitutoris Seraphici Patris S. Franciſci; cuius veſtigia dum ſequi velle profitebantur, non temerè ſe (vt aiebant æmuli) ſed vt legitimos filios Patris mores exprimere velle euidenter demonſtrabant: Ex quò tùm S.Petri ſermonibus confortati Religioſi, tùm horum humili, ac deuota conuerſatione compuncti ſeculares, non ampliùs deſpicere exiguum hunc gregem; ſed ſummis præconijs, atque affectu complecti impoſterùm viſi fuere. Adeò autem hæc deuotio creuit; vt S. Petrus de AL cantara à plurimis Hiſpaniæ Prouincijs inſtanter ſollicitatus ad fundandos Conuentus ſuæ Reformationis, magis differret eorum preces, quàm excluderet. Præſertim Auilæ Magiſtratus importuniùs inſtabat, vt propè Ciuitatem Conuentum extruere poſſet, cuius deſiderij executionem ad tempus diuini beneplaciti conſtantiùs remiſit.

At verò id negare nequibat Illuſtriſſimis Dominis, D. Federico de Portugal, & D. Margharitæ de Borgia; quorum pietas locum ſolitarium Alcaicia prope Sollanā ſuæ ditionis, & diſtantem tribus leucis Valentia, ad extruendum Conuentum offerebat: Vndè Cuſtos Fr. Alphonſus de Lerena non diſtulit prædicti loci poſſeſſionem adire; in quodam Eremitorio ſub inuocatione B.Virginis à Pietate ſedem figere, atque in propinquo ſpecu cellas quaſdam tanquàm nidos excauare; vbi deuoti habitatores, rigidioris vitæ exemplo, Populorum corda, atque affectus tanquàm cœleſtes auiculæ in ſui admirationem raptos dementare videbantur.

Idem ſtatim conceſſum Marchioni de Villena Duci Scalonæ in quodam Oppido ſuo Cadahalſo, cuius cauſa hæc erat. Triſtabatur valdè prædictus Dux ob ſterilitatis ſuæ ſenſum, quem Sancto Viro dolens aliquando communicabat: Cui ille, vt cum vxore diuini Sponſi Ioſephi patrocinium

nium implorarent, perſuadens; ſe Deum quoque exoraturum ſpopondit eodem Sancto fauente, à quo hactenùs multa beneficia obtinuerat. Tam fixum hoc conſilium menti D. Ioannæ de Toledo, filiæ Comitis de Oropeſa, & Ducis coniugi inhærebat; vt quadam die marito aperiens, velle ſe glorioſo Patriarchæ Ioſepho Conuentum dicare, ſi eius interceſſione prolem à Deo impetraſſet; idem ambo B. Petro de Alcantara ſignificarent. Nec diù in vanum votum iuiſſe videbatur; cum præfata Domina primò maſculum, poſteà quoque alios tres ſucceſſiuè peperiſſet. Ex quo obſtricta ardentiùs Dei Seruum vrgebat; vt ſuæ Religionis Conuentum in Scalona ædificari permitteret: Sed excuſando S. Dei Seruus locum propter Patres Obſeruantes, qui iam ibi habitabant, elegit Oppidum Cadahalſo duabus indè leucis diſtans; vbi nullis alijs Religioſis impediebatur. Hìc itaque Conuentus poſt mortem glorioſi Patris Petri perfectus, hac vlteriùs memoria inſignis reddebatur: Nam præfati Domini filiorum imagines cum toto rei ſucceſſu, Eccleſiæ frontiſpicio inſculpi voluerunt; quò Sancti Ioſephi beneficium orationibus B. Petri de Alcantara impetratum, memoriæ poſteritatis, atque deuotioni filiorum perpetuò commendaretur.

S. Petrus de Alcantara in quadam Congregatione fundat duas Cuſtodias, videlicet S. Ioannis Baptiſtæ in Regno Valentiæ, & S. Simonis in Galitia. Cap. XVII.

PEruenerunt hoc tempore Roma literæ Emimentiſſ. Domini Protectoris Cardinalis Carpenſis, & P. Franciſci Guzmani Ordinis Procuratoris ſuper negocio, de quo ſuperiùs tractauimus; cuius rationem reddere ſuis Religioſis, ſicut cæterorum nunquàm omittebat. Ideòque ad diē duodecimum Aprilis, Congregationem indicit in Conuentu Roſarij, dùm ipſe aſſiduis orationibus negocium Deo commendat: Sed quia anguſtia Conuentus capere tot Religioſos non poterat, non recuſauit S. Petrus de Alcantara deſignare

re Congregationi certum Eremitorium Comitis Oropeſæ, à Sancto Ioanne Baptiſta dictum de Bobadilla; hùc ſe prior tranſtulit, vt aduenientes Fratres omni charitate, atque humilitate præueniret; accedentiùm quoque pedes lauando. Mox Congregationem die 12. Aprilis Anno 1621. deuoto ſermone aperiens; præſentem Religionis ſtatum, & quæ Romæ ſcriberentur enarrat: Omnium verò animos ad nouæ mutationis inſperata attentiùs præparare ſtudens; promiſſa prædicti Cardinalis Protectoris, atque fauores ſummi Pontificis, ipſorum denique Obſeruantum benignos affectus paratos ſibi egregiè demonſtrat.

Quibus omnibus à Patribus congregatis ritè intellectis; ipſius S. Commiſſarij arbitrio priùs omnia committere; mox illo recuſante decreuerunt vnanimiter ſcribendum Romam; vt in antiquo ſtatu permanere liceat, aut immediatè ſub protectione Sanctæ Sedis; vel ſi aliter fieri non poſſet, ſub Obſeruantibus in ſuorum priuilegiorum intemerata conſeruatione permaneant. Iuxta hunc tenorem cum P. Bartolomæo à Sancta Anna Diffinitore tunc illùc deſtinato ſcripſit S. Petrus Romam Protectori, atque Procuratori Ordinis vtrique iuſtæ petitionis ſuæ argumenta latiùs deducendo; quàmuis vltima tantùm conditio obtineri potuit, Cardinale Obſeruantum partes acerrimè defendente. Ceſſit itaque humiliter Prouincialis Procurator, atque Generalem Obſeruantùm P. Franciſcum à Zamora Venetijs adiens; cum eodem Romam reuerſus. à Pontifice Diploma Concordiæ vocatum impetrat, in quo ſingularia priuilegia Prouinciæ Sancti Ioſephi, cæteriſque Cuſtodijs Diſcalceatorum in Hiſpania ad nutum Prouincialis benignè concedebat:

In prædicta Congregatione propoſuit S.Petrus acceptandum Conuentum de Paracuellos tres Leucas propè Madritum, oblatum (vt diximus) à D. Marchioniſſa Ludouica de la Cerda, dum Toleti moraretur: At de duobus Conuentibus Elche, & Lorito; quia in Regno Valentiæ longiùs à cæteris diſtabant, Cuſtodiam erexit ſub inuocatione Sancti Ioannis Baptiſtæ; quibus poſteà Conuentus Sollanæ

adiunctus fuit. Præfecit his Cuſtodem Fr. Alphonſum de Lerena, Virum moribus & prudentia religioſum; quem poſt alios gradus ad illam partem Commiſſarium prius miſerat, vt diximus: Ei adiunxit Fr. Ioannem à Cordouilla, vt Guardianus Loriti foret; Fr. Melchiorē de Villanoua, & Fr. Alphonſum de Manzanete ſocios cum alijs Religioſis, qui loca iſta pietatis excolerent. Alteram quoque Cuſtodiam declarauit in Regno Galitiæ ex illis Conuentibus, quos ibi fundauerat; & ex primi nomine Sancti Simonis titulum vniuerſæ Cuſtodiæ impoſuit: Ad eandem itaque deſtinauit Superiores, Religioſoſquè Inſtituti zelantiſſimos; quorum exemplis, & doctrina ſtudia virtutum augerentur quotidiè.

His autem peractis congreſſus prædictus diſſolutus fuit, ſumma cum S. Petri de Alcantara lætitia; eò quòd præcipuè filios ſuos ſpiritu conformes orationis, paupertatis, atque pœnitentiæ zelo inflammatos, odorem pietatis reddere animaduertiſſet. Vndè in eodem zelo eoſdem confirmando ſic exhortabatur ſæpiùs: *Filij & dilecti fratres, attendite huic doctrinæ neceſſariæ. Multi inimici ſunt, contra quos neceſſum eſt arma pœnitentiæ parata habere: Et ſi quis perſuadere vobis præſumpſerit carnem veſtram non macerare, talem omninò fugite, & ab eo vos ſeparate, tanquàm à Sathana atque maligno.* Sicq; verbis atque exemplo totius vitæ ſuæ ſtudia Diſcipulis commendans; velut inſtantis mortis præſagus, mutuo illorum amore, & lachrymas doloris elicuit, & affectus paterni teneritudine, veluti deficientis ſui ſpiritus imaginem impreſſit, cunctiſque valè dicendo benedixit.

S. Petrus de Alcantara transfert ſe Auilam, ad concludendam fundationem Monaſterij S. Matris Thereſiæ; ſcribit eidem epiſtolam ſuper paupertatis obſeruantia. Cap. XVIII.

DVm adhuc Sancta Thereſia Toleti [in domo Dominæ Marchioniſſæ de Melagon commorabatur; varijs docto-

ctorum hominum ſententijs, pro paupertatis obſeruantia in ſua fundatione agitatam ſe vidit. Non enim ex vna parte Chriſti ſui indigentiam imitari poſſe exiſtimabat; ſi redditus, aut bona Monaſterio, ac Inſtituto ſuo addicere permiſiſſet: Ex altera verò præuidebat idem imitationis ſtudium non in omnibus permanſurum ex quo, ad rerum temporalium ſollicitudinem dilapſæ, ſpiritum deuotionis opprimerent, aut diſſiparent. Vndè in vtramque partem anceps, nullam ſine S. Petri conſilio eligere firmiter propoſuit; cùm hactenùs eodem ſe plurimùm perfeciſſe apertè agnoſceret: Scripſit itaque epiſtolam varijs argnmentis refertam; quam D. Gonzalo de Aranda perferendam citiùs commiſit.

Attulit hic Vir deuotus epiſtolam S. Petro de Alcantara iam à præfata Congregatione expedito, & tot aliorum opiniones Auilæ degentium, ea (quæ Thereſia narrabat) confirmare, ſummæque illi paupertati aduerſas eſſe atteſtabatur: Vndè zelo accenſus Dei Seruus ſine mora Auilam proficiſci, & quàmuis deficientibus viribus; valido tamen ſpiritu iter nudis pedibus perficere non dubitauit. Hinc quia vera omnia ab amico perlata intellexit, confeſtim reſponſum plenum Apoſtolico Spiritu, ac Spiritus Sancti dictamine ad Thereſiam hoc tenore direxit.

Spiritus Sanctus animam veſtram impleat. Vidi illam, quam mihi D. Gonzalus de Aranda tradidit; ex qua non exigua admiratione affectus ſum, Dominationem Veſtrā tale negocium literatis commiſiſſe; ad quos non pertinet: Nam vbi de litibus, aut conſcientiæ caſibus agitur; laudabile quidem erit à Iuriſperitis, & Theologis conſilium capere, eorumque ſententiam ſequi. At de vita perfectione non niſi illos conſulendos eſſe, qui eandem profitentur, ratio potiſſima ſuadet; quòd aut melius dictamen, aut opinionem de hac habere non poſſe illos, ipſorum operum ſtudium, & exhibitio apertiùs demonſtrant: Nec in Euangelicis conſilijs aliena conſultatione opus eſt, niſi an amplectenda ſint, aut ſeruari poſſint deliberare; quod ſpeciem infidelitatis certiſſimam præfert. Conſilium enim Dei nullum niſi bonum eſſe poteſt, nec obſeruatu difficile, niſi incredulis, aut parum Deo fidentibus; dum

ſecun-

ſecundum humana tantùm prudentiæ regulas ducuntur; Quippè Author Conſilij, remedij etiam largitor erit, tanquàm potens in omnibus; cùm homo nullus boni conſilij author eſſe ex ſe queat, quin cupiat bonum videri, licet ipſe natura propria malus ſit. Quantò magis is, qui ipſa bonitas eſt, velit poteritque conſilia ſua, ſequacibus in bonum (vt proficiant) efficere; ſi vult ſequi conſilium Chriſti, quod eſt de maiori perfectione, ſequatur; quia non magis viris datum fuit, quàm mulieribus, & ipſe faciet, vt fæliciter ſuccedat; quemadmodùm alijs plurimis, qui ipſum ſecuti fuerunt; Si autem adhærere vult conſilio Literatorum ſine ſpiritu, quærat potiùs habere bonos prouentus; vt experiri poſſit, ſi hi vtrinque plùs valeant, quàm omnium rerum carentia, ſuadente Domino: Vbi verò videmus aliquos defectus in Monaſterijs mulierum pauperum, id magis euenire conſideremus; ex eo, quòd hanc paupertatem inuitæ patiantur, non ex conſilio diuino. Nec ego ſimpliciter paupertatem laudo niſi eam, quam patienter propter amorem Crucifixi Redemptoris noſtri toleramus; Et multò magis deſideratam illam, quam propter amorem eiuſdem ſponte ſuſcipimus. Nam ſi aliter ſentirem, aut certa determinatione crederem; non mihi in fide ſecurus viderer: At in omnibus his, Chriſto confido, atque credo firmiter conſilia eius optima eſſe, quia diuina; & licet ſub peccato non obligent, attamen obligari aliquem magis perfectum eſſe in ipſius imitatione, quàm vt ea relinquat ſine culpa. Dico, quòd obliget in eo, quo perfectionem ſuadent; & in hoc reddunt ſanctiorem, atque Deo magis gratum: Exiſtimo proindè beatos (vt ipſe Dominus dicit) pauperes ſpiritu, ideſt ſpontaneos, vt ipſemet expertus ſum; licet Deo magis quàm propria experientia credam. Dominus concedat Dominationi Veſtræ tantum luminis, vt intelligere valeat hanc veritatem, eamque perficere: Nec credat illis, qui contrarium aſſerunt ex luminis defectu, aut ex incredulitate; aut quia nunquàm guſtarunt, quàm ſuauis eſt Deus his, qui ei ſentiunt, eum amant, & propter eius amorem renunciant rebus omnibus ſeculi non neceſſarijs. Nam huiuſmodi inimici ſunt Crucis Chriſti, nec credunt gloriæ, quæ poſtmodùm eamdem conſequetur: Addat quoque adhuc lumen Dominationi veſtræ nè in manifeſta adeò veritate vacillet

cillet

cillet; nec conſilium capiat niſi ab his, qui conſilia Euangelica ſeriò amplexi ſunt. Nam licet alij, qui præcepta (ad quæ tenentur) ſeruant, ſalui fiant; communiter tamen lumen maius non habent, quàm de ijs, quæ operantur: Et quantùmuis bonum ſit conſilium ipſorum; melius tamen Chriſti Domini noſtri conſilium erit, qui eidem dono perficiendi auxilium tribuit: & tandem præmia reddit his, qui plenam in eo fiduciam figunt, & non in rebus terrenis. Auilæ 14. Aprilis, Annò 1562.

Fr. Petrus de Alcantara.

Hac accepta perlectaque epiſtola, S. Thereſia animi ſui dubia velut diſſolui ſentiebat; firmiter ſibi proponens, contradicentium obiectionibus Serui Dei conſilium, tanquàm ſcutum opponere; atque ſic paupertatis regulam in Monaſterij fundatione, integram obſeruare. Eadem inter ſcripta Sanctæ inuenta epiſtola in primo Conuentu ab eadem Auilæ fundato, tanquàm pretioſa reliquia reuerenter cuſtoditur: Cuius inſuper Apoſtolicum ſpiritum nunquàm celebrare ſatis ſibi videntur Scriptores vitæ eiuſdem Sanctæ; inter eos affirmat præſertim Epiſcopus D. Didacus à Yepes, huius motiuis ſingulariter inductam ſanctam, Reformationis ſuæ integram perfectionem in rerum omnium abdicatione ſtabilire. Et denique Diſcalceatorum Carmelitarum nouiſſimus Chroniſta Fr. Franciſcus à S. Maria occaſione huius epiſtolæ ita propè ſcribit in tom. 1. lib. 1. cap. 41. num. 11. *Hæc talis eſt, vt in omni clauſula, plurima conſideranda ſuggerat in fauorem Sanctæ paupertatis; & qui vel verbum adinnuere vellet, non minorem, quàm auferendo iniuriam faceret. Veneror eandem, non velut atramento exaratam, ſed ſanguine Chriſti aſperſam; non tanquàm dictatam ab homine, ſed ab ipſo Spiritu Sancto; non velut Euangelij explicationem, ſed eiuſdem ſimplicem verſionem &c.* Et ideò, *eam deſcripſi hoc loco; ſperans magnum Religioni meæ fructum allaturam, & futuram velut turrim Dauid contra eos, qui infeſtare velint ſanctam paupertatem, quam nunc profitetur.* Hactenus Author prædictus.

Quo-

Quomodò S. Petrus elegit duas ſocias pro S. Thereſia; Et de quibuſdam prædicationibus. Cap. XIX.

POſtquàm ſupradictam epiſtolam ad Thereſiam tranſmiſiſſet, remanſit vlteriùs Auilæ S. Petrus de Alcantara, vt quædam negocia fundationi conuenientia diſponeret; quaſi timens opus illud poſt ſe imperfectum relinquere. Imprimis multorum animos paupertatis auerſione præoccupatos, ad Apoſtolicam Regulam, atque ſenſum perduxit: Inter quos præcipuus erat D. Franciſcus de Salzedo, qui opinionis contrariæ contagio infectus nimiùm videbatur. Monebat Ioannem de Oballe cognatum S. Thereſiæ, vt cautè omnia in domus emptione, atque præparatione pro fundando Monaſterio perageret: Et Dominam Guiomaram de Vlloa in fabricæ, quæ in eadem domo alio titulo fiebat, accelerationem animabat.

Vltra hanc temporalis fabricæ ſollicitudinem, non negligebat quoque S. Petrus de Alcantara ſpiritualem promouere; dum Virginem illam (de qua aliàs mentionem fecimus) D. Iſabellam de Ortega, de propinqua occaſione perficiendi propoſitum admoneret; vt prompta Sanctæ Thereſiæ adeſſet. Idem quoque de altera Viirgine, licet paupere nomine Maria de'Auila; & duabus alijs, quæ numero quatuor, ſpiritus & deuotionis exemplaria meritò dici poterant; vt S. Thereſiæ aſſociarentur. Ideoquè non ſine ratione S. Petrus de Alcantara à præfata Sancta, tanquàm Pater, & principalis Promotor iſtius ſuæ Reformationis, ſæpiùs nuncupari atque coli promeruit.

His fœliciter diſpoſitis, commendataque operis cura Magiſtro Dazæ, atque Gondiſaluo de Aranda; ipſe ad Conuentum de Arenas proficiſcitur. Et ſicut erat exhauſtus viribus; & corpore infirmus, pedibus iter per æſtus & frigora perficere, magis mirandũ videbatur, quàm quòd mortis vicinia excluderet: Erat tunc Aeſtas feruẽtior, cùm Dei Seruus (pro more) capite radijs Solis expoſito incederet; nec tamen pro-

pter mentis in Deum eleuationem, moleſtias vllas ſentire, cernebatur. Socius autem Fr. Gaſparus ſiti potiſſimùm confectus ferre vlteriùs eandem nequibat, ob quam paulatim S. Commiſſariū præcedens, ad riuum quemdā hauſta ex eodē aqua aduenientem expectabat: Quem ille, quòd ſine licentia ſitim leuaſſet, increpans; pro pœnitentia febri correptū iri, atque in tali domo cuiuſdam deuoti remanſurum, vſquequò ipſe eum indè ſanum reduxiſſet, exactè atque ſine hæſitatione prædixit. Dignum ſanè admiratione fuit, Religioſum ætate robuſtum vix prolata Sancti prædictione; malè ſe habere, cœpiſſe febricitare, atque ita valetudine affici, vt progredi vltra vicinū Oppidum non valeret: Vndè ibidem apud amicum quemdam ſpiritualem relictus, tamdiù ægrotus permanſit, vſque dum Religioſus quidam à S. Petro miſſus, ad reducendum eum ad Conuentum adueniſſet. Tunc velut renouari miraculum, cùm accedente prædicto Religioſo ſtatim Fr. Gaſparus rectè valere, atque ceſſante febri, integris viribus ſequi eundem verſus Conuentum, cunctis admirantibus, viſus fuit: Ibi rem geſtam cæteris Fratribus narrare, vt diſcriminis ſui exemplo, obedientiæ perfectionem, ac ſtudium fideliùs inculcaret.

Intereà S. Petrus de Alcantara extrema quoque vitæ Deo ſacrificans, nè torpere otio in eius ſeruitio videretur; licet debilis, ad vicina loca tranſibat, vbi plurimos prædicatione, atque pœnitentiæ adminiſtratione ad viam virtutis conuertit; vſquequò morbo ingraueſcente, ad Conuentum reuerti cogeretur. Tranſeūdo autem per quendam Pagū Monbeltran dictum, diuertit ad domum cuiuſdam deuotæ mulieris, quæ plurimùm Religioſis ſuis fauebat. Hìc dum tantiſper quieti datum; de præſentis vitæ breuitate, atque futuræ æternitate altiſſimum ſermonem inſtituens, tandem concluſit dicendo mulieri; *Soror Ioanna, Deus tibi abundanter reddat, quæ pro amore eius facis: Nos quidem vlteriùs inuicem non videbimus; ideò quia aliud non habeo, quod tibi relinquam, accipe hunc baculum.* Quo tradito receſſit; mæſtam valdè relinquens, ob imminentis ſuæ mortis prænuncium.

Digitized by Google

At doloris huius ſolatium ex reliquiæ munere ſumens, deuota mulier ſæpiſſimè experiebatur, baculi huius virtute, plurimorum morbos, aut expelli planè, aut ex parte leuari, deuotis præſertim quibus tradebatur; quemadmodùm adhuc fieri narratur.

Ex diuina inſpiratione infirmus vadit Auilam, vt S. Thereſia in fundatione operam præſtet. Cap. XX.

CIrca hoc tempus à Prouinciali S. Thereſiæ iniunctum erat; vt ad Monaſterium ſuum Auilam reuerteretur, vbi eam Monachæ ſibi pręficiendi animo auidiſſimè expectabant: Ipſa verò electionis terminum declinare ſatagens, caloris obtentu (qui tunc Iulio menſe feruebat) diuina tamen inſpiratione, Toleto abire perſuadetur; vt eadem gratia fauente, Auilæ maioribus rebus intenderet.

Itaque S. Petrus de Alcantara, qui in Conuentu Ar enis nouis morbi acceſſibus grauabatur, ſtomachi verò ſolito dolore vix non ad extrema redactus, moueri ſe supernè ſenſit vehementer Auilam eundi, vbi præſentia eius tunc maximè neceſſaria erat: Et quia præ debilitate, manibus aliorum ſuſtinebatur; omnium Religioſorum voto ab hoc itinere diſſuadebatur inſtantiùs, nè mortis ſe periculo exponere tentaret. At ipſe interno Charitatis ſtimulo magis vrgente, videbatur animum, vireſque aſſumere; ſic tamen vt à Medico iumentum quoddam peteret, quo Auilam vehi poſſet, quò eum Reformationis introducendę zelus cum S. Thereſia vocabant.

Illùc cùm perueniſſet, commorando in ædibus D. Franciſci de Salzedo; ab eodem magno cum dolore intellexit fundationis negocium multò in deteriùs mutatum ab eo, quo ipſe proximè illud reliquerat: Nam diuulgato per Ciuitatem S. Thereſiæ propoſito, plurimi ipſum S. Petrũ de Alcantara arguebant; quòd ei adhæreret, atque nimis facilè ſpiritui eius hactenùs credidiſſet, præſertim verò in negocio cui nullam humana prudentia rationem præbebat; itaque

potiùs

potiùs reprehenſione dignam iudicabant; atque in proprio Monaſterio perfectionis ſtudio occupandam, quam noua fundatione Carmelitarum Diſcalceatarum, velut diuinam Prouidentiam pertentare; nullo prouentuum admiſſo ſubſidio. Turbauerant ijdem Epiſcopi mentem, quam priùs rationibus S. Petri ad conſenſum fundationis pertractam; hi ſeculi prudentes varijs argumentis peruertere adlaborabant: Nec minus contra D. Guiomaram de Vlloa importunos ſe gerebant; ex eo quòd ſuo nomine obtentum fuiſſe Romæ Pontificium Breue dicebatur. Vndè totius nouitatis cauſam in ipſam refundentes, maximoperè affligere non ceſſabant.

Quibus omnibus perſpectis S. Petrus diabolicas aſtutias agnoſcens, Deum ardenter exorabat; vt ſibi ſpiritum augeret eaſdem ſuperandi, atque diuinæ gloriæ opus fœliciter promouendi: Cui ſanè deſiderio diuinam Benignitatem annuere, id imprimis monſtrabat; quòd contra omnium opinionem è lecto ægrotus ſurgere, atque negocium magno feruore pertractare breuì viſus fuerit. Itaque prima capita contradictionum frequenter adire, rationibus premere, Euangelicam nimirùm paupertatem Religionum præcipuam baſim eſſe; nec contrarios ſanè de diuinis conſilijs opinari: Adeòque non leuitate muliebri, ſed conſtantia diuinæ inſpirationis; immò ex obedientię virtute S. Thereſiam nouæ fundationis propoſitum animo fouere. Cuius etiam virtutes, atque Inſtituti excellentiam debitis præconijs ſubindè commendabat.

Inter alias rationes, quas adducebat ad conuincendos aduerſarios paupertatis, ac noui Monaſterij, has vt notabiles expreſſit Chroniſta; quòd videlicet detrimentum redundare in Rempublicam poteſt, ſi apud ſe foueat Parthenonem quoddam Virginum recluſarum, quæ ſpretis Mundi facultatibus, manuum labore neceſſaria ſuæ vitæ, ac ſuſtentationi procurauerint; die noctùque orationibus pro Populo, pro totius Muundi ſalute apud Deum inſtiterint: Quòd damnum ſequetur, ſi ipſarum exemplo aliæ animæ à Deo exci-

tatæ

tatæ, in flore iuuentutis ſeculo renunciando; eiuſdem famulatui ſe integras dicare, atque hoſtias perfectas in ara Crucis per pœnitentiæ ſacrificia mactare elegerint? Quid vtilitatis, aut commodi ſententijs ciuium decedet, ſi prædictæ Virgines nullius bona, aut poſſeſſiones concupiſcentes voluntariæ paupertati ſeipſas ſubmiſerint? His alijſque rationibus feruore S. Petri de Alcantara productis, omnes propè ſuperati, in ſententiam eius faciliùs tranſire non ſine magna admiratione plurium videbantur.

Deindè apud Epiſcopum pari humilitate, ac Apoſtolici Spiritus zelo; eandem paupertatis, ac fundationis nouæ cauſam egit: Adeò vt cultus diuini, publicæque vtilitatis efficaciſſimis motiuis pio Prælato perſuaſis, facilè ad priorem ſententiam (in qua vacillare videbatur) efficaciùs reduceret; facta deſuper promiſſione, opportuno tempore operi ſe omni conatu affuturum. Hinc ad D. Guiomaram tranſferri, eamque inquietam conſolari, atque in cœpto operis fauore confirmare; ſuadere tamen vt pro maiori animi ſui quiete (dum diploma Pontificium Roma non veniſſet) extra Ciuitatem ſecederet, ab ipſa Sancta Thereſia ſuo tempore reuocanda: Cui illa promptiſſimè obſecuta, Auila egreditur, curam domus (quæ pro nouo Monaſterio parabatur) relinquens Mariæ à Pace, quam S. Petrus de Alcantara inter fundamentales nouæ Reformationis petras, primam deſtinauerat, vt alibi retulimus.

Sic itaquè inſigni ardore Reformationem S. Matris Thereſiæ promouens, admirationi erat omnibus; quòd in vitæ extremo conſtitutus, ægrèque pedibus inſiſtens, tam inceſſanter nunc ad Prælatos accederet, nunc cum Viris Religioſis, ac doctis congrederetur; interdùm deuotas perſonas ad fauorem ſollicitaret, denique cuncta maiori quaſi zelo, quàm in propria cauſa agere videretur. Vndè negocium iſtud tanquàm cœleſte Viro ſancto, ſingulari diuino præcepto commiſſum fuiſſe, omnia fundationis huius initia fœliciora eiuſdem meritis adſcribebant, atque interpretabantur.

De aduentu S. Thereſiæ Auilam, & de diligentia S. Petri de Alcantara pro acceptando Diplomate nouæ Reformationis, Cap. XXI.

DVm Auilæ expectabantur literæ Apoſtolicæ pro noua Reformationes S. Thereſiæ ſtabilienda, placuit Deo, vt D. Ioannes de Oballe affinis S. Matris, qui parabat ex eadem Ciuitate egreſſum, morbo quodam correptus remanere cogeretur in eadem domo, quæ pro nouo Monaſterio deſtinata fuerat: Vndè ſæpiùs hic à S. Petro de Alcantara viſitatus pro abſentia vxoris, atque ſororis triſtior, ex eiuſdē Sancti conſuetudine & promiſſis, maius leuamen & doloris, & ægritudinis libenter capiebat. Nec vana quadam ſpe eluſum ſe agnouit, cùm eodem tempore & Diploma Pontificium Roma, & Sanctam Thereſiam Toleto Auilam perueniſſe intellexit, ita diſponente atque fauente Deo; vt omnia opportunè ad negocij promotionem concurrerent, tàm aduentus Sanctæ Matris, quàm Breue fundationis, atque ipſius S. Petri præſentia, quam neç ipſa S. Thereſia opportuniorem optare poterat; præter ipſam affinis infirmitatem, cuius obtentu extra Monaſterium Incarnationis in noua illa domo habitare ei licebat: His accedebant Epiſcopi in Ciuitatem reditus, & D. Franciſci de Salzedo commoratio; quæ præter conſuetudinem eum tunc Auilæ detinebat. Quæ omnia facilè cunctis perſuadebant, diuinæ Prouidentiæ ordinem cuncta ad intenti operis perfectionem colligere.

Hinc intellecto Thereſiæ aduentu S. Petrus confeſtim illā in Monaſterio Incarnationis adire, ibiquè ſuadere, vt Superiorum licentiam impetret manendi apud affinem ægrotum, dùm proximorum ſolatio deſtituebatur: Sic enim turbationem aliquam imminentem ex publicatione Diplomatis Pontificij, meliùs declinaturam; cæteriſque rebus commodiùs agendis prouiſuram prudenter aſſerebat. Prætereà licentiā nouæ fundationis à proprio Prælato prius petendam, vt pa-

ci,

ci, atque vrbanitati ſatisfaceret, licet Epiſcopo commiſſa foret.

His ritè à S. Thereſia obſeruatis, nequaquàm à Prouinciali obtinere potuit; vt Monaſterium nouum ſine redditibus certis fundare permitteret: Ideò collata cum S. Petro difficultate, Diplomatis clauſulam diuina diſpoſitione inſertam de Monaſterio Epiſcopo ſubijciendo, mirè extollebant; atque eidem ſine mora inſinuare non negligebant. Ipſe verò benignè annuere, & licentiam certò cum ſua protectione promittere; cùm S. Petrus de Alcantara fundationis fructus copioſos, atque ipſi Epiſcopo gratos certioreſq; prænunciaret: Vndè audito Epiſcopi conſenſu, aliqui obſtinatiores impedire vlteriùs ſtudebant S. Petri ad eundem regreſſum; & nè cæteros ex Magiſtratu rationum ſuarum efficacia, ad operis executionem prorſùs adduceret. At Deo fauente, ita in contrarium verſa ſunt omnia; vt paucorum vota, quæ aduerſa operi reddere quorumdam ſugillationes procurauerant, eidē fauendo maiorem ardorem oſtenderent etiam poſt obitum Serui Dei Petri, cùm nouæ perſecutiones contra Sanctam Matrem conſurgebant.

Igitur tam indefeſſo ſtudio huic negocio Vir ſanctus, tunc maximè incubuit, vt ſine ſpeciali Dei auxilio vix eidem præ ægritudine, atque debilitate ſufficere exiſtimaretur; dum monendo, conſulendo, atque omnium retorſiones in ſuam ipſius conſcientiam ſuſcipiendo, cuncta impedimenta amoueret, quò fundationis initia promouerentur. Vndè ſatis ingenuè P. Ribera, cæterique vitæ Sanctæ Matris Thereſiæ Scriptores, B. Patrem tanquàm promotorem, & coadiutorem ſuæ Reformationis celebrando, alijs non impropriè perſuadere poſſunt eundem S. Petrum de Alcantara aliqua ratione Patrem eiuſdem, ſicut S. Thereſiam Matrem appellari debere.

Quomodò S. Thereſia vidit S. Franciſcum, & S. Antonium aſſiſtentes S. Petro de Alcantara celebranti.
Cap. XXII.

REddebat quotidiè immenſas gratias Deo S. Thereſia, quòd operis ſui progreſſus, procurante S. Petro de Alcantara, tam fœliciter ſuccederent: Exorabatque inſtantiùs diuinam largitatem pro eiuſdem ſalute, quò infirma valetudine, atque deficiente vita reliquis perficiendis ſufficeret. Ille verò diligentiùs domum illam, vbi Monaſterium deſignabatur, occaſione D. Ioannis de Oballe infirmi inuiſere, Sanctam in omnibus (quæ peragenda occurrebant) adiuuare, diſponendo, diſtribuendoque loca officinis, cæteriſque manſionibus pro Monaſterio neceſſarijs; quæ quò anguſtiora erant, eò Sanctum Virum maiori conſolatione afficiebant, ſibi repræſentantē intùs tugurium Bethleemiticum aliquo modo imitatione exprimi: Vndè quodam die ſpiritu plenus, ad S. Thereſiam magno feruore conuerſus, admonuit; nè vnquàm ſtrictæ paupertatis modum, ac formam mutaret, aut dimitteret; quam ſuo inſtituto propriam, atque pretioſam eſſe debere diuina voluntas expreſsè decreuerat.

Interdùm S. Thereſia B. Patrem in Eccleſia maiori adibat, vbi ab eodem Confeſſionis, atque Eucharistiæ Sacramentis reficiebatur: Accedebant quoque quatuor illæ Virgines electæ, quas Sanctæ Matri B. Petrus tanquàm dilectiſſimas filias, Reformationis primitias offerebat; ſingulariter autē virtutem D. Iſabellæ de Ortega commendabat, quam Inſtituto ſuo magnum emolumentum allaturam prædicens, voluit in dicta die ad familiarius colloquium in prædicta Eccleſia reuocare. Paruit deuota Virgo, atque in eadem Eccleſia Sancto Viro confeſſa, ſupplicauit ſe ſacrificij precibus participem facere; vt quod animo de vitæ ratione ineunda diù fuerat meditata, id nunc inſpirante Domino exactiùs perficeret.

Deindè

Deindè ad ſacrum celebrandum acceſſit S. Petrus de Alcantara,& dum (pro more) mentis quodam exceſſu ſurſum raperetur; meruit agnoſcere ſibi Sanctos aſſiſtentes, Patriarcham Franciſcum Diaconi, atque Antonium Subdiaconi miniſteria exhibere. Nec ideò in faciendo turbari, ſed ad participationem ſanctiſſimæ hoſtiæ properare; vt interno animi iubilo, quo diffluebat in lachrymas, citiùs expediretur, atque aſſiſtentes communicaret.

Nec dum viſio illa tam inſolitæ gratiæ, Virginibus niſi per indicia aliqua innotuerat; vſque dum Seruus Dei ſanctæ Thereſiæ ſacra myſteria porrigendo, ab eadem obſeruatus fuit, medius inter duos illos ſanctos approximare ſibi: Erat autem vterque veſtibus ſacris fulgentibus indutus, qui dum S. Petrus Sacramentum tradebat, reuerenter genua flectendo, cum ipſo celebrante ſtatim miniſtrantes ad Altare reuertebantur. Quamquidem ſummam gratiam, licet præ timore Confeſſarij, in ſcriptis ſuis referre omiſerit; vt de alijs confeſſa fuit, aut nè exindè maiorem exiſtimationem quæreret: Tamen diſponente Deo, poſt aliquot annos in quodam colloquio cum Viris doctis, atque cordatis eandem viſionem S. Thereſia, inter cætera S. Petri de Alcantara merita atque mirabilia, diſtinctiùs enarrauit. Ex quo ad poſteritatis memoriam, tam inſigne miraculum peruenisſe intelligimus.

De his, quæ poſtremùm S. Petrus cum Thereſia egit; & quomodò noui Monaſterij poſſeſſio capta fuit.
Cap. XXIII.

PErſolutis Deo gratijs, Petrus ad deuotas illas Virgines, in quodam ſacello orantes acceſſit; vbi ad ſpirituale colloquium inuitatas, mentes ſinceriùs aperire inuicem, nihil inter ſe celatum habere admonebat. Hinc S. Thereſia Inſtituti ſui rationes Iſabellæ explicare; hæc Thereſiæ conſortij ſui deſiderium, ac fidem promittere eamque rogare, altem vt coniunctis orationibus à Deo impetrare ſtude-

rent vnicum impedimentum, quod ſibi à Patruo obſtabat, quàmcitiùs remoueri. Cognouit tunc S. Thereſia, altiſſimũ Iſabellæ ſpiritum, quem S. Petro de Alcantara commendãs, ei quamplurimùm obſtrictam ſe fatebatur; quòd tam inſignem virtutem indagaſſet, cuius ſocietas quamcumq; etiam expectationem compenſaret.

Poſt colloquium vnuſquiſque ad ſua reuertitur, licet S. Petrus de Alcantara moræ impatiens, paucis diebus interiectis S. Thereſiam conueniret, exhortando vt fundationis initium faceret; inducendo quatuor illas Virgines, quas ille conquiſierat, & adeundo poſſeſſionem noui illius Monaſterij, in quo iam tanquàm priuata domo commorabatur; cui etiàm facto dies Sancti Bartholomæi decretus fuit. Conuenit quoque diligenter Epiſcopum, atque pro obtinenda vltima licentia tam digna S. Thereſiæ virtute eidem narrauit; vt alloquendi eam occaſionem præbuerit: Exin verò deuotus Prælatus tam ſeriò prudentiam, atque ſanctitatem S.Thereſiæ mente & affectu concepit, vt non modò valdè rationabilem S. Petri zelum in promouendo hoc negotio Reformationis iudicaret, ſed etiam quò magis eiuſdem fauori ſe obſtringeret, capellam maiorem primi Monaſterij huius Sanctæ, ſibi iurepatronatus in ſepulturam elegerit.

His omnibus ritè diſpoſitis S. Petrus de Alcantara vitæ ſibi finem inſtare præſentiens, ad Religioſorum ſuorum contubernium redire priùs conſtituit, atque Auila diſcedere. Quare nè quidquã in Reformationis S.Matris Thereſiæ negocio infectum relinqueret; poſtremò Epiſcopum in fauoris conſtantia confirmare, deuotis Virginibus perſeuerantiam cum Inſtitutrice commendare, Magiſtro Dazæ ſpiritualem curam noui Monaſterij ex Epiſcopi approbatione ſedulò iniungere D. Gonzalo de Aranda, vt in omnibus S. Thereſiæ adeſſet, confidentiùs committere; denique omnibus vltimum vale dicere, nouiſſima laborum eius Auilæ fuere.

Quæ porrò cum Sancta Thereſia priuato, atque poſtremo illo congreſſu tractata fuere, conſiderationi potiùs quàm

no-

notitiæ explicanda relinquo; quàmuis S. Petrus de Alcantara ſe vltra fautorem Sanctæ iſtius Reformationis ſemper futurum reciperet, & ipſa obligationis ſuæ onus ex tam feruenti charitate (qua negocium totum hactenùs promoueret) non parùm aggrauari in futurum, etiam doloris incremento oſtenderet. Teſtimonia huius veritatis ipſa Sanctæ verba ex ſcriptis eius producenda ſic habent in cap. 36. eius vitę in principio: *Ille fuit, qui omnia operatus eſt; & niſi in tali occaſione aduenißet, non poſſem intelligere, quomodò fieri hac potuiſſent; quia parùm temporis hic manſit Vir ſanctus, nec exiſtimo quòd vltrà octo dies, quàmuis infirmus; & paulò poſt, eum ad ſe Dominus vocauit. Et videtur ad hoc tantùm à diuina Benignitate fuiſſe ſeruatus, vt negocio finem imponeret; quia à longo tempore, ideſt vt exiſtimo, à duobus annis malè habebat.* Sic illa.

S. Petrus de Alcantara Auila diſcedit, viſitat ſuos Conuentus, ſuiſque Religioſis ſalutaria monita præſcribit.

Cap. XXIV.

Redeundum iam erat S. Petro ad Fratrũ ſuorum conſortium, quod Reformationis à S. Thereſia intentæ zelus interruperat: Indè cruribus vacillãs, iumento impoſitus Auila exire, atque principales ſui Inſtituti Conuentus circumire curarum primas ſumpſit. Itaque primùm Pedroſum, dein ad cæteros ordine Conuentus iter dirigere; vt approbata Religioſorum diſciplina, tanquàm filijs obedientibus vltimam paterni affectus benedictionem impertiret: Vndè dum hoc loco Inſtituti eius obſeruantia deſcribenda commodiùs ococcurrat, vitæ formam (quam tunc vigentem) apud ſuos B. Pater inuenit, breuibus præſtare lineis non pigebit.

Omnibus ſpiritus vnus corpora, animam trahentibus ſimilia, ſuſtentabat; dum mens Cœlo affixa vix ea curabat, quæ mortis neceſſitatem excluderet: Hinc lectus durior, quædam tabulæ vili ſtragulo coopertæ, aut ſarmenta, aut nuda humus. Alij, quos orationis feruor in Odeo detinebat,

bat, cùm ſomnus opprimeret, ibidem vigilum inſtar excubias agere, nec cellam petere. Ipſas vigilias aſperrimis diſciplinis intexebant; dum ſomnum excutiendo, carnes flagellis dilaniare non perhorreſcerent. His continuum cilicij tormentum addebatur, quod aut catenis, aut laminis ferreis; aut hirſutis pilis compactum indicabat cœleſtes milites, ſeueriùs contra ſeipſos, quàm contra inimicos armari. Erat nimirùm adeò infractus hic rigor; vt cùm corpus diutiùs reſiſtere nequiret, occultis vlceribus aperire eadem neceſſum erat Chirurgis, qui nouis inciſionibus exactiùs iam marcida curarent. Diſplicebat quidem veris Dei Seruis ſecreta, quæ ei ſoli patebant, hominibus pandere; ſed humanitatis ratio ſuadebat caſtigatione rationabili corpus in ſeruitutem redigere, non animam iniqua carnificina proprijs manibus expellere. Hinc cùm vitæ huiuſmodi auſteritas plurimos Religioſos morbis grauioribus affligeret, procurandum fuit; vt in commodis locis valitudinaria instituerentur, vbi pro paupertatis, ac neceſſitatis modo, ægrotantibus remedia exhibebantur. Vbi verò quorumdam tenerior complexio auſteritatum laxamentum ſuggerebat, tunc maximè incomparabilis Magiſtri, ac Patris Petri de Alcantara adhuc in extremo vitæ colluctantis exemplum, velut aculeus ad perſeuerantiam exſtimulabat; nè remitterent.

Idem rigor foris obſeruabatur, cùm quæſtuandi gratia ad Oppida, & loca miſſi exibant; vbi paucioribus, quæ apponebantur contenti, noctis maiorem partem in oratione, aut diſciplina tranſigebant. Interdiù colloquijs, ac ſermonibus ſacris deuotos hoſpites, alioſque benefactores animando ad cœleſtia; humanæ vitæ, ac caducarum rerum contemptum, ipſa etiam vultus, habituſque effigie, efficaciùs perſuadebant: Nec illa ſine admiratione omnium conſcientias, non minus quàm oculos feriebat; eo quòd homines quaſi ſemimortuos aſpicientes, obſeruabant accuratiùs vix lacinijs ſe tegere, pedes inter ſpinas atque tribulos laniare, totos denique vix pelle, & oſſibus cohærere;

aut

aut abſtinentiæ, frigoriſque algore, interdùm totos obrigeſcere. Penetrabant hæc altiùs in multorum animos; ſimulque cum compaſſionis teneritudine propriarum culparum conſcientiam, atque rigidius examen reuocabant. Nam ſi viri innoxij, & mortis ſtudio planè addicti, adeò ſeuerè ſeipſos caſtigare videbantur; quid ſibi timendum foret? qui criminibus graues occaſionibus vitiorum inhærebant, vnuſquiſque maturiùs deliberabat.

Hic igitur fructus notabilis erat religioſæ S. Petri familiæ; ex qua ſicut ſingulos ad vitæ ſanctioris diſciplinam priuatim inſtruxerat; ita omnes ad ſecularium mores corrigendos, tum ſalutaribus præceptis, tum rariori extra clauſtra commercio admirandos effecerat. Nemini enim niſi pro ſpirituali aliquo proximi beneficio, aut Fratrum neceſſitate ſubuenienda, ſecularium domos adire permittebatur. Et cùm hoc per obedientiam præcipiebatur, admonebat cautius; nè religioſam conuerſationem corrumperent; *Nam ſeculares illi* (vt aiebat Sanctus) *non vident auſteritates, aut deuota exercitia, quibus Religioſi intra clauſtra exercentur; itaque verbis, & operibus inſtruendi ſunt, vt odore bonæ conuerſationis in vita & moribus corrigantur, atque proficiant.* Addebat inſuper tanquàm optimum remedium Dei præſentiam, quam in omni loco ſeruandam apta ſimilitudine declarabat: *Filij, eſtote imitatores piſcium in mari, qui inter tempeſtates, & commotiones undarum non extra aquam fugere intentant; ſed potiùs ad profundiora ſe recipiunt. Sic vos inter rumores, & ſtrepitus hominum immergite vos diuinæ contemplationi: Et ſi diabolica fortè ſuggeſtione interdùm extra voſmetipſos rapi ſentiatis; recurrite ad ſanctiſſima Saluatoris noſtri vulnera, tanquàm ſalutares quoſdam porticus nobis patentia, vbi ſecuri à quacumque tempeſtate, quam per ſecularium conuerſationem concitare contra vos Sathanas poterit, tranquilli animi veſtri quiete* [illegible] *fruimini.* Quibus omnibus B. Viri diſcipuli quotidiè eruditi, breui ad eum perfectionis gradum peruenerunt, vt ſanctitatis opinionem plurimis vbique inſtillarent, quemadmodùm alio loco annotabimus.

Nec

Digitized by Google

Nec deerat intereà domi famulis ſuis prouidere diuina liberalitas; dum ſpontè, ac ſtudioſè ſibi ſeruientibus, ſæpiùs mirabili modo vitæ alimenta ſubminiſtrauit. Nam ſicut quotidianus victus tenuis herbas, & legumina inſipida miniſtrabat; ſic parcitas non raro penuriam generabat earum præcipuè rerum, quæ ad famem arcendam maximè neceſſariæ videbantur. Hinc interdùm temporis inclementia incluſis, vt quæſtuare non poſſent; foris deuotorum pietas præter humanam ſpem, victum aſportabat. Interdùm panes (qui paucis vix ſufficerent) miraculoſo modo per aliquot dies pro neceſſitate augebantur. Interim infirmis mitiori alimẽto indigentibus, cœleſtis Apotheca & nutrimentum, ac medicinam deprompſit: Contigiſſe id aliquando traditur in Conuentu Roſarij; vbi tribus ægrotis Fratribus panis cœleſtis, quem Aeditimus in Altari inuenerat, & famem expulit & ægritudinem. Non minùs memoria digna res in regali Conuentu Guadalupo euenit; quò cum duo Religioſi ex Conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Vicioſæ, ad quærendum pro medicina parùm mellis acceſſiſſent, Cælerarius fæces tantùm ſupereſſe eiſdem excuſando, ad Priorem remiſit: Hic nè planè vacuos dimitteret, qualecumque fuerit, dari eis iubet; ſicque cùm rediјſſet Cælerarius vas (in quo fæces ſeruabantur) plenum melle optimo inuentum, ex quo ipſe miraculum proclamare, & Religioſis proferre liberaliùs poſſet. Quod cùm religioſæ paupertatis merito omnes adſcriberent, conſtituunt impoſterùm quæcumque Franciſcani Fratres petiјſſent, promptè in illo Cœnobio concedendum; atque adhùc vas ipſum, in miraculi memoriam ſeruari refertur.

Non diſpliceat hìc magnæ authoritatis teſtimonium, pro paupertatis ſtrictiori obſeruantia, Prouinciæ Sancti Ioſephi expreſſiùs adſcribere; quod celebris ille Franciſcus Gonzaga, Franciſcani Ordinis & Generalis, & Scriptor, & Mantuæ Epiſcopus in Chronicis ſuis part. 3. Conu. 6. vbi de fundatione Conuentus de Arenis pag. 1327. ſic ait: *Quiſquis ille fuerit, qui apertis oculis huius Prouinciæ paupertatem, viuen-*

dique modum contemplatus fuerit, nullo pacto nos Apologi fabulas ad horum Conuentuum deſcriptiones attexere, dum huiuſmodi euentus in medium adducimus.

De aliquot inſignis vitæ S. Petri ſocijs. Cap. XXV.

QVemadmodùm in prima Religionis fundatione Patriarchæ illius Franciſco Deus duodecim ſocios adiũxit, qui ſpiritui eiuſdem conformes, Euangelicam doctrinã Apoſtolicæ vitæ exemplo per vniuerſum Orbem diſſeminarent. Haud ſecùs in antiquæ diſciplinæ reſtauratione, idẽ Dominus B. Petro de Alcantara alios duodecim Viros ſpiritu, & virtute feruentes prouidit; qui ex diuerſis Regionibus euocati, ſocietati eiuſdem adſcripti Diſcalceatorum doctrina, & exemplo pietatem dilatarent; vineam hanc plantante, atque rigante eodem Viro Apoſtolico, cui poſteà haud diſpares vitæ filij ſuccederent.

Primus eum ſecutus fuit exeuntem ex Prouincia Sancti Gabrielis, Frater Michael à Catena, qui à prima habitus ſuſceptione Magiſtrum ſuum pœnitùs imitari ſibi propoſuit. Tantamque huic feruori Deus virtutem tribuit; vt breui temporis progreſſu ſingulare pœnitentiæ exemplar euaſerit, omneſq; Magiſtri virtutes, quas ex familiari eiuſdẽ conſuetudine collegerat, ad viuum exprimeret: Quod nimirùm præcipuè ex eo enituit, cùm illum B. Pater ad iacienda fundamenta Prouinciæ Sancti Ioſephi comitem adſciuiſſet.

Secundus ſocius fuit Venerabilis Fr. Leo Luſitanus, qui odore fragrantiſſimæ ſanctitatis S. Petri de Alcantara illectus, & ſeculo & patriæ renuncians, eodem magno Religionis ac pietatis ſpiritu adhærere elegit. Amabat ſingulariter in illo S. Pater ardentem pro animarum ſalute zelum, quem tam proſpera, quàm aduerſa valetudine in conuerſione peccatorum ſtudioſè intendebat; ita vt alijs quibuſcumque occupationibus præferens diceret, ſe libenter qualibet hora mille vitas exponere velle, vt aliquem peccato-

V rem

rem ad Deum conuerteret: Erat Vir puriſſimus anima, & corpore, atque inſigni prudentia; quibus columbina innocentia pretium augebat. Sæpè eum auiculæ ſylueſtres familiariter circumuolitabant, inſidebant, atque comitabantur: Cùm aliquando iter faciendo cum ſocio, fame confectus ſub arbore diſcubuiſſet; ad Deum in oratione recurrens; meruit ſibi (velut alteri Antonio) à coruo panem roſtro afferri, cuius ſapor, & albedo cœleſtis promptuarij portionem arguebat. In extremo vitæ grauiſſimis doloribus ac infirmitatibus vexatus, coronam inſignis patientiæ contexuit; quam die vltimo claudens in Conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Vicioſæ ſepultus fuit Anno 1563.

Tertio loco ponendus eſt Venerab. Fr. Alphonſus de Lerena, de quo aliquotiès mentionem fecimus: Quomodò ex Italia in Hiſpaniam proficiſcens, ac S. Petro de Alcantara ſe coniungens, eius veſtigia premere omni virtutis ſtudio, ac fauente gratia elaborauit. In abſtinentia fuit admirabilis, in vitæ aſperitate terribilis, in orationis ſtudio vigilantiſſimus: Cum Dæmonijs ſæpè luctabatur viſibiliter, dum eum perſequebantur, vexabantque corporaliter, de quibus tam certam habebat victoriam, quam illi inſultandi iactabant licentiam; adeò vt incuſſo eiſdem timore, totiès fugarent, quoties ei ſe offerre præſumerent: Animo erat intrepido, & inuictæ prudentiæ. Hinc B. Petrus Guardianum elegit, & Nouitiorum Magiſtrum, indè Diffinitorem, & tandem Cuſtodem, atque fundatorem Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ in Regno Valentiæ. In ea Virorum inſignium hortum plantauit, qui virtutum fructus etiam ad poſteros tranſmiſit, & adhuc floreſcunt: Ante mortem in Caſtellam ad Connentum Vicioſæ reuerſus, & vitam ſuper hominem agens; iam Angelicis, ac cœleſtibus donis plenus, inter Superos agere videbatur. Poſteà de mortis hora cœlitùs admonitus, ad inſtar Patriarchæ ſui Franciſci, in terra nudus animam ſuam in ſinum Abrahæ fœliciter depoſuit Anno 1566.

Non indignus quarto loco inter Diſcipulos S. Petri de Alcanta-

cantara, Venerabilis Fr. Ioannes de Cordouilla, qui in ſeculo ex vxore filium habuit; quem defuncta Matre, ſtatim ſecum ad Conuentum Lorianæ conduxit. Ibi Pater Religionis Inſtitutum ſuſcipiens, filium habitu indui curauit; vt Miſſis inſeruiret, & virtutes diſceret, donec ætate maturior ipſe quoq; in Religione, pietate, ac ſanctimonia Patrẽ æmularetur; vt ex Chronicis Prou. S. Ioſephi apparet. Initia huius feruoris religioſi Dæmones infringere tentabant; vbiq; eum horrendis vlulatibus, atque clamoribus inſectando, edita voce: *Egredere cità à ſocietate iſtorum cucullatorum* (Diſcalceatos ſic cognominans) quam etiam vocem ictibus percutiendo, proculcando, atque feriendo, die noctùque contra Seruum Dei repetebant; vt inquietum redderent: Quibus tamen omnibus intrepidè reſiſtens, etiam legionem integrã conſtantia animi, atque orationis telo in fugam ſæpiùs vertebat. Pœnitentiæ deditus imitari Sanctum Patrem ſtudebat in eo, quòd tertio vix die comederet, ieiunaret rigororosè ſeptem S. P. Franciſci Quadrageſimas, diebus feſtis herbas tantùm cinere conſperſas manducaret: Extaſi præclarus raptus mirabiles, reuelationes, & diuinos fauores ſingulares experiebatur. Vndè contemplationi ſe immergẽs, videbatur Fr. Aegidium S. P. Franciſci ſocium deſcribere; zelo animarum æſtuans, in lachrymarum torrentes prorumpebat frequentiùs: Hinc obtenta in Africam tranfretandi licentia, vt captiuum ſua commutatione redimeret; in itinere Hiſpalim verſus opprobria multa vbique ſuſtulit à Fratribus, qui captum mente exiſtimabant. At nocte quadam cœleſtis ſplendor cellam eius adeò illuminare viſus fuit, vt flamma corruſcans Dormitorium totum corripuiſſe Fratribus videretur; dum cor Viri intus amore diuino ardebat: Indè tranſiens in Africam, in conſpectu Algeri audiuit vocem: *Fr. Ioannes redi Calpen, quod enim Deus vult, eſt hoc; vt ibi conſoleris.* Et ſtatim vento in fauorem verſo breui ad prædictum portum remeans, ibi fœlici ex hac vita tranſitu diuinæ promiſſionis fidem exoluit Anno 1566. Eius ſingularem mentionem Sancta Mater Thereſia faciens in libro, cui

Digitized by Google

titulus eſt, *Conceptos de amor de Dios ſobre los Cantares*, in cap.3. ſic ait: *Hiſce temporibus cognoui quemdam (quem optimè noſtis) tanta charitatis zelo à Deo motum; vt cum multis lachrymis facultatem impetrare non dubitauerit, qua ſibi liceret pro liberandis à ſeruitute alijs, ſeipſum in ſeruum commutare. Ille mecum conuerſatus eſt; erat enim ex Sancti Fr. Petri de Alcantara Fratribus Diſcalceatis: Igitur poſt importunas inſtantias à ſuo Generali licentiam obtinuit; cùmquè quatuor leucis Algerio vicinus eſſet, quo pro ſui boni deſiderij executione pergebat, Dominus illum ad ſe reuocauit, & æterno præmio condecorauit eum. Plures ſeculi prudentes intentum tale vanum exiſtimabant & ineptum; nos verò ſic opinamur, ſiquidem non ita Dominum noſtrum diligimus, in hoc etiam vita ſomnio idipſum efficacia tali nequimus aſſequi; faxit Deus, vt aliquando Cœlum ingredi mereamur, cupientes maximè in amore diuino proficere.*

Nec inferior ſocijs æſtimandus Ven. Fr. Franciſcus à Galiſteo, Vir ſolidæ virtutis, & eleuati ſpiritus, Fidei, Charitatiſque veræ Apoſtolicæ: Tam ſingularibus dotibus à Cœlo præditus erat, vt à S. Petro de Alcantara cordialiter amari mereretur; & quia Angelicam prudentiam in ipſo cognouit, in primum Guardianum elegit Conuentus Matris Dei de Roſario. Paupertatem ſtrictiſſimã ſeruabat, & humilitati tàm profundè ſtudebat; vt mirãda de illo in hoc virtutis genere, plurimi annotarint: Inflammabant Virum ardores Seraphici, extenuabant macerationes admirabiles, nutriebant orationis deliciæ continuæ; quibus Deo appropinquans, ſingularibus eius fauoribus ditabatur, dum ad eius interceſſionem miracula multa operaretur. Tenerrimo, deuoto, atque fideli cultu Reginam Angelorum proſecutus, eius quoque continuos fauores vſque ad vitæ extremum ſeruare promeruit. Diem mortis ſibi Deus reuelauit, quem aſſecutus eſt in Infirmaria Oropeſæ Anno 1567. vbi animam Cœlo reddidit, ſepultus fuit in Eccleſia Matris Dei Patrum Obſeruantum ſupradicti loci; & poſt mortem glorioſus apparuit.

Adhæſit inſuper Sancto Petro de Alcantara Vir profun-

diſſimæ charitatis frater Alphonſus à Manzanete; iſte in Prouincia S.Gabrielis profeſſus, altiſſimæ perfectionis zelo in ſylueſtria loca Lorianæ rigidiorem acturus pœnitentiam, ſeceſſit; & Conuentum ſub titulo S. Iſidori in prædio nobilis viri Ioannis Velaſco ab Auila conſtruxit, mox obedientiæ Fratris Ioannis Paſchaſij ſe ſubmiſit. Cùm autem Sanctus Petrus initium nouæ fundationi daret, Commiſſarius totius Reformationis inſtitutus eſt: Alphonſus igitur à Manzanete, qui nuper Virum ſanctum in Prouincia S. Gabrielis Prouincialem habuerat; gauiſus eſt eundem denuò agnoſcere Superiorem. Itaque eius verbis & exemplis animatus, ad faſtigium perfectionis breui peruenit, & Sancto Commiſſario dignus habitus eſt; qui inter alios ad fundandam Sancti Ioannis Baptiſtæ Cuſtodiam mitteretur, & in qua poſteà ſecundus Cuſtos eligeretur. Elucebant in eo omnes virtutes in ſchola Sancti Petri vel acquiſitæ, vel roboratæ; ſed præcipuè inter alias enitebat Regina, menſura, & Mater cæterarum Charitas, cuius illud amoris in proximos ſignum notiſſimum fuit; quòd aliquando in Italiam proficiſcens, cùm vidiſſet hominem miſerum ſibi notum ad triremes damnatum, miſericordiam B. Paulini Nolani Epiſcopi imitatus, dolens quòd ille vxorem cum liberis reliquiſſet, in eius locum ſubſtitui, & pœnam alteri debitam ſibi poſtularet infligi: Quo charitatis prodigio motus Præfectus remigem miſericorditer dimiſit, rogauitque Patrem, vt Sacellani officio functurus in triremi tanto tempore remaneret, quanto reus manere debebat remigaturus. Vidit aliquando in Hiſpania Dominum grauibus flagellis vehementiùs in ſeruum ſæuientem, vndè miſeratione commotus petijt; vt in humeros ſuos flagellorum cruciatus commutaret. Tandem orta poſt mortem Sancti Petri grauiſſima in præfatæ Cuſtodiæ Fratres perſecutione, iterùm in Prouinciam S.Gabrielis redijt; & in Conuentu Alconcherij diues meritis, & plenus dierum in charitate conſummata, Anno Chriſti 1569. obdormiuit in Domino.

Silentio prætereundus non eſt alius Sancti Patris ſocius

Pater

Pater Frater Antonius à Conceptione, quem Illuſtriſſimus Gonzaga religioſiſſimum & humillimum, origine Luſitanum, & Prouinciæ pietatis alumnum nominat. Re enim vera illud ſummæ humilitatis eius inditium fuit, quòd pro Reformationis dilatatione Romam accedens, ſe (licet nouæ Cuſtodiæ Præfectus eſſet) cum alijs Fratribus Sancti Petri de Alcantara directioni lubenter ſubmiſit, & eundem Commiſſarium inſtitui ſollicitè curauit: Adeò autem Beatus Pater Fr. Antonij pietatem, & Religionem perfectam habebat, vt cùm ſibi loca pro extruendis Conuentibus, & fundanda Cuſtodia S. Ioannis Baptiſtæ offerrentur in Regno Valentiæ; mitteret tunc præfatum Antonium cum Fr. Bartholomæo à Sancta Anna (tanquàm alteros Ioſue & Caleb) ad explorandas terras iſtas, & primos vitæ exemplaris odores in illis diffundendos, latiùſque ſemina Religionis diſpergenda. Tandem ſicut zelo animatus vixerat, ita eodem feruore plenus in ſenectute bona appoſitus eſt ad Patres ſuos.

Fuit & Sancti Patris ſocius fideliſſimus Frater Bartolomæus à Sancta Anna, qui ſuſcepto habitu in Sancti Gabrielis Prouincia, omnes boni Laici partes expleuit; donec diuino inſtinctu à Superioribus ſuis ad Sacerdotij ordinem reluctans aſcendere iuſſus fuiſſet. Emittebat tunc temporis maximos ſanctitatis radios tenella, & naſcens ſub Sancto Patre Petro de Alcantara Cuſtodia Sancti Ioſephi; ad quam eò lubentiùs Frater Bartholomæus ſe recepit, quò in miniſteriatus officio, Sanctum Seraphicæ paupertatis zelatorem vigere agnouerat: Ab illo itaque in noua Cuſtodia receptus, vt verum tanti Patris ſocium in omnibus ſe exhibuit; præcipuè tamen in profundiſſimæ humilitatis, altiſſimæ contemplationis, & rigidiſſimæ mortificationis imitatione, cibus ei adeò exiguus erat, vt mirarentur Fratres corpus humanum tàm tenui alimento potuiſſe ſuſtentari; nunquàm vinum admiſit, niſi grauiſſimi morbi remedio adſtrictus, illudque ab aceto, non ſemel ſibi eius vice per negligentiam porrecto, aut non diſtinguebat, aut ſaltem ſe diſtinguere

gere non manifeſtabat: Paupertatis amantiſſimus erat, in aduerſis patientiſſimus, & in magnis Prouinciæ ſuæ calamitatibus ſemper ſerenus, ſemper hilaris, & ſemper quietiſſimus. Conuerſatio eius ſanctitatem in ſchola Beati Petri de Alcantara acquiſitam, ita redolebat; vt cum loqueretur quadam die Toleti cum Sancta Thereſia de rebus meliorem Prouinciæ ſuæ ſtatum concernentibus, ipſa deuotũ, & ſimplex eius colloquium ex Beati Petri conſortio hauſtũ ſuſpicata ſciſcitaretur; *An Sancto Patri aliquando familiaris fuiſſet?* cui ille, *Non ſolùm vt ſubditus eidem diù obediui; ſed etiam lateri eius ſocius per multos annos adh ſi.* Quo audito Sancta Reformatrix, ſciens non niſi caſtiſſimos oculos, vultuſque modeſtiſſimos vnquàm amico Dei Petro placuiſſe, ſublato ab oculis (quos texerat velo) dixit; *quarè non me priùs de hac re monuiſti, quò te facie detecta alloqui potuiſſem?* Multis igitur virtutibus decoratus, bis Prouincialatus munere digniſſimè perfunctus eſt; bis Romam ex Sancti Patris obedientia pro Reformationis incremento ſe contulit. Denique in vltimum morbum incidens, ſerena & tranquilla facie, manibus ex more Fratrum Minorum intra habitum compoſitis, dormienti ſimilis ad vigilias Cœli æternas tranſiuit Anno Domini 1600.

De reliquis Socijs, & Diſcipulis quibuſdam Sancti Petri de Alcantara. Cap. XXVI.

VEnerabilis P. & Seruus Dei Fr. Franciſcus de Melo Luſitanus inter primos Reformationis Authores, ſocius Beati Petri de Alcantara fuit; ob admirabilem virtutẽ vulgò S.Fr.Franciſcus nuncupatus: Pœnitentiæ, ac ſanctitatis eius perſeuerantia, eum ad vitæ finem vſque perfectionis imaginem declarauit. De hora tranſitus à Deo certior factus, amoribus ſeraphicis intentus extremum punctum expectabat; ſæpè à Sancto Antonio de Padua viſitatus cum eo familiariter colloqui videbatur, velut ipſe retulit Infirmario, cui prædixit etiam horam, qua è viuis diſcedere debebat;

bebat; qui monenti Medico de exiguo vitæ ſpatio (quod reſtabat) reſpondit: *Parùm ſcit Dominatio veſtra de hac hora, quæ Deo ſoli nota eſt, cum vitæ Dominus ſit; & non vult, vt moriar neque hodiè, neque cras, ſed poſt triduum hora duodecima*. Et in hoc puncto animam Deo reddidiſſe perhibetur; relictis ſignis beatitudinis animæ, quam gloria ſuſceperat: Corpus in Eccleſia Zaraizexo, vbi habetur Infirmaria Fratrum Conuentus S. Ioannis Baptiſtæ Vicioſæ, & ſacello Spiritus Sancti ſepultum, poſt decem annos incorruptum inuentum; & iterùm poſt quindecim alios in eodem ſtatu repertum fuit. Puluis ex eadem ſepultura varia mirabilia operatur.

Venerabilis Fr. Ioannes de Albuquerque cæteris ſocijs non inferior ſanctitate fuit, ideòque S. Petro de Alcantara carus maximè ob ſpiritus candorem, & pœnitentiæ continua exercitia, quæ eum teſtem fecerunt multorum ex his, quæ Deus in S. Petro operabatur. Vndè poſt mortem eiuſdem, cùm varia de eius pœnitentia miranda narrari audiſſet, ſolebat dicere: *Audeo dicere de his, quæ oculis meis vidi, de eius pœnitentia, & oratione; quòd nihil differunt ab illis, quæ de Sancto Patre noſtro Franciſco ſcribuntur, licet in aliquibus rigoribus illum ſuperarint*. Fuit Ioannes etiam in vita ſanctitatis fama præclarus, quam poſt mortem incorruptionis, aliorumque donorum indicijs apud ſuos deuotos inſigniter auxit.

Seruus Dei Fr. Chriſtophorus Brauò, cuius ſæpè facta eſt mentio; Magiſter Capellæ, & Rationarius fuit Eccleſiæ Zamorenſis: Habitum Reformationis ab ipſo B. Patre ſuſcepit, à quo propter inſignes virtutes, & prudentiam breui Guardianus; & indè Prouincialis creatus fuit. Eius in regendo ſufficientiam, varia tùm Romæ, tùm in Prouincia tolerata, atque ſuperata aduerſa pro Reformationis defenſione in Chronicis ſcriptæ loquuntur; quibus quidem maximam fidem addet; quòd videbatur à Deo ſingulariter electus, qui poſt S. Petri mortem totius Reformationis oneri, atque tutelæ præficeretur. Zelantiſſimus ſalutis animarum,

Regi-

Reginæ quoque Angelorum gratijs fruebatur; qui dum inuigilabat fundationi cuiuſdam Conuentus, mortis hora præcognita, vultu mirè reſplendente animam ad Superos tranſmiſit Anno 1573. relicto corpore in Oppido Nauaelſaz in Puerto del Pico.

Poſtremum hic locum dabimus Venerando Fratri Gaſparo à Sancto Ioſepho, qui oriundus ex Ciuitate Baccæ, ibique S. Petri mirabilia narrari audiens, iuuenis vix quindecim annos natus ad eundem Patrem ex domo noctù properauit: Quo in Conuentu Oppidi de Arenis inuento ab eodem ſine mora habitum Religionis ſuſcepit; quia cognouerat S. Petrus vocatum à Deo, & Reformationis ſuæ magnum decus aliquando futurum. Propter candorem, & virginalem pudorem intimè à B. Patre dilectus, virtutum heroicarum & Magiſtrum habuit, & quotidianum inſtigatorem: Ouiculæ nomine ab eodem nuncupatus, in omnibus tanta puritatis innocentia reſpondebat; vt in ipſo non peccaſſe dixiſſes primum naturæ noſtræ Protoplaſten. Sæpiùs coram Sanctiſſimæ Virginis imagine orans, viſus fuit facie ſplendeſcere Angelica; diuini amoris intentio, tanta in eo reperiebatur, vt corde inflammatus ſæpè à Medicis febri ardere acuta iudicaretur: Extaſi, & raptu mirabilis extitit; conſuetudini Sanctæ Thereſiæ gratiſſimus. Magiſter Nouitiorum toto quaſi vitæ tempore, homines virtute inſignes educauit; qui Reformationis baſes fuerunt, eorumque alij in terris infidelium pro Fidei veritate, ſanguinem ſuderunt; alij hæredes extitere feruentis eius ſpiritus, quem ipſe velut alter Eliſæus à Patre ſuo relictum acceperat, & etiam à Deo miraculis illuſtratus eſt. Deuotionis Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſingulariter addictus, die eiuſdem ſolemnitatis in morbum incidit, cum à proceſſione publica rediſſet: Dein prædicta mortis hora S. Patrem Franciſcum imitando, nudus in terra vna manu crucifixi effigiem, altera candelam tenens, inter hymnos, & laudes diuinas ſine aliquo doloris indicio, animam Saluatori tradidit Anno ſalutis 1575. in Conuentu Villæ nouæ de la Serena, in quo erat Guardianus.

His tam præclaris Viris paupercula Discalceatorum familia (Authore S. Petro de Alcantara) profundiores in Franciſcana vinea radices agens, in dies nouas propagines vbique Terrarum produxit; dum in varijs Regnis nouæ Reformationis ſtudia, & Prouinciarum fundationes, & Religioſæ vitæ exempla tàm in pœnitentibus, quàm Martyribus mirandū ſeraphico Ordini decorem adauxerunt. Diſtinctam autem omnium narrationem in varijs hiſtorijs egregiè deſcriptam ijs relinquimus, ac ſuademus, qui pro virtutis affectu renouatum Apoſtolicæ vitæ ſplendorem, Anachoretarum veterum mirandam auſteritatem primitiuæ Eccleſiæ in Fidei profeſſione conſtantiam, renouatis velut characteribus expreſſam delectantur contemplari, atque agnoſcere: Hoc tantùm loco quoſdam conſpicuos Viros adiungere licebit; qui ex ſchola S. Petri prodeuntes, vberrimum plurimis Authoribus Elogiorum argumentum miniſtrarunt.

Inter primos itaque Sancti huius Diſcipulos non immeritò connumerandum exiſtimo Venerabilem P. Petrum de Alfaro; virum doctrinę, ac diſciplinæ Religioſæ exquiſitiſſimum. Hic quibuſdam alijs Religioſis ſuæ ſocietatis præpoſitus inſtante Catholico Rege Philippo II. in Indiam tranſmiſſus, Prouinciam Sancti Gregori Papæ in Inſulis Philippinis fundauit; Hinc euangelicum ſemen in Chinam, ſeu Sinenſe Regnum tranſuehens, multa ibidem perpeſſus; tandem Conuentus in Machao, & Malacha, alijſque locis ſtabiliuit; qui poſteà in Prouinciam Matris Dei coaluerunt, ſub qua adhuc cum Indorum ſalutari fructu perſeuerant.

Huic ſubiungendus occurrit tanquàm ſocius Venerabilis P. Ioannes Baptiſta à Peſaro, qui natione Italus ex Conuentualibus ad Diſcalceatorum Inſtitutum tranſiens, cum prædicto Patre Petro de Alfaro in Indiam pro animarum conuerſione transfretauit. Eidem pro Religionis zelo defuncto in regimine ſuccedens, cunctis ſanctitatis ſuæ opinionem, atque Chriſtianæ charitatis præclariſſimas notas vbique inſtillauit; dum prædicationis, ac pietatis indefeſſis exercitijs plurimos infideles ad Eccleſiæ gremium conduceret:

Digitized by Google

ceret: Nec adeò tamen ei omnia proſperè ſucceſſere, quin opponente ſe Dæmonio varia tunc tribulationum genera, tunc maximè ei etiam à domeſticis fidei concitaret; quæ per inuictam conſtantiam orationis, ac patientiæ ſcuto ſuperando, compoſitis pro occaſione rebus, iterùm in Hiſpaniam redire, ac indè ad Pontificem Maximum Sixtum V. pergere conſtituit. Et quia huic olim in Conuentuali ſodalitio ſtudiorum contubernio pergratus, nunc ob præclarè geſta acceptior erat, in Italia remanere perſuaſus fuit; vbi eiuſdem Pontificis ſingulari Indulto aliquorum Conuẽtuum Reformationem ſuſcepit, ex quibus ad Indiarum meſſem miniſtri, atque operarij inſtructi Religioſi vtiliùs prodirent: Tandem vbique admirandæ ſuæ vitæ, ac religioſi zeli veſtigijs relictis in Conuentu Sanctæ Luciæ Neapoli curſum ſui laborioſi itineris ſanctè terminauit. Ei poſt tot annorum interualla, hoc nuper memoria dignum acceſſit; quòd benignitate Sanctiſſimi Pontificis Clementis IX. nuper corporis eius depoſitum cum prædicto Conuentu S. Luciæ ad Diſcalceatos Prouinciæ S. Petri de Alcantara translatum fuerit, quaſi riuulus ad Reformationis ſuæ fontẽ, Diſcipulus ad Magiſtrum rediturum ſe præuidiſſet.

In Prouincia S. Ioannis Baptiſtæ, quæ ſub S. Petro de Alcantara in Conuentibus de Elche, ac Lorito initium ſumpſit; plurimi magnæ virtutis Religioſi vitæ perfectione inclaruerunt. Notabili verò præ cæteris miraculorum frequentia illuſtratur B. Paſchalis Baylon, cuius vitæ meritum ſicut Eccleſia Beatificationis priuilegio decorauit; ita ſolemnis Canonizationis ritu glorificari vniuerſæ Hiſpaniæ deuotio inſtantiſſimè ſollicitat.

Ex ſuperiori Philippinarum Prouincia Sancti Gregorij varijs in Iapponem miſſionibus, S. Petri progenies copioſos in eodem Regno fructus animarum retulit; vſquequò contra euangelicum hunc prædicationis feruorem concitati Bonzi Idololatriæ Miniſtri, B. Petrum Baptiſtam cum quinque ſocijs, ac ſeptemdecim familiaribus Iapponenſibus pro Chriſti confeſſione in crucem egiſſent, atque glorioſo mar-

tyrio coronaſſent. Quorum martyrium adiunctis tribus ex ſocietate Ieſu, Vrbanus VIII. Pont. Opt. Max. Anno 1627. ſolemni iudicio approbatum, vniuerſalis Eccleſiæ venerationi propoſuit.

Præfatos impoſterùm copioſiùs Martyrum agmen conſequutum fuiſſe relationes variæ publica fide confirmarunt; quarum etiam aliquot *Romæ*, Eccleſiæ authoritatem expoſtulant. Intereà non ſine magno Eccleſiæ incremento, ac *Religionis* Franciſcanæ gloria ex omnibus colligere fas eſt id, quod ex iſta Sancti Gregorij Prouincia aliquando ad piæ memoriæ Philippum IV. *Regem* Catholicum perſcriptũ fuit verum eſſe; videlicet in Iapponem, ac Chinam ex illa prouincia *Religioſos* Fidei zelantiſſimos tranſijſſe, quorum plurimi Laurentij, ac Vincentij martyria æmulantes, tanquàm Piropi, ac Carbunculi in hac Orientali Eccleſia fulgere agnoſcuntur. Eorum autem numerum vſque ad Annũ 1667. quadraginta quatuor, ſecularium verò trecentos nimirùm Tertię *Regulæ* ſodalitio adſcriptos; alios diuerſi ſexus, ac ætatis ſupra quadringentos certiori calculo collectos intelligimus.

Ex quibus facilè licebit iudicium ſincerum de re perſpecta ferre, quantum vtilitatis atque decoris Seraphico Ordini, ipſique Catholicæ Eccleſię ex hac Sancti Petri de Alcantara *Reformatione* acceſſerit. Nam & Martyrum ſplendidiſſima corona Fidei ſoliditatem exornat, atque illuſtrat apud infideles; & vitę Apoſtolicæ renouatione in Prouinciarum augmento eiuſdem *Religionis* commendat ſanctitatem inter Catholicos: Ita quòd non fruſtrà aduertiſſe videatur inſignis *Religione*, ac doctriua P. Martinus à Sancto Ioſepho; vt videre licet in expoſitione *Regulæ* Fratrum Minorũ pag. 793. Omnes quaſi *Reformationes* noſtri ſeculi dici poſſe filias Sancti Petri de Alcantara; cuius in habitus, ac vitæ aſperitate, ac paupertate inſtituta deſcribendo, tanquàm principale exemplar imitari adnituntur, ac ſtudent.

LIBER QVARTVS

De virtutibus Theologalibus, & donis gratuitis S. Petro de Alcantara conceſſis.

De Fidei virtute. Cap. I.

HActenùs vitæ S. Petri de Alcantara illuſtria multa perſpeximus, nunc fundamenta (quibus hæc innixa fuere) penitiùs introſpicere virtutum Chriſtianarum perfectio ſuadet; quæ ſupra Petram Dominum Chriſtum poſita, Fide, Spe, atque Charitate mirabiliùs compaginatur: Et quemadmodùm in prodigioſo Viro multa naturæ vires excedere, ipſa geſtarum rerum veritas oſtendit; ita diuinam conſideranti gratiam faciliùs patebit connexionem virtutum, qua velut per gradus ad apicem illum aſcenditur diuinæ contemplationis, nihil in eo vacuum reliquiſſe. Hinc Fides illa, ſine qua placere Deo nemo poteſt, adeò firmiter in corde S.Petri fixa erat; vt eius veritates cunctis rebus, quæ oculis cernuntur, certiores haberet: Quaſcumque extaſes, aut reuelationes à diuina Benignitate habebat,nunquàm ab illis ſibi perſuaderi quicquam permittebat, quod priùs ad eiuſdem Catholicæ veritatis trutinam non appendiſſet; ideòque ab his tentationem nullam paſſus fuit.

Solebat dicere tunc Fidei myſteria certiora haberi, cùm eis minora intellectus humanus præſtaret experimenta: Solius enim Dei ſapientia noſtræ confundit capacitatis anguſtias, & ſubleuat obſequij humilitatem; cùm ignorantiæ tenebras illuminat his, quæ præter ipſum nemo, aut capere, aut explicare poteſt. Profundè de Fidei noſtræ myſterijs ad Populum prædicabat, exhortando; vt frequenter il-

lorum

Digitized by Google

lorum recordationem repeterent: In campeſtribus paſtores quærebat, in villis & pagis pauperes, & paruulos, hominesque; quos doctrinæ Chriſtianæ articulos ędoceret. His nè victus quærendi tempus ſubtraheret; dum ad portam eleemoſinæ cauſa confluebant, priùs ſpiritualem ſuſtentationem ſumma patientia, ac charitate ſingulis pro capacitatis modulo miniſtrabat; ſæpè eadem ijſdem inculcando.

Ardentiſſimo propagationis Fidei zelo, quod ipſi non permittebatur, in alijs procurabat; vt nimirùm eius Inſtituti Religioſi ad Infidelium terras euangelizandi cauſa trãſirent. Hac eadem ex cauſa magno dolore augebatur ob grauiſſimum damnum, quod ſuo ſeculo Eccleſia paſſa fuit à Lutheranæ hæreſis peſtifera diſſeminatione: Ideò ſuper omnia obedientiam neceſſariam Capiti Eccleſię Põtifici Romano debitam, diligentiùs cunctis imprimebat; præcipuè verò Fratribus ſuis, vt in his (quæ ad Reformationis negocium pertinebant) ad nutum Vicarij Chriſti cuncta intenderent, ſollicitè perſuadebat.

Sacras literas quaſi ſemper manibus tractabat; ita vt eius familiari vſu maiorem partem memoria teneret: Ad quodcumque verbum (quod proferri ex ſancto Euangelio audiebat) aſſurgere, atque profundè ſe inclinare ſolitus, indicabat intimam eiuſdem in corde reuerentiam. Cùm Fidei Myſteria explicabat; ordinariè extra ſenſus rapi, & lumine ſuperno à Domino illuſtrari videbatur: Quadam die monendo Religioſos de veneratione, quæ Fidei dogmatibus debetur, aiebat; *Cùm Euangelium legitis, attendite; vt iunctis manibus, & modeſta compoſitione, atque attentione percipiatis ea, quæ continet; nimirùm quomodò Deus incarnatus eſt.* Hicquè vehementia ſpiritus raptus, altiori ſubindè voce eadem verba, repetebat; donec altiſſima contemplatione euectus, ad illa verba: *Deus aſſumpſit carnem humanam*, tonitrus inſtar vocem edens, ad cellam magno impetu currebat; illic anima eius cœleſti ardore repleta eum in ſuauiſſima extaſi vltra tres horas continuas detinebat.

Aliquando Religioſus ſui Ordinis ex Italia redux B.Patrem

Digitized by Google

trem in cella decumbentem inuiſerat: Hic inter alia enarrans ſenſibilem deuotionem, quam in ſacra Lauretana Aede expertus fuerat, dum ſacra Incarnationis pignora (quæ ibi aſſeruantur) adoraſſet; tam altè cor S. Petri de Alcantara huius Myſterij memoria penetrauit, vt ei acutiſſimum clamorem exprimeret. Religioſus verò conſueti affectus huius ignarus è cella aufugiens, Dei Seruum in altiſſima Myſterij contemplatione raptum reliquit; vſquequò cæteri ex Conuentu opportuniùs accurrentes in eadem depræhendiſſent.

Quadam die duo Religioſi ſacris Ordinibus initiati, à Sancto Viro præceptum acceperant ſeſe præparandi; vt Miſſam decantarent. Vnus illorum, vt cantus experimentum faceret, in hortum ſeceſſerat, vbi fortè tunc S. Petrus contemplationi intendebat. Itaque cùm à prædicto Religioſo Euangelij verba; *In principio erat Verbum* &c. intonari audiſſet, accenſus ſpiritu genua & caput inflectens, implexuſque tanquàm rota volatu celerrimo ad portam Conuentus, indèque per alias portas ſine vlla læſione ferebatur vltra cubitum à terra eleuatus; vſquedum coram Sanctiſſimo Sacramento in Eccleſia in altiſſima extaſi raptus ſubſtitiſſet. Aliqui Religioſi, qui Sanctum aſſequi non poterant, cùm ante Aram maiorem in illo ſtatu depræhendiſſent, aliquandiù priùs expectare, vt ad ſe rediret; mox omni induſtria experiri, an ſenſus retineret: Tandem certò inuenere columnæ inſtar immobilem hæſiſſe; quia firmiter corpus fixerat, qui animum rapuerat, & qui Fidem accendit, Myſterij quoque lumine integrum abſorpſit. Fuit inſuper à Deo donatus ſpeciali illa Fide, quam gratis datam Apoſtolus nuncupauit, & priori ſuperadditur: Hæc nimirùm magna fiducia eſt de diuina Bonitate, à qua conſequi ſe poſſe credunt Sancti, quæcumque rectè à Deo petierint; promittente Chriſto etiam montes transferre poſſe; aliaque ſtupenda operari, cùm neceſſum fuerit. Huius Fidei teſtimonia fuere tot in vita S. Petri de Alcantara prodigioſi ſucceſſus, quibus ſæpiùs ſiccis pedibus rapidiſſimos tranſiuit fluuios; diuinæ confiſus Omnipotentiæ crebrò in maximis neceſſitatibus

præſen-

præſentem habuit diuinam opem, tam ſibi quàm ſuis Religioſis miraculosè fauentem: Hinc quoque totiès deuotis exhortationibus Religioſos ſuos ad hanc virtutem, diuinæ Prouidentiæ immenſa benignitate extimulabat; vt quos Fides docuerat, nullo humano ſubſidio inniti, eoſdem fiducia certiores redderet, confidentes in Deo cuncta obtinere.

De virtute Spei, quæ in S. Petro de Alcantara eluxit. *Cap. II.*

NOn diſſimilem fiduciæ ſociam S. Petrus de Alcantara in pectore alebat Spem, quæ inter tempeſtates huius vitæ anchora animæ non immeritò dici ſolet; ſicut eſt medicina contra humanam inconſtantiam, vinculum diuinæ gratiæ, & pignus inæſtimabile gloriæ. Hæc virtus illum à teneris annis cœleſti lumine induit, in toto vitæ decurſu inſtar ſolidæ columnæ ſuſtinuit: Hac Magiſtra adhuc obſeſſus humanis illecebris, earundem laqueos euadere, pompas cum ſeculo contemnere, ſolam Spem ad ſuperna bona dirigere, cætera pro nihilo habere conſtantiſſimè didicit; immò cùm iam maturus annis corpus maximis pœnitentijs ſubegiſſet, ſuadentibus vt eidem, aut quietem aliquam, aut refrigeriũ indulgeret, reſpondere ſolebat: *Non hic locus ſolatij eſt; omnem enim quietem in ſuperna patria expecto, quò iturum me ſpero.*

Pro omnium rerum ſucceſſu, maximè futurarum (quæ tempore matureſcunt) oculos attollebat in Cœlum, quo cordis affectum tranſmiſerat; dicens deuotè cum Regio Propheta: *In te Domine ſperaui non confundar in æternum.* Adeò verò longè aberat à Spe in Principibus, aut quocumque homine collocanda; vt Magnatibus pluribus Hiſpaniæ fauorem ſibi pro negocijs offerentibus, aut rariſſimè vti vellet, aut ſi aliquando vteretur, eoſdem tantùm tanquàm inſtrumenta diuinæ Prouidentiæ attentiùs reſpiceret: Eandem virtutem omnibus ſuis deuotis in quacumque tribulatione, aut prætenſione inculcabat, dicendo: *Sperate in Deo, qui omni-*

omnibus mederi potens eſt; figite in eo Spem veſtram, ipſe omnia ad deſideratum finem perducet, per media opportuna. Cuius quidem virtutis in ipſo Sancto fidem faciunt tot ſuperatæ contradictiones, tot euictæ difficultates; cum quibus omnibus colluctatus, primarium maioris Dei gloriæ intentum glorioſè aſſecutus fuit.

Aliud Spei genus diuina ei Liberalitas conceſſerat, dum gratiæ gradus augendo, humanis viribus eaſdem mirabiliter corroboraret: Nam corpore, atque complexione debilis, varijs etiam accidentibus infirmabatur; ita vt licitè, ac neceſſariò eiſdem indulgere aliquando teneretur. Nec tamen ideò ille receptas humanæ prudentiæ regulas admittere; nec myſticorum etiam conſilia ſequi, qui proprias vires metiri non inutiliter ſuadent: Sic enim ipſe Sanctus in Tractatu de Oratione part. 2. cap. 5. notabili 5. *Inueniuntur aliqui, qui nec tempus, nec diſcretionem ſeruant in ſuis exercitijs, cùm à Deo fauores recipiunt; & his ipſam proſperitatem interdùm periculi cauſam eſſe exiſtimo: Multi enim ſunt, quibus videtur gratia ſibi pleno ſinu effundi, ideòque propter tam ſuauem Dei conuerſationem, toti in ea occupantur, frequentando ſtudia orationis, vigiliarum, & macerationum corporis; ita quòd natura impar tantis oneribus, tandem ſuccumbere cogatur. Vndè fit, vt multi ſtomachum debilitent, & caput; ſic quòd non ſolùm inutiles reddantur pro laboribus corporalibus, ſed etiam pro his ijſdem exercitijs orationis: Itaque in his rebus magna diſcretione vtendum eſt in principijs maximè, quando feruores, conſolationeſque maiores ſunt, & experientia, & diſcretio minores; vt ſic paſſus in hac via contemperemus, nè in media deficiant.* Sed his neglectis non naturam ſua virtute; ſed ea, quam à Deo accipere poterat, fœliciùs metiebatur: Vndè cùm de alijs Sanctis, Spiritu Sancto intus eos mouente, mirabilia multa narrantur; quæ temeritatis ſpeciem habere videntur tam in martyrijs ſubeundis, quàm in diuina Prouidentia experienda. De Sancto noſtro adeò ſtupenda ſcribi poſſunt, vt maximam etiam fatigare ponderationem valeant; dum omnia, quæ ſperabat, conſecutum fuiſſe animaduertitur: Fi-

xa namque in corde ſuo ſeraphici ſpiritus verba habebat; cùm ex Sancto Bonauentura ediceret; *O Spes cœleſtis, quæ quantum ſperas, tantum impetras.*

Hinc multa quoque contra proprium corpus tormentorum genera intentare, quorum quodlibet illud ipſum ſua natura deſtruere potuiſſet; ni Spes ſecum diuini auxilij præſidia appræhendens, animum & vigorem addidiſſet. Hinc inter alia in quodam difficili itinere à deuoto inuitatus, vt aliquid ſecum viatici deferret, planè recuſauit, dicens: *Nihil refert, Deus nobis prouidebit*; idemque nè reciperet, ſocio iniunxit. Hic nè deuoti affectus pignora recuſaſſe videretur, fruſta panis, paucoſque fructus petere non neglexit; quod cognoſcens S. Petrus de Alcantara nequaquàm admiſit, ſed eum ſic manſuetè corripuit: *Non nè ſemper tibi dixi, vt in Deo ſperes, & in miſericordijs eius? Confide firmiter in ipſo; quia ſolus in maioribus neceſſitatibus opportuna auxilia præſtat.* Ea namque ſæpiùs tam in itineribus, quàm in ſuis Cõuentibus mirabiliter expertum, in hiſtoriæ eius contextu varia exempla probant: Nec fruſtrà propheticum illud in Pſal. 54. *Iacta curam tuam in Dominum, & ipſe te enutriet*; Magiſtri ſui Chriſti Dñi monito attẽperaſſe creditur, Lucæ 12. & Matth. 6. *Ideò dico vobis, nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori quid induamini. Quærite ergo primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis.* Idem in alijs ſucceſſibus eluxit, quibus humani ingenij induſtriam applicando, difficilia omnia, atque impoſſibilia multa euentum proſperum negare exiſtimabantur; niſi Spes, quę fiduciam animabat, cuncta ſibi à propitio Numine alacriùs promiſiſſet, & promptior diuina Benignitas ritè præſtitiſſet.

De Charitate Sancti Petri de Alcantara erga Deum. *Cap. III.*

REgina virtutum Chriſtianarum Charitas adeò ſublimẽ in corde S. Petri de Alcantara thronum erexiſſe videbatur;

batur; vt ad eundem omnes ſuos affectus, deſideria, atque cogitationes reuocaret: Nam *hæc corrumpi neſcia* (vt ſcripſit S. Proſper de vita contemplat. cap. 11.) *nulli vitio mutabilitatis obnoxia, finis cæleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, palma victorum, quam Fides concipit, ad quam Spes currit, & cui profectus omnis ſeruit, ex qua quicquid eſt boni operis, viuit.* Hinc quocumque motiuo ſibi de ſummo bono occurrenti, tàm vehementer accendebatur; vt intra ſe contineri nequiret, quin ignitis ſuſpirijs acutiſſimiſque clamoribus ex cordis intimo foris prorumpentibus, aut audientes quoſcumque perterreret, aut deuotos compungeret: Huius namque affectus praxim, etiam Sanctus Petrus noſter in ſuis exercitijs part. 1. cap. 12. monito 8. ſic appoſitè deſcripſit. *Sunt aliqui adeò amore Dei inflammati, vt vix memoria occurrat quacumquè eius imago, quin amore ipſius viſcera eorum colliqueſcant: Et hi diſcurſu, aut conſiderationibus his non indigent magis ad excitandum hunc amorem, quàm aut Mater, aut Sponſa, vt gaudeant; cùm de filio, aut Sponſo ſermo inciderit. Alij quoque qui non ſolùm in orationis exercitio, ſed etiam extra illud ita in Deo abſorpti ſunt; vt propter eum omnium rerum, immò ſui ipſius obliuiſci videantur.: Nam ſi hoc quandoque fieri poſſe in amore ſenſuali experimur; quantò magis id amorem infinitæ, atque increatæ illius pulchritudinis efficere poſſe credendum eſt, dum longè potentior gratia ſit, quàm natura, vel culpa.*

Quadam vice S. Petrus de Alcantara infirmitate decumbens, ſenſit adeò vehementer cor ſuum diuini huius amoris iaculo transfigi; vt in vocem tonitrus inſtar prorumpens, Infirmarium excitaret: Hic infirmo aliquem nouum caſum ſuperueniſſe ſuſpicatus, accurrens eum mortuo perſimilem inuenit; cuius cauſam non morbi, ſed affectus violentiæ adſcribendam ipſe poſteà S. Petrus Confeſſario aperuit. Sola diuini amoris mentio ita eum commouebat; vt quodcumque etiam difficile, eius reſpectu libenter cuicumque petenti concederet: Vndè ſæpiùs pœnitentes eius, alijque deuoti multa (quibus quàm maximè aduerſabatur) peten-

Digitized by Google

do propter amorem Dei, promptiùs extorquebant. Interdum hóc ſuaui incendio exardeſcens, nec cellæ anguſtijs retineri, nec cordis anxietates pati ſufficiens, in campos euolabat; vt vel ſic eam partem incendij, qua corpus æſtuabat, aeris refrigerio contemperaret: Quod mirum nequaquàm videri poteſt, cùm ipſas etiam niues interdum ſuper eum cadentes fuiſſe liquefactas, iam alibi annotauimus; & ex ſequenti ſucceſſu confirmabitur.

Quadam die huius incendij diuini flamma etiã corpus ſibi correptũ ſentiẽs, procurrebat in hortum, ibique ſe totũ vſq; ad collum congelato ſtagno promptiùs immerſit; tanto verò temporis ſpatio in eodem permanſit, quanto cuicumque alteri ad extinguendum omnem calorem naturalem, ipſamque etiam vitam certò ſuffeciſſet: Miro tamen diuinæ Charitatis prodigio viſum eſt gelu reſolui, ſtagnumque inſtar feruentis ollæ ebullire; eò quòd cor S. Petri de Alcantara intus accenſum, corporis ardore aquam feruentem effecerat. Nequè ille hoc facto tribus pueris Babilonicis inferior æſtimandus, dum illi fornacem egreſſi, cœleſti rore ignẽ extinguente ſeruantur; hic gelidas aquas ſuo corpore velut fornacem accendens, nec gelu perimitur, nec aquæ feruore amburitur.

Verba inſuper & colloquia, quæ de hoc diuino amore faciebat, quàm ignita, atque fauillantia forent; varij euẽtus in eius geſtis indicati probabunt, quorum licet vnicum hoc loco addere ſpecimen, ingratum non videbitur.

Acceſſerat quadam die S. Petrus domum Illuſtris cuiuſdam Fœminæ ſuæ pœnitentis, in pago Beluis: Hic cœpit coram ipſa, eiuſque filia ſatis deuotũ de rebus ſpiritualibus ſermonem texere, capto motiuo ex currenti feſtiuitate duorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi; quorum in Chriſtum Fidem, & amorem præclarè exaggerans, dum omnia adijſſe difficilia demonſtraret; ex libro mox ſpirituali feruenti affectu hæc verba prælegit: *Deus meus, fac me carbonibus, flammis, atque igne tui amoris totum accendi, atque inuolui; ita vt conuertar in te, & tu in me.* Idque tam penetranti voce,

atque

atque modo pietatem ſpirante proferebat; vt ex hinc prædicta Domina toto animo ad deuotionem accenderetur: Maximè verò filia, omnium terrenarum cura penitùs depoſita, ſic orationis ſtudio incumbebat; vt in ea notabiles progreſſus faciens, fauoribus cœleſtibus ſuperabundaret. Fuit hæc Maldonata genere, cuius alibi memoria recurret.

Tam diffuſus erat hic ſancti Viri amor, vt libenter ſeipſum in tot corda diuiſiſſet, quot Mundus homines continebat; vt ſic diuinis laudibus abundaret magis. Hinc ſæpiùs ad diuinas laudes omnes creaturas prouocando, ſic exclamare audiebatur. *Venite, & iuuate me, ò vos Cæli, & Terra, & Angeli Sancti ad collaudandum Dominum; & ad vices reddendas tot fauoribus, quibus nos immenſa eius Benignitas cumulauit: Nimium excedunt menſuram obligationes meæ; ideòque meliùs vos defectibus meis ſuccurrite. Vos Seraphini inflammati, qui optimè amoris naturam, ac vim cognoſcitis, opem mihi ferte; dum amoris telo vulneratum me ſentio, & redamandi debitum agnoſco; tormenti tamen remedium, ac leuamen non inuenio. Tu qui labia Iſaiæ, ignito forcipe mundaſti, hanc animam meam ardentiſſimo amore tuo accende; vt nihil præter Dominum meum diligam, in ipſo ſolo requieſcam, & viuam in ſeculorum ſecula.* His & ſimilibus alijs indicijs diuini amoris cor S. Petri de Alcantara æſtuans, continuò latentis ardoris flammas conglobatim eructabat; vt quantò maioribus corpuſculum cruciatibus, ac pœnitentijs ſubigeret; tantò in corde latens ignis magis creſceret, atque foris quoque erumperet.

Eundem feruorem in alijs, quos de diuino amore alloquebatur, adeò mirabiliter accendebat; vt ab his etiam, quibus mirabile hoc amoris genus ignotum erat, ipſe Vir ſanctus amens exiſtimaretur; dum verba affectuosè proferendo, corporis geſtibus decorem perdere arguiſſent. Indè quoque de ipſo Sancta Thereſia hæc in manſione 6. cap. 6. annotauit; *Ego cognoui quendam Fr. Petrum de Alcantara, quem Sanctum exiſtimo ſecundum ea, quæ in vita demonſtrabat; interdum ab his, qui eum audiebant, habitum fuiſſe pro mente capto. Et verè talis erat, ſi ſanctam illam amentiam reſpicia-*

mus,

mus, atque ebrietatem; qua ſanctus ille Propheta redundans, omnes creaturas cæleſtes, ac terreſtres, in Pſalmo illo Benedicite, *ad collaudandum Deum feruenter prouocabat. O fælix amentia, fratres, ſi eam nobis Dominus concederet! O infælicia tempora, ò vita miſerabilis, in qua adeò obſcura, & ignota eſt talis ſtultitia. Fælices hi, quibus talem gratiam Deus conceſſerit; vt participes reddantur huiuſmodi ſtultitiæ, & ſeipſos iuuent aliorũ exemplo. Excitemus ergo nos ipſos ad diuinas laudes; & adiuuent nos omnes creaturæ per ſecula ſeculorum. Amen.*

Prædicabat quadam die S. Petrus in Ciuitate Plaſentiæ coram numeroſo Populo ſuper immenſo Dei amore, quo Incarnationis myſterium perfecit: Dum itaque rationum pondere mutuæ obligationis cauſas concioni efficaciùs perſuadebat, viſus fuit tam vehementer eiuſdem deſiderio accendi; vt ſenſibus deſtitutus per longiſſimum tempus, in altiſſima extaſi ſuſpenderetur. Cuius admiratione, quamplurimi maximè compungi, atque ad diuini amoris deſideria excitari; ipſum denique Seruum Dei in ſe reuerſum, atque poſt gratiarum actionem euadentem, ſumma veneratione velut Angelum incarnatum deuotè vbique proſequi. Ille verò tàm verbis, quàm affectibus, ac operatione dies noctibus, actiones meditationibus hoc exercitij vinculo coniungens, ſemper Deo fruebatur; nec vnquàm minimum, vel punctum prætermittebat, quod diuinæ voluntatis promptiſſimum obſequium importaret. Vnde plurimi Religioſi, qui eius conſuetudine familiariùs vtebantur, iuramento firmaſſe ſcribuntur nullum reperiri in Euangelio præceptum, aut conſilium, quod à ſuo prædicto Magiſtro ad literam non fuerit integerrimè obſeruatum.

De Charitate S. Petri de Alcantara erga proximum.
Cap. IV.

SVperioris virtutis filiam, aut ſororem rectè vocaueris Charitatem erga proximum; quæ ſicut legem perficit, ità Deum lætificat, in quem refunditur: Hinc S. Petrus alio-

Digitized by Google

aliorum infortunijs tanquàm proprijs compatiens, omni ſtudio ac diligentia ſatagebat; vt quàmpromptiſſimè iiſdem ſuccurreret. Pro hac cauſa, difficillima interdum itinera ſuſcipiebat; nimirùm vt Ciuium, aliarumque perſonarum, familiarumque animos inuicem reconciliaret; immò pœnitentes, alioſque deuotos in graui aliqua tribulatione conſolaretur: Omnes ad ſolam eius præſentiam ſerenati, animi triſtitiã deponebant; & ſicut Sole glaciem liquefieri cognoſcimus, ita quaſcumque frigiditates ad Charitatis S. Petri calorem fuiſſe reſolutas accepimus. Ob hanc cauſam ſæpiùs ſolitudinem intermittebat ac conuerſationem,qua Deo in oratione fruebatur; dum eum aut Conuentu egredi, aut ad ſe accedentes, patienter auſcultare neceſſitas cogebat: Nec verborum tantùm ſuauitate hæc Charitatis officia præſtare; ſed & omnem operam impendere, orationibus quoque & pœnitentijs diuinum auxilium compellare, donec petentium neceſſitati ſubuentum cognouiſſet. Id verò maximè pro peccatorum conuerſione, atque conuerſorum perſeuerantia attentiùs præſtare. Hinc etiam de alienis factis nunquàm ſiniſtrè iudicare, aut cenſorem agere; idemque diuerſis documentis ſuis Fratribus ita inculcare: *Filij euidens ſignum eſt, quòd Deus alicui animæ aſſiſtit, quando hæc in malo bonum inuenit; quemadmodùm alij præſumunt in bono malum quærere: Nam vnuſquiſque ore profert ea, quibus cor eius redundat. Sic enim anima inuidiæ plena, aut malitiæ, eadem lingua enunciare non deſinit; ſed quæ Charitatem poſſidet, cogitat, & loquitur de omnibus benè, iudicans omnes Deo perfectiùs ſeruire quàm ſe.*

Mirum in modum hanc virtutem S. Petrus de Alcantara manifeſtabat, ferendo manſuetè illatas iniurias: Nam ſicut cuiuſcumque beneficij tenax, vices rependere, vel orationis præmio nunquàm negligebat; ità offenſarum immemor, potiùs eaſdem beneficij loco habere, quàm vel minimum indignari; cùm ſibi contradici, aut calumniari ſe magis gauderet. Idem quoque Religioſis ſuis commendabat; vt quæ ſecreto aliquo Dei iudicio contingere potuiſſent, ea in humanis

manis contradictionibus Charitatis officio libentiùs excuſarent.

Eandem virtutem quantùm religioſa paupertas permitteret, etiam externo opere proximo præſtabat; ita quòd omnium pauperrimus; alienam tamen neceſſitatem diuitum eleemoſynis ſubueniret: Hinc etiam in proprijs Conuentibus mendicis ad portam primus miniſtrare; caput & membra ſordida abluere, indumenta reſarcire ac lauare, omniaque illis pietatis officia exhibere, quæ miſericordiæ viſcera concipere abundantiùs poterant. Alios, quibus nuditas verecundiam facere videbatur, ad amicos ſpirituales induendos remittebat; ſicque omnes, quos inopia aut neceſſitas filios offerebat S. Petri Charitas, paterno affectu amplectebatur, & fouebat.

Pro ægrotis ſingularem ſollicitudinem etiam aſſiduis humilitatis officijs exercebat; ita quòd ab alijs Fratribus huic curæ deſtinatis, ſæpè admonitus parceret ſuæ debilitati, & ipſis penſum ſoluendum relinqueret, reſpondebat: *Filij, meum imprimis hoc eſt officium, in quo ſi defectus, aut negligentia aliqua occurrerit; magis à me, quàm à vobis rationem eius exquiſiturum Deum ſciatis*. Extra Conuentum Noſocomia frequentabat, atque priuatorum domos; quibus præcipuè in neceſſitate publica priuatim laborantibus, ea induſtria, atque diligentia ſuccurrebat, qua & egeſtate liberari, & diuinæ offenſæ periculo eripi conuenientiùs poterant.

Quadam die æſtu feruente iter faciebat verſus Oppidum Torregonzillo, quando Solis ardor, viæque aſperitas eum & viribus & ſiti languentem cogebat remedium petere à duabus mulieribus; quas ſors obtulerat: Illæ verò propriæ neceſſitatis obteſtatione, Sanctum Virum ad ſui commiſerationem conuerterunt; ita vt opem, quam à ſe peteret, ipſis tàm ſiti quàm fame laborantibus opportuniùs exhiberet. Mira ſanè pietatis commutatio, dum S. Petrus ſui oblitus ad Cœlum oculos attollens, indè pro eis auxilium obtinuit, vndè ſibi ipſi vix petere præſumebat; & ad mulieres conuerſus: *Recedite*, inquit, *ſub vmbra illius geniſtæ, & ibi neceſſi-*

tatis

tatis veſtræ remedium inuenietis. Obedientes illæ in loco, quem indicarat, medium panem inueniunt; cuius ſapor & albedo cœleſti manu compactus, & ſitim extinguere valuit, & famem. At ipſa huic miraculo Charitas S. Petri pretium abſtulit; dum hæc ordinis negligens, alienam neceſſitatem, proprio periculo poſtponere notata fuit, nec ſibi vel in minimo ſubuenire.

Aliquando S. Petrus de Alcantara iter faciebat cum quodam Religioſo genere nobili, qui nuper ex ſeculo ad Religionem tranſiens, nondùm domeſticas delicias, aut naturæ mollitiem deponere, & aſperitati Religionis ſatis aſſueſcere didicerat; licet feruore ſpiritus, multa etiam difficilia ſuperaſſet. Hic pro vſu Religionis, nudis pedibus longa via, inter prærupta ſaxa incedens; tam ſanguine cruentatus, quàm laſſitudine deficiens, nitebatur veſtigia præcedentis Patris pro viribus aſſequi: Sed eidem adeò commiſerationem eliciebat; vt ſæpè inuitatus, tandem ſuaui verborum violentia cogeretur tergo Patris ſe imponere, & ſic longo ſpacio portari, idque etiam diuerſis locis, vbi difficilior tranſitus occurrebat, repetere. Miro ſanè pietatis ſpectaculo viſus fuit S. Petrus compaſſiua affectus teneritudine incuruatum ætate, atque continuis macerationibus dorſum iuniori ſe ſubmittere, atque duplicato onere ipſa ſaxa, quæ pedibus cruentabat, velut emollire quodammodò; & niſi supernè vires hauſiſſet, oneri impar ſuccumbere.

Nec præſens tantùm quæcumq; Charitatis officia præſtare S. Petrus de Alcantara promptiſſimè ſolebat, ſed cùm longè etiam abeſſet, diuinæ virtutis impulſu eadem deuotis egentibus remedia mirabiliter afferre. Erat in Oppido Arenas Vir honeſtus Balthazar de Frias, de S. Petro eiuſque Religioſis optimè meritus; cuius filio ſexenni, Patrique percaro violentia morbi per quatuor ingentes ſuppurationes, atque acutam inflammationem mortem minabatur: Qua Medicorum iudicio certiùs intellecta, Pater vt cordis amaritudinem lachrymarum reſolutione temperaret, à filij conſpectu ſeceſſit. Augebat dolorem de S. Petri abſentia

cogitatio, cuius præſentiæ merito non dubitabat ſe à Deo filij ſalutem impetrare poſſe: At non ideò ſpem depoſuit deuotus vir, cùm vel ſic abſentis S.Petri opem magna fiducia imploraret; nec vanam ei fuiſſe diſpoſuit diuina Benignitas, quæ S.Petro de Alcantara deuoti neceſſitatem manifeſtans, voluit; vt licet longiſſimè diſtans præfato viro de filij ſalute lætum nuncium oretenus proferret, totumque conſolaretur: Nam ille ad præſentis dictum obſtupeſcens, mox euaneſcente, ad ægroti filij cubiculum aduolare; & licet adhuc periculo teneri cernebat, nequaquàm tamen dubitare quin ſaluus euaderet. Hinc rei ſucceſſum adſtantibus enarrare, & cum ipſis Dei mirabilia Serui ſui Charitate extollere; donec ſtupentibus etiam Medicis, infirmum breui integrè conualuiſſe, omnes eiuſdem S.Petri meritis certiùs adſcripſiſſent.

De Patientia S.Petri de Alcantara, & animi eius conſtantia contra iniurias. Cap. V.

EX præcedenti Charitatis radice mira in aduerſis conſtantia, atque contra calumnias patientia pullulabat: Nam qui nihil niſi à Deo moueri ſibi firmiter perſuadebat, eiuſdem amori; licet aduerſa atque opprobria, omnia libenter condonabat. Dierum vitæ S.Petri chatalogum texere opporteret, ſi virtutum harum exempla colligere vellemus; quæ in illo adeò miranda ſolo prouerbij vſu confirmata, nobis faciliùs perſuaderi poſſunt: Nam cùm aliquis, iuſta ſe indignatione commoueri ſentiret, Patientia Fr.Petri de Alcantara opus eſſe pro reſponſionis dicto, tunc temporis inualuit.

In Reformationis negocio multas, variaſque difficultates inuicta conſtantia ſuperauit; grauiſſimas calumnias, repræhenſiones, atque acerbas mortificationes humili patientia tolerauit; vt nec ægri animi ſignum aliquod proderet. Sæpè non verbis tantùm, ſed & verberibus impetitus, aliam defenſionem opponere neſciebat, quàm quòd oculos

in

in Cœlum attollens, pro perſecutoribus exoraret; ſic cùm virtute Diplomatis Pontificij quemcumque ad ſuum Inſtitutum recipere facultatem obtinuiſſet, tunc inſignem quendam Canonicum Chriſtophorum Brauò, priùs vt ſua pauperibus diſtribueret, induxerat. Hic conſilio obſequens, charitatiuè omnia ſua largiendo, Viri Dei æmulis authoritatem eiuſdem inuiſam reddidit, validaſque contra eum perſecutiones innocenter concitauit: Quibus tam atrocia, atque indigna Sanctus Vir perpeſſus fuit; vt iurati teſtes in Canonizationis proceſſu, ea vix deſcribi poſſe, depoſuerint. Illum verò innata frontis ſerenitate, & animi imperturbabili tranquillitate cunctos inſultus cuiuslibet ſuſtinuiſſe; ipſos etiam Religioſos ſuarum iniuriarum impatientes, pro impatientia interdùm coarguiſſe, atque ad Deum conuerſum, ſæpè ita inuocaſſe: *Gloria tibi ſit Deus meus. Nunc verè cognitum me lator; pro eo qualis verè ſum; & ſic rectè me tractant, prout mereor.*

In quodam itinere Conuentum Religioſorum hoſpitij cauſa ingreſſus, inhumaniter exceptus fuit; eò quòd Diplomatis Pontificij requiſitus, nouitatis accuſaretur. Hinc iniurijs atque conuicijs laceſſitus; habitu ſpoliari, atque pro more Religionis tanquàm Apoſtata flagris cædi iubetur: Quæ ille humiliter perferre paratus, cùm corpus cinctum cilicijs, inedia extenuatum, atque diſciplinis ſulcatum oſtendiſſet; tantum ſuis aduerſarijs pudorem incuſſit, vt ſpectaculo confuſi omnes recedere potiùs, quàm intueri ipſum, aut attingere eligerent: Itaque ipſe ab accuſatoribus relictus in medio, veſte ſua indutus humiles Deo pro hoc pane tribulationis gratias egit. Mox è Conuentu exire, & pro ſubuenienda ſocij refectione, eleemoſynam per domos petere; & ſic iter alacriùs proſequi non dubitauit: Sic quoque cùm alios ſui Inſtituti Religioſos iter agentes, in quibuſdam locis malè habitos fuiſſe intelligebat; indè gaudendi occaſionem ſumere, atque aduerſarios excuſare, monereque ſuos, nè conqueri præſumerent; ſed apud alios, etiam ſeculares pietatis affectu obtegerent.

Digitized by Google

Decumbebat grauiter S.Petrus de Alcantara in Conuentu Arenis, cùm diuina inſpiratione Auilam eundum ſibi Religioſis ſignificaret; vt Sanctæ Thereſiæ in Diplomatis Pontificij executione auxilium præſtaret: Nec quibuſcumque precibus à propoſito moueri, quin aggrauatus morbo è lecto ſurgere, & iumento quodam vectus, iter ſuſcipere viſus fuerit. Peruenerat ad tabernam de Puerto del Pico, vbi quieſcendi neceſſitate in terram proiectus, caput ſuper petram, cui ſocius mantellum ſuperpoſuit, inclinarat: Intereà iumentum hortum fortè propinquum ingreſſum, olera quædam, & herbas corroſerat; quod à cauponis vxore obſeruatum, iracundia accenſa iumentum pro damno includit, & in rabiem verſa, contra S.Petrum & Socium conuicia, & probra effundit. At cùm manſuetiores ad omnia animaduertit; inſolentior facta, duplicat iniurias, & pro pignore pallium capiti recumbentis violenter ſubripit: Qua vi infirmus ſenex colliſo ad lapidem capite, ſanguinem fundere, atque vix genibus ſuſtineri validus, mulierem pro culpa humiliter deprecatur; & vt iracundiam deponat, obteſtatur. Pergebat inſolenter debacchari inſana fœmina, quaſi infernalibus agitata furijs, quæ S.Petri de Alcantara conſtantiam proſternerent; dum mœſtus Socius, ſecum cogitabat, quò ſibi pro afflicto Patre reficiendo, atque curando eundum eſſet; tunc Seruo ſuo Deus opportuni remedij, atque egregiæ patientiæ publicandæ occaſionem optimam præſtitit: Nam tranſibat illàc verſus Arenas D.Franciſcus de Guzman Eques Illuſtris, ac S.Petri filius ſpiritualis; vt eum in Conuentu inuiſeret. Hic cùm ſanctum Virum ita in terra proſtratum animaduertiſſet ſanguine conſperſum, ſtupore primò perculſus, caſum aliquem ex via interpratabatur; mox cùm ex mulieris clamoribus ſucceſſum indagaſſet, in furorem mutatus aggreditur tabernam igni ſuccendere, atque mulierem occidere: Sed S.Petrus, quem præ nimia debilitate ſola Charitas erigere poterat, furentem inſequutus à facinore reuocat; ac miræ pietatis, & manſuetudinis exceſſu ruinam auertit. Nam eius voce tan-

quàm

quàm Angelica ſuſpenſus iratus vindex, manus continuit, diſtrictum ferrum cohibuit; atque cui mortem intentabat, ad preces S. Petri de Alcantara pecuniam pro pretio dati damni, liberaliter exſoluit: Sic itaque effrenis mulier lenitate correcta, ad S.Petri pedes culpam, & iniuriam dolens deprecabatur; cùm ipſe ſuauibus monitis eandem corripiés, & meliorem reddidit, & ſingulare patientiæ exemplum omnibus ſimul præſtitit.

Eius conſtantiæ in tolerandis infirmitatibus fidem maximam faciet, quòd iiſdem quaſi continuò vexatus, maiores dolores pati optaret; nec remedia (quæ afferri poſſent) niſi coactus admitteret. Sic in itineribus, aliaue occaſione accepta vulnera negligebat, ſic toto quaſi vitæ tempore nullo ſe dolore vacuum in corpore, aut in animo afflictione aliqua liberum ſenſit; Et cùm à Fratribus, vt à Deo leuamen in oratione peteret, peramanter monebatur; reſponſum dabat. *Filij, pro Chriſto ſumma noſtro bono, dolores, afflictiones, & aduerſa pati, via eſt breuiſſima, aquè ac certa, & ſecura ad perfectionem; quæ licet anguſta ſit & difficilis, ſine dubio tamen rectà ad portas Cœli perducit.*

De Humilitate S.Petri de Alcantara. Cap. VI.

IAm obduratæ patientiæ, cuius in ſuperiori capitulo exempla indicauimus, S.Petrus profundæ Humilitatis animi fundamentum effoderat; ita quòd tàm in proſperis, quàm in aduerſis eundem ſenſum gerens, ſæpè dicere ſolεret: *Seruus inutilis ſum, & ſine fructu in domo Dei. Quid habes, quod à Deo, non accepiſti? Quid reddam ego Deo, pro omnibus gratijs, quas mihi tribuit? Offero tibi Deus meus, exigua illa, quæ habeo, & valeo offerre.* Ita quoque ſanctitatis ſuæ fama ſummè eum affligebat, eamque vel vulgari ignorantiæ, vel Magnatum adulationi adſcribere ſtudebat: Interdum vt applauſus populares declinaret, noctu Villas, aut Ciuitates ingredi, aut in aliquo paleario, vel tugurio obuio hoſpitari ſolebat; ſed quia hoc quoque ſæpè fieri

non

non poterat, dum aut charitatis, aut negotij occaſio ad hominum frequentiam cum conſtringerent: paulatim profuſis illis obſequijs, tanquàm martirijs aſſueſcere didicit, cùm ex ſingulis reuerentiæ demonſtrationibus plura in corde iacula excipere ſibi videretur. Quod euenire vel tunc plerùmque ei ſolebat, cùm ab Epiſcopis, aut Principibus hoſpitio exceptus; ſummo amoris, ac exiſtimationis affectu benedictionis gratiam impartiri eis rogabatur: Vndè Humilitatis huius fouendæ cauſa, ità ſe commonebat; *nonne tu Mundo defunctus es? permitte itaque te tanquàm mortuum tractari, qui nullo aut laudum, aut incenſationis ſenſu ſtimulatus, vllam internam, aut externam patitur immutationem.*

Aliàs cùm ad eius ingreſſum in aliquam Ciuitatem commoueri omnes ſolerent, vt illi obuiam irent: Ipſe (vt contemptum potiùs prouocaret) relictis nobilioribus, pueris ſe miſcebat, atque ad ludicra conuerſus, oblatos honores declinabat. Interdum in viis publicis ſtudiosè ea peragebat, quæ nauſeam magis ac riſum, quàm admirationem, aut reuerentiam ei generare poſſent: Intereà verſicolores panniculos hinc indè in ſportam collectos, tunicæ aſſuebat; vt pro inſenſato haberetur. Interdùm inter opifices baiulum agens, vilibus miniſterijs occupabatur, vt deſpectui omnibus eſſet: Idem in Noſocomijs publicis circa infirmos diligenter præſtabat; cùm contemptibilioribus exercitijs addictus, ingenioſa Humilitate faſtum, & applauſum publicum eludebat. In Palatijs, atque Curijs Magnatum, vbi maximi honores illi deferebantur, ſæpè ita ſe gerebat; vt ſeria etiam in riſum conuerteret, quò vilipendi mereretur.

Vocatus vrgentiſſimis literis D. Ioannæ Auſtriacæ filię Imperatoris Caroli V. & ſororis Regis Catholici Philippi II. Aulam adijt: Vbi ab eadem Principiſſa pro ſuis confeſſionibus electus, conſtanti Humilitate, atque inſufficientię ſuæ obtentu, ſolitudinem repetere difficulter obtinuit. Idem cum ipſomet Auguſtiſſimo Imperatore euenit, à quo licentiam diſcedendi, hac conditione obtinuit; *placeat Maieſtati veſtra, vt in hoc negocio voluntas Dei fiat: Et ideò ſi ego non reuertor,*

uertor

uertor, certò ſibi perſuadeat voluntatem Dei eſſe; vt in hoc Maieſtati veſtræ non aſſentiar. Itaque cùm Pedroſi ſuper eodem negocio in oratione Deum conſuleret, interiùs illuminante eodem intellexit, ſe non ad quærendos; ſed fugiendos honores ad Religionem vocatum, & vt pœnitentiæ rigores in ſolitudine amplecteretur: Vndè ad Imperatorem ampliùs non reuerſum, altiori id conſilio adſcriptum fuit; & poſteà ad maiorem Dei gloriam ſeruatum clariùs eluxit.

Iter faciebat quadam Hyeme S Petrus de Alcantara verſus locum Verraco, cùm niue coopertus cum ſocijs, in quodam diuerſorio noctem tranſigere cogeretur: At inhumana hoſpes nullum ex pauperibus lucrum expectans, excuſabat ſe; quòd lectos non haberet. Qua repulſa lętus Vir Dei, quòd ſe indignum iudicaſſet; ſociorum tamen neceſſitati compatiens, mulierem alloquitur: *Soror mea audi, nos pauperculi ſumus, quibus nec lecti conueniunt, nec ijs indigemus; ſi propter amorem Dei ita tibi placuerit, hic prope ignem in terra decumbentes habitus noſtros deſiccabimus; aut ſi hoc diſplicet, conducas nos ſaltem ad ſtabulum, & nobis ſufficiet*. Quod cùm blandienti ſimilis, & voce & habitu ſubmiſſo protuliſſet; confuſa pudore mulier, perhumaniter eum cum ſocijs excepit; & proximo manè erroris culpam deprecata, illorum ſe orationibus deuotè commendauit: Poſteà verò ipſamet alijs humilem hanc S. Petri de Alcantara reſponſionem recenſens, tantam omnibus virtutis eius exiſtimationem impreſſit; vt quoties illàc impoſterùm tranſijſſet, conglobatim omnes ei occurrere, atque eum, aut Religioſos ſui Inſtituti hoſpitio recipere, ſtudioſè certarent.

Nec minori ſtudio apud Fratres ſuos vilis haberi S. Petrus ſatagebat, dum abiectioribus miniſterijs applicatus, proprium arbitrium alieno ſæpè ſubmitteret, etiam in rebus grauioribus, quę Reformationis regimen tangebant: In quocumque opere, inſtrumenta ineptiora, & difficiliorem partem ſibi eligere; adire ſyluam, lignaque cędere, & proprijs humeris ad Conuentum portare, pro confuſionis exercitio ſæpiùs amplectebatur. Hinc maior illi à Populis veneratio

Digitized by Google

nerario haberi; vt ſequenti exemplo indicabitur.

Nobilis quidam D. Didacus de Loaiſa ex Comitibus del Arco fama S. Petri de Alcantara excitus, ad Conuentum Pedroſi accedens, inuenit illum effodiendæ, atque transportandæ terræ pro Conuentus fabrica anxiè occupatum. Ad cuius aſpectum, quòd Virum Hiſpaniæ percelebrem, & toti Imperatoris Aulæ venerabilem, ad ſeruilia demiſſum videret; confuſus ac præ deuotione in lachrymas diffluens, ad eius ſe pedes elinguis proſtrauit. At S. Petrus Virum inſigni pietatis affectu ſuſcipiens, primum ſpirituali colloquio, mox confeſſionis remedio ita conſolatum remiſit; vt ſæpè poſteà confiteretur, ſe ex Humilitatis S. Patris recordatione maximum culpas ſuas deflendi ſtimulum habuiſſe.

Dum Prouincialis, aut Commiſſarij munere eminebat, viliora Conuentus officia, tractare non dedignabatur; ſed reliquos in omnibus præueniens, ad ſe tanquàm omnium Miniſtrum ea pertinere aſſerebat. Honoribus ſibi à Fratribus delatis profundiori Humilitate occurrere ſolitus, perſuadebat ſingulis maioris meriti eſſe; cùm indignum ſe quis honore cognoſceret, eundem confuſionis loco admittere.

Aliquando infirmitate grauiſſima laborans, iumento vehebatur cum ſocio pedeſtri, qui poſt longam laborioſamque viam ad aſcenſum cuiuſdam montis accliui de ſua laſſitudine, ac Patris commoditate tacitè murmurabat: At S. Petrus ſecreta ſocij diuina reuelatione cognoſcens, iumento ſtatim ſe demittit, eique dulciſſimis verbis ad conſcendendum vim facit. Ad quam erubeſcens Religioſus culpam ſuſurri ſui deprecatus, poſt longum Humilitatis certamen, amoris Dei obteſtatione equitare conſtringitur; ſequente non ſine grauiſſimo labore S. Petro, cui licet morbus, & ætas, corporis pondus grauarent; *Humilitatis* tamen ſpiritus vires animi augere videbatur.

De

Digitized by Google

De Paupertate S.Petri de Alcantara. Cap. VII.

INſtitutum præcipuum, quod ſibi rigidiùs renouandum S.Petrus mente prçfixerat, ſanctę paupertatis obſeruantia erat; quam primus eius fundator Franciſcus, in Ordinē ſuum ſtrictiſſimum introduxerat: Vndè ſæpè Fratribus ſuis dicere conſueuit; *Paupertatem Fratris Minoris ita egentem eſſe debere, vt etiam aliquid relinquat ex neceſſario*. Eandem non ſuis modò Religioſis pro hæreditate ſacratiùs commēdauit; cùm fabricas Conuentuum ad ſtrictiorem formam ædificari, eorumque claues Patronis quotannis reſignari præcepit: Verùm etiam Sanctæ illi Fundatrici Thereſiæ in ſuo Carmelitano Inſtituto, adeò fideliter perſuaſit; vt etiā poſt mortem eidem apparens, priora monita de Prouidentiæ diuinæ fiducia repetendo tanquàm negligenti exprobraret.

Cella (quam incolebat prædicta Sancta deſcribente) atque adhuc Pedroſi exiſtens, longitudinem pedum habet quatuor, & medij latitudinem, trium altitudinem; quæ erectum non admitteret, & extenſum non caperet: Huic ſupellectile petra, ſedile, aut ſtratum præſtabat, Crucis imago ornamentum, lignum parieti immiſſum ceruical, Breuiarium antiquum Bibliothecam. Religioſis ſuis nulla prorſus curioſa, nec ſacra quidem permiſit præter Crucem ligneam, & librum ſpiritualem; quibus pro Confeſſoribus Summam, pro Prædicatoribus Bibliam adiungebat: Et vt huic nuditatis exercitio perfectus aſſueſceret, repetebat ſæpiùs euangelicam ſententiam; *vbi Theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit*. Addendo interdum, vt ſibi non ſolùm à cuiuſcunque rei terrenæ poſſeſſione; ſed & deſiderio diligenter cuſtodirent, eò quòd eadem planè infectus, facilè etiam alios inficere poſſet.

Tunica (qua induebatur) omnium viliſſima erat; ita quòd morti proximus, deteriorem (quam petebat) inuenire non poſſet: Nouam nunquàm geſtauit, ſed laceram, aut

repetiatam; quæ nuditati obtegendæ ſufficeret cum corda groſſa, mantello breui, ac femoralibus. Calceamenta nec infirmus etiam portabat, niſi dum aliquo caſu offenſum pedem curaret, dicendo tale ei ſolatium, dum malè haberet, conuenire; cætera paupertati aduerſari, quando neceſſitati non ſeruiunt. Ex his, quæ vitæ ſuſtentandæ neceſſaria erant, ſibi deteriora ſemper capiebat tam quantitate, quàm qualitate parciſſima; & pro his tanquàm mendicus ad portam, Fratribus gratias humillimas reddens: Egere ſe interdum neceſſarijs quoque ſummè lætabatur, cùm dicere ſoleret; *minimè pauperem dici poſſe, cui etiam neceſſaria quandoquè non deſunt.*

Dum officio Commiſſarij Generalis fungebatur, accidit ſemel eum à quodam Patre conſpicuo Dominicani Ordinis, in Conuentu Pedroſi viſitari. Erat autem illo accedente in remotiori horti parte occupatus S. Petrus de Alcantara, vt tunicam, quam ſolam geſtare conſueuit, ablueret; ideòque etiam (dum ſiccaretur) nudus expectabat, petræ inſidens: Hoc modo eum repertum Dominicanus ignotum ſibi percontatur; *Pater quomodò ſic nudus hìc ſtas?* Cui ille, *& Chriſtus quomodò ſtat in Cruce?* nec vlteriùs niſi vbi eſſet Pater Petrus de Alcantara inquiſitus, ſeipſum eſſe demonſtrauit. Ad hæc obſtupeſcere hoſpes, & velut tanti Viri vilipendium indignè ferens replicat; *Pater quomodò poſſibile eſt, quòd Vir tantæ authoritatis ita ſpoliatus habitu appareas?* ad quod S. Petrus manu tunicam ex arbore pendentem indicans reſpondit: *Pater, ſi quicquam in hoc culpæ eſt, eam potiùs Euangelio adſcribe; quod nos vnica tantùm tunica contentos eſſe debere præſcripſit.* Quibus verbis compunctus Religioſus maiori cum admiratione, etiam lachrymas continere nequibat; cùm tunicam adhuc madidam induere vidiſſet: Vndè negocio (ad quod venerat) pertractato, tale ſemper iudicium de S. Petro de Alcantara proferebat ſe neminem vnquàm inueniſſe, qui Euangelium ad literam meliùs quàm ipſe obſeruaret. Eandem paupertatem in cæterarum rerum vſu, ſtrictiſſimam obſeruabat: ita vt in minimis etiam admirationi eſſet.

Ad

Ad huius ſanctæ paupertatis ſtudium frequentibus exhortationibus vltra exemplum, documenta ſalutaria Fratribus dabat: *Filij, cauete vobis à quacumque re poſſidenda, immò deſideranda; quia amorem deſtruit, qui ſoli Deo debetur, eique ſoli conuenit, & integer redditur. Qui minùs cupit, minimiſque contentus eſt, Deo ſe ſimilem facit, qui nullius eget, & omnia in ſeipſo continet: Sollicìti eſtote, ſociam veſtram habere neceſſitatem; quia paupertatem ſimplicem declarat, quæ neceſſarijs etiã ſponte renunciat.*

De puritate virginali S. Petri de Alcantara. *Cap. VIII.*

Vix vſum rationis attigerat S. Petrus, cùm puritatis affectione captus pro eiuſdem cuſtodia, diuinum auxiliũ implorare Reginæ Virginum, atque dilecti Diſcipuli interceſſiones ſollicitare; omnium ſtudiorum intẽſiſſimum haberet. His ſtatim alia adiungere, vini abſtinentiam, ieiunia, corporiſque macerationes, quæ carnis ſtimulum comprimerent; præter mulierum fugam, oculorumque admirandam mortificationem.

Eadem poſteà in Religione conſtitutus, maiori diligentia repetebat; ita quòd fœdiſſimis ſuggeſtionibus à Dæmonio ſæpè tentatus (Deo permittente) virtutem eius probari, poſt longum certamen carnis & ſpiritus, tandem victor glorioſiùs euaſerit. Hinc quadam die, qua acriùs ſe carnis ſtimulis, fœdiſque cogitationibus vexari ſentiebat; coram Crucifixi imagine proſtratus, carum ſibi tentationem auferri lachrymando precabatur: Inter orandum verò hæc etiam dicere audiebatur; *Quomodò Deus meus, corpus tuum virginale tot cruciatuum doloribus angitur, & ego in meo voluptates & oblectamenta permittam?* Quomodò *fieri poteſt; vt eum offendam, qui ſuum mihi amorem dedit, & ſuæ puritatis reddidit participem? O Dæmon nequaquàm hoc erit, nimis me video à Deo meo amatum; qui pluris mihi erit, quàm omnia ſolatia, aut delectabilia Mundi.* Ad quæ verba, ex cordis intimo ſingula-

ri pietatis affectu prolata, euaneſcere cogitationes obſcœnas, animam ſuam ſerenitate gaudere, & inimicum recedere; vt inſolentior rediret, eodem momento obſeruatum fuit.

Alia quoque vice cellæ incluſus, vehementi carnis tentatione, cogitationum impuritate cor, animumque ſibi accēdi aduertit: Cui licet animosè priùs orando reſtitiſſet; tamē perſeueranti maius inijcere frænum generosè concludit. Itaque tunica ſpoliatus, flagris ſæuiſſimis corpus caſtigat, & cum ſanguinem copiosè elicuiſſet, orabat Redemptorem; vt ſui memor phantaſmata importuna deleret. Sed qui Seruo ſuo triumphos præparabat, permiſit vehementiùs libidinis incendium membra eius peruagare; vſque dum pro eo extinguendo S. Petrus de Alcantara rigidiſſimæ Hyemis frigori ſe exponere, mox ſtagno propinquo totum ſe immergere, tanquàm expeditiùs remedium excogitaſſet: Tali ſæpè modo, alijſque ab antiquioribus Sanctis vſitatis petulantiam carnis ſollicitè refrænabat; licet ex quarumdam violentia vehementer illos ſtomachi dolores, quos ſenectute prouectior patiebatur, contraxiſſe iudicetur.

His velut ſpinis cùm roſam puritatis ſuæ armaſſet, oculorum quoque, auriumque cuſtodia eandem obſerabat: Nam ſicut quaſcunque vtriuſque ſenſus offenſiones diligentiſſimè fugiebat, ita oculorum vſum non modò à mulierum aſpectu; verùm etiam à quocunque etiam delectabili auertendo, conſuetudine vix non amiſerat. Firmiter memoriæ ſuæ Spiritus Sancti monitum illud impreſſerat ex Eccleſiaſt. cap. 42. *omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum noli commorari: De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*. Ideòque nunquàm aut Charitatis, aut neceſſitatis quacunque occaſione mulieres alloquens, in alicuius faciem oculos figebat; ita quòd Auilæ Illuſtri cuidam mulieri ſibi de infirmitate conquerenti, ſincerè ſic reſponderit: *O Domina, nunquàm vos in meliori ſanitatis ſtatu vidi, quàm nunc*. Ex quo ipſa intelligere facilè potuit, nunquàm illum ſe aſpexiſſe; quàmuis ſæpiſſimè fuiſſet alloquutus. Eandem cautelam in Fratribus ſuis attentè zelabat,

dum

Digitized by Google

dum iuniores licentiùs oculos attollentes, etiam in publico liberè corriperet; ſeniores ſeria admonitione modeſtè argueret, omnes fideliter tali doctrina inſtrueret: *Non confidat quiſquam ſibimetipſi, dicendo ſufficere cor benè cuſtoditum habere; quia tam ingenioſa eſt carnis petulantia ad nos decipiendum, vt contra quamcunque virtutem, qua quis polleat, ipſa audentior inſurgat ad fallendum eum, qui magis ſe prudentem, atſpiritualem eſſe præſumit; niſi intùs vigilet, & foris ſe cuſtodiat.* Hac nimirùm doctrina pretioſum animæ noſtræ theſaurum, in vaſis fictilibus portandum omni præſidio munitum voluit; ita quòd toto vitæ decurſu ſemper ipſi vigiles poſuerit, maximèque diffideret, nè carnis inſidijs impetitus facilè ſuccumberet. Hinc iam morti proximus, cùm habitu ſpoliari, & vltimum agonem inire nudus voluiſſet; quidam ex Religioſis circumſtantibus applicato habitu, vt ſe operiri permitteret, admonuit: Ad quem S. Petrus de Alcantara, *recede fili, nè me operias; adhuc enim in periculo verſor.* Prudenti monito indicans, etiam vltimo vitæ certamini à carnis illecebris timendum eſſe; quantò magis dum illa adhuc vegetior, integras contra nos vires explicare intentat.

De Pœnitentia admirabili S. Petri de Alcantara. *Cap. IX.*

CORporis caſtigatio, quæ S. Petro familiaris, veterum Anachoretarum exempla non renouauit ſolùm, ſed & auxit; verè titulum Portenti Pœnitentiæ illi acquiſiuit. Cui vt magna laus à pœnarum varietate, quam excogitabat; ita non minor commendatio à ſecreti humilitate, qua eandem occultare laborabat: Nam ſi ex his (quæ oculis hominum ſubtrahi non poterant) cætera, quæ in abſcondito peragebat, æſtimare contingat; non immeritò dubitari poſſet, an ſpiritus naturam immutarit, vt inſenſibilis eſſet; aut naturа exuerit humanitatem, cùm crudelitatem in religionem vertit. Prioris teſtimonium Sanctæ Virginis Thereſiæ fides

confir-

confirmat; cui ſoli, vt in deuotionis incœpto animaret, pœnitentiæ ſuæ rigores facilitate excuſabat: Alterius fidem, ea, quæ hic ſtrictim annotantur, ex toto eius vitæ diſcurſu notiora ſinceriùs præſtabunt; dum cætera, quæ intimorum notitiæ ſubtraxit, in Beatorum conſpectu pretioſa æſtimauerimus.

Imprimis abſtinentiæ rigorem non certis temporibus, vt in multis Sanctis diſtinctum; ſed multorum annorum continuatione, ſtrictiſſimum ſeruauit. Pane ſolùm vulgari, & duro contentus, lautitiarum loco diebus feſtis herbas, & legumina ſine condimento addebat, dicens ſuperfluum id eſſe & vanum, quod gulæ magis quàm naturæ ſeruiret; etiã tormenti cauſa cineres, aut frigidam aſpergens. Interdum abſynthij, aliarumque herbarum amaritudine ſaporem diſtemperabat; vt guſtus varietate pœnarum tortus etiam nõ vni ſoli aſſueſceret: Idque tam exactè obſeruare viſus, vt huic ſenſui quotidiè noua ſtratagemata opponeret; qui omnibus potentijs irreconciliabile bellum iam dudum indixerat. Tribus annis continuis panem tantùm duriſſimum, & aquam non ad ſatietatem capiebat; nec à Fratribus etiam rogatus, propter dolorem ſtomachi vnquàm admittens: De leuiſſimo illo ſuſtentamento, corpus ſuum ad rationes ſæpè reuocabat, nè in Dei ſeruitio torpeſceret; dicebat enim panem illum non hereditate paterna, ſed pietate fidelium comparatum, oratione ac operibus bonis exſoluendum eſſe. Sæpè tertium, vel etiam octauum diem ieiunus tranſigebat; vt meritò à Sancta Thereſia obſeruatum fuerit, id tunc contigiſſe præcipuè, cùm in contemplatione cœleſtis ſpiritus (ſuperno cibo plenus) infirmitatis corporis obliuiſceretur.

Somni quietem, ac refrigerium tanquàm dimidium naturæ alimentum, non minùs quàm cibi adeò mirabiliter à ſe S. Petrus arcebat; vt ſi in vno varijs ingenij modis, palato illuſerit; in altero tortoris inſtar, ſingula membra æquuleo addixiſſe videatur: Vndè cùm perpetuis vigilijs noctes inſomnes peragens, ſociorum querelas eliciebat, quòd naturam deſtrueret; promptè ijs reſpondere non dubitabat,

bat,

bat, ſe ideò ſomnum excutere, quòd illum magis quàm mortem ipſam abhorreret. Nec ſine cauſa dum ille ſufficiens eſſet, animam à diuina præſentia ſeparare; quam hæc cum Deo fœliciùs coniungit: Itaque per quadraginta annos tot laboribus, itineribus, atque curis defatigatus, nunquàm toto hoc tempore vltra horam & dimidiam ſomno indulſiſſe depræhenſus fuit: Ex quo ſicut hoc pœnitentiæ genus difficillimum, ità à principio aſſueſcere, omnium ſtudiorum laborioſiſſimum habuiſſe; ipſius confeſſione Sanctæ Virgini Thereſiæ facta manifeſtiùs conſtitit. Itaque nunquàm niſi erectus, aut genuflexus conſiſtere, & ſi ſomnus obreperet pondus capitis, ligno parieti infixo furtim acclinabat; dum inimicum fugaret: Nunquàm membra extenſa quieti dabat; quia nec cellæ anguſtia Virum ſtatura procerum integrum caperet, nec ſtrati commoditas, niſi corticem infirmo, ac ſedenti miniſtraret. Eundem rigorem extra proprios Conuentus apud ſeculares tranſeundo, præcisè ſeruabat; dū vel orare genuflexus, vel eodem habitu dormitare; ſemper vigil inuentus, omnibus admirationi eſſet.

Cæteros cruciatus, quos Martyribus Tyrannorum manus inferre ſolent; eos S. Petri de Alcantara ſolertia ſuo corpori, non ſine aliqua martyrij comparatione adhibuit: Ita quòd non ſolùm martyrij prompta voluntas, ſed & quadraginta ſeptem annorum incredibilis maceratio ſuadere facilè poſſet, cum in perpetua pœnarum tolerantia longiori martyrio vitam conſumpſiſſe. Hinc diſciplinæ ſeu flagellationes quotidianæ, quas bis noctù vſque ad ſanguinis effuſionem protrahebat; in ipſo crudelitatem in religionem vertiſſe, in alijs carnificinam non pietatis exercitium exiſtimari potuiſſe, iudicare licebit; Hæ quoque aſperiores fiebant flagrorum varietate, quæ aut nodoſis funibus compacta, aut vrticarum manipulis vrentia, aut aculeatis catenis pungentia integram eius carnem tam dolore macerabant, quàm vulneribus miſerè dilaniabant.

Caput nunquàm ob diuinæ præſentiæ reuerentiam tegere ſolitus, aut Solis æſtu aduſtum, aut vulneribus afflictum

vix

Digitized by Google

vix non ſemper ſauciatum habebat: Spiritus namque impetus, qui in extaſi ſenſus ſuſpendebat; ſæpiùs eum ad ſuperius portarum limen impingere raró plagas, vel vlcera curare compellebat. Ipſæ niues, quæ capiti quandoque incidebant, liquefactæ per interiora caputij ad cætera membra diffluebant; interdum crines, ac ſupercilia frigore congelabant, vt euellere neceſſum eſſet: Neque his cruciatibus corpus ſuum affligere remiſit, aut aliquando foueri ſodalium etiam precibus conceſſit, quibus ſubindè reſpondebat; *Fratres, iam cum corpore meo conueni, quòd dum in hoc Mundo vixero, pati non ceſſabit: At cùm in Cælum peruenero, æternam ei requiem permittam*. Pedum operimentum ſimile capitis erat, ideòque nudis plantis incedens, aut ſpinarum, aut tribulorum offendiculis quotidiè ſauciabatur; quibus terram applicans hanc ſufficere dicebat, nè vnguenta admitteret. Cilitium (quod cingebat, tam horridum aſpectu, quàm tactu aſperum) continuam plagarum Chriſti memoriam renouabat; dum S. Petri de Alcantara mens eiuſdem imagine occupata, corpori toto compuncto aculeis, dilacerato flagellis, nihil integri, aut ſani relinqueret: Nec minus habitus pilis hirſutus, aliud tormentum addebat; cùm nuditati tegendæ tantùm, non frigori arcendo ſufficeret, etiam pellem, & vlcera refricabat.

De alijs Pœnitentiæ experimentis etiam S. Thereſiæ teſtimonio probatis. Cap X.

PRæfatos rigores amplectebatur S. Petrus de Alcantara Spiritus Sancti documentis perſuaſus, qui in ſacro eloquio aſperum Eliæ habitum, in Euangelio à Redemptore Chriſto Baptiſtæ rigores encomijs celebratos optimè nouerat. Hinc non minori ingenio quàm aſſiduitate corpori ſuo nouos cruciatus meditari, non tam vt delicijs non inſoleſceret, aut animæ amore diuino præoccupatæ obediret; quã vt eiuſdem amoris exercitio, corporis paſſiones conformaret:

ret: In hoc enim ſe vocatum iudicabat, ex Apoſtolico illo documento, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Ideò quoque vt internum ignem ſecuriùs foueret, externos pœnitentiæ cineres diligentiùs apponebat; maioribus, quos narrauimus, alios quoque addendo.

Sicut nudus ſemper Chriſtum ſequebatur habitum, & femoralia (quæ lacera, & aſpera geſtabat) lauare ſolitus, ea vix dum deſiccata ad aerem, ſtatim membris imponebat; quàmuis media Hieme frigore obriguiſſent. Interdum cellã ingreſſus, vt requiem caperet, corpus ſuum de nimio commodo increpabat: Ideòque mantellum deponens, medius inter portam, & feneſtram aeris inclementiam ingeniculatus ſuſcipiebat, vſque dum totus quaſi obdurauiſſet; dein vtramque claudens eidem corpori illudebat, dicens; *valdè tibi nunc indulgeo, quarè conquereris?* Et poſt modicum, mantellum aſſumens: *Benè tibi nunc eſt*, inquit, *ſatis commodè in oratione perſeuerare potes.* Et ſic in exercitio perſiſtens, non quieti, ſed tormento potiùs corpus addixiſſe etiam per iocum videbatur. Interdum flamma interiori ardens, in hortum egrediens habitum deponebat, vt frigori ſe exponeret, aut piſcinæ congelatæ ſe immergebat; vndè ſine interni incendij virtute, illæſus exire impoſſibile videbatur: Nonnũquàm in cella per feneſtram Cœlum aſpiciens, in contemplatione cœleſtium deliciarum frigoris niuium; imbriumque iniurias longo temporis ſpatio aſpernabatur; ita quòd ex tot paſſionum rigoribus, etiam ſtomachi acutiſſimi dolores, vſque ad vitæ extremum Seruum Dei continuò afflixerint. Admirabantur autem maximè omnes illum tam rigidas pœnas, cæterarum virtutum praxi adiungere potuiſſe, dum patientiam, manſuetudinem, humilitatem, paupertatem, caſtitatem, integramque ſenſuum omnium mortificationem tam perfectè obſeruaſſet: Quapropter nè tot tormenta temeritatis, aut imprudentiæ humanæ argui poſſent; voluit Deus ea diuino inſtinctu aſſumpta fuiſſe, declarare. Et vt cognoſceret Mundus diuinæ quantùm gratiæ virtus valeat in his,

qui S. Petri exemplum ſequendo eandem adipiſci conantur; mirè Seruo ſuo vitam per annos quadraginta ſeptem conſeruauit, in qua cæteris eius heroicis virtutibus hanc rigidiſſimæ pœnitentiæ gloriam ſuperadditam miramur; ideòq; fœlicem ipſe vocabat, quia Spiritus Sancti ſuggeſtione ſuſceptam, altiſſimum præmium adeptam fuiſſe obſeruamus. Audire licet ex integro fidelem S. Petri de Alcantara teſtem Sanctam Thereſiam, cuius in capitulo 27. eius vitæ hæc ſunt verba; poſtquàm temporum calamitates, imitatorumque Chriſti paucitatem deplorauit.

Quantum nobis boni abſtulit Deus in benedicto Fr. Petro de Alcantara, cùm tanta perfectionis capax non æſtimetur Mundus: Dicunt enim ſanitates nunc debiliores eſſe, nec tempora ſimilia præteritis. Ille Sanctus Vir his temporibus vixit, quibus ſpiritus craſſus erat vt in prioribus; & tamen ipſe ſub pedibus Mundum conculcabat: Et quàmuis non omnes ſicut ipſe nudis pedibus incedant, aut tantam pœnitentiam agant; multa tamen ſunt (vt aliàs dixi) cum quibus Mundum conculcare poſſumus, & quæ à Domino docentur, poſtquàm voluntatem explorauit. Quantum verò huic Sancto, de quo loquor, idem Dominus conceſſerit, vt quadraginta annis tàm aſperam pœnitentiam ageret, quò omnes probè noſcant; libet de ea aliqua dicere, quæ eiuſdem veritatem confirment.

Dixit mihi, & alteri perſonæ, à qua non ſibi cauebat (quia placuit Deo, vt affectu me ſingulari complecteretur, quo me animaret, & iuuaret in tempore tantæ neceſſitatis, vt dixi) quòd per quadraginta annos ni fallor, dormiſſet tantùm per horam, & mediam: Et quòd hoc ipſi difficillimum fuerit in principio; ideòq; ad ſuperandum ſomnum, vel ingeniculatum, vel erectum ſtetiſſe, Paululùm autem id quod quieſcebat, erat ſedendo, atque caput ligno cuidam acclinans, quod parieti infixum erat: Decumbere autem non poterat; quia (vt ſcitur) cella eius longitudinem quatuor pedum cum dimidio non excedebat. Toto hoc tempore nunquàm caputio operiebatur contra Solis ardores, vel imbrium, aeriſque inclementiam: Nec pedes calceatos, nec præter vnam tunicam ſimplicem, atque anguſtam geſtabat pro nuditate tegenda,

cum

cum mantello leniſſimo. Dicebat ſe interdùm apertis ianua, ac feneſtra, depoſitoque mantello frigoris vim experiri ſolitum; mox vt corpori indulgeret, obſeratis vtriſque, mantellum aſſumere: Comedere tertio quoque die ordinarium ſibi, addendo facile id eſſe; ſi quis aſſueſceret. Socius quidam eius mihi dixit, quòd aliquando per octo dies non manducabat: Quod exiſtimo fuiſſe, cùm in oratione perſeuerabat; propter magnas extaſes, & impetus diuini amoris, quos patiebatur, & ego ſemel præſens vidi.

Paupertas eius extrema fuit, ſicut & mortificatio in eius iuuentute: Dixit enim ſe aliquando per tres annos in quodam Conuentu ſui Ordinis commoratum, nec aliquem Riligioſum, niſi ex voce cognouiſſe; quia oculos non aperiebat, & quò neceſſitate eundum erat, aliòs ſequebatur in vijs. Mulieres per multos annos non aſpexit: Dixitque nihil ſibi referre, an videret quicquam, vel non; licet cum ego illum cognoſcebam, iam ætate valdè prouectus eſſet, & adeò ſpecie deformatus, vt ſimilior arborum radicibus videretur. Et cap. 30. eadem Sancta Mater, eius vitam continuando, ſic ait: *Aliquid iam dixi de ſua pœnitentia, vltra quod me certiorem multi fecerunt; quòd per viginti annos continuos pro cilicio geſtauit bracteam ferream. Seruauit ſtrictiſſimè Regulam Sancti Patris Franciſci; præter ea, quæ ſuo loco dixi.*

De dono orationis, & contemplationis Sancti Petri de Alcantara. Cap. XI.

CVm ex diuerſis, contrarijſque partibus hominis natura conſiſtat, quarum vna concupiſcit aduerſus aliam; viri ſapientis officium eſt, inteſtinum corporis & animæ bellum ſedare, ſuoſque cuilibet motus diuinæ voluntati conformes accõmodare. Vndè non mirum ſi Sanctus Petrus de Alcantara exemplar rariſſimæ pœnitentiæ factus, ſimul altiſſimæ contemplationis exercitio claruerit; vt quantùm deprimebat corpus ieiunijs, tantùm erigeret ſpiritum orationibus; vtque non minus eleuationem Chriſti imitaretur in anima, quàm mortificationem circumferebat in membris.

Digitized by Google

Vndè & quando B. Patris oratiò incœperit, non facilè dixerim; paternæ domus oratorium, locus tirocinij eius & magiſterij fuit: Cùm adhuc in puerilibus ſexennij temporibus, non niſi exercitatis orationis ſanctæ militibus concedi, ſolitos raptus experiretur. At verò poſt Religionis ingreſſum ſancto Seraphici Patris indutus habitu, cum eo duplicem eius pœnitentiæ, & contemplationis ſpiritum hæreditauit; non gradatim, non ſucceſſiuè, ſed vnica, & abundanti infuſione commmunicatum: Quamobrem ſumma iſtius eleuatio ex fructibus eius cognoſcetur.

Anima ſanctæ vnionis orationem attingens, & omninò à ſenſibilibus rebus auulſa, quæ clauſo cordis ſui oſtio intùs cum Deo conuerſatur, & totaliter quietata Deum ſibi loquentem audit, vacua eſſe non poteſt; ſed donis cœleſtibus Sapientiæ, & Intellectus decorata nitidiori, quàm Fidei ordinariæ oculo veritates altiſſimas Trinitatis, Incarnationis, aliorumque Myſteriorum percipere debet. Vndè extaticus ſancti Patris Franciſci ſocius Ægidius, ſupernæ contemplationis luce perfuſus, tanta ſe euidentia Chriſtianæ Doctrinæ arcana cognoſcere dictabat; vt ſibi à Deo fidē certo modo ereptam, eique claritatem fuiſſe ſubſtitutam affirmaret: Hæc eſt illa ſcientia Sanctorum, quam Deus amicis ſuis communicat; *Ego ſum*, inquit ipſe, *qui doceo hominem ſcientiam, & clariorem intelligentiam paruulis tribuo, quam ab homine poſſit doceri; cui ego loquor, citò ſapiens erit*.

Quarè cùm diuina Veritas S. Petrum de Alcantara tam crebrò in ſolitudinem duxerit, vt loqueretur ad cor eius; ipſum ſanè cœleſti intelligentia repleuit. Hæc eſt illa claritudo, quæ tam ſuauiter intellectum eius in Fide Myſteriorum firmauerat, ac ſtabilierat; vt ſe millies vita priuari potiùs elegiſſet, quàm ſi parumper in rerum cœleſtium fide titubaſſet: Indè conuicta diuinæ præſentiæ mens, tantam ipſius reuerentiam imbuerat; vt nunquàm caput operuerit coram Domino, quem ſibi ſemper præſentem apprehendebat, peculiari in myſterium Incarnationis affectu ferebatur; quippè qui nouerat, quantæ dignitatis opus exiſteret;

ret; nec poterat ſuauem illum, ac melliſluum Euangelij textum (*Verbum caro factum eſt*) aut lingua exprimere, vel aure percipere, ſiuè mente reuoluere, quin ſtatim à terra eleuatus in profundas extaſes raperetur. Inuitabat perſæpè omnes creaturas ad laudem Creatoris; & dum in pulpitis verſaretur, magno mentis affectu Incarnationis Dominicæ myſterium vſque ad ſui extaſim commendabat: Erant illi ſanctæ orationis fructus, ex qua effluebat amor ſeraphicus, quo velut igne ſuccenſus, aliorum quoque mentes accendebat; ex illo etiam ſacro fonte hauſerat ſacræ Scripturæ, & Theologicarum quæſtionum miram intelligentiam, caſuum conſcientiæ difficillimorum enodationem; vitæ ac viæ ſpiritualis notitiam, quàm cùm non librorum ſtudio comparaſſet, fallebat non raró ſuperbos hominum Doctores, qui nihil in Viro Dei præter humilitatem, & ſanctam ſimplicitatem præſumentes; ſcientiam mirabilem, non ſine ſtupore depræhendebant. Denique vt quantùm Sanctiſſimæ Trinitatis myſterij excellentiam cognouerit, quantũq; dilexerit, noteſieret; impletum eſt, quod Chriſtus diligentibus ſe promiſit: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Morienti quippè aſtitit Pater cum Filio, & Spiritu Sancto, & manſionem apud eum facturus, in cœleſtem patriam ſecum perduxit.

Cùm autem S. Petrus de Alcantara, Vir omnium virtutum extiterit, fuit & omnium orationum; acceſſit ad illam ſummam vnionem, mira eiuſdem corporis eleuatio, nec mirum quippè; cùm anima dono liberaliſſimi Dei velut cœleſtibus pluuijs irrigata, in paſſiua cœleſtium motionum receptione conſiſtit: Succedunt raptus, & extaſes, ſuccedit illa mirabilis per aera tranſportatio, qua corpus (graue licet) animæ feruentis motibus rapitur; operarius tanti effectus eſt miſericors Dominus, qui huiuſmodi gratiam non ſolet, niſi viris ſummè contemplatiuis, concedere. Dedit eam Sanctæ Thereſiæ, & largitus eſt Sancto Petro de Alcantara; ita vt orans in Choro, & in Dei contemplatione ab-

ſorptus,

forptus, vſque ad laquearia ſpiritus ardore ferretur: Sæpè ad radices arborum genuflexus, ſupremos ramos velut auis volando attingere videbatur; aliquando ab horto ad Eccleſiam ſubito impetu per aera ducebatur. Si quis de Deo ſermonem coram ipſo agebat, dabat nouis exceſſibus mentis occaſionem: ſæpè coram Cruce lignea orans, brachijs in modum crucis extenſis multùm ſupra terram euectus, omnium tranſeuntium, & paſtorum admirationem mouebat. Super omnes autem raptus is ſingulari prærogatiua notandus, quò obſtupeſcentibus quibuſdam Religioſis Pedroſi exiſtens, dum Crucem in horto à ſe erectam deuotis oculis reſpiceret, diuini amoris feruore accenſus ſurſum ferri, in aere coram ipſa Cruce ſuſpendi, lucidiſſimos ex oculis radios emittere & in Crucem vibratos, ab ipſa miraculi reflexione in Sanctum redire, candidiſſima nube radios Solis imitante caput ipſius circumdari, totamque ſplendore viciniã illuſtrari; reſoluta tandem nubecula Vir Dei ad ſe reuerſus, modeſta & hilari compoſitione in cellam ſuam ſe recipere viſus eſt: Nè autem exteriori apparentia in periculum ſuperbiæ veniret, rogabat enixè Dominum; vt ſibi externos illos fauores ſubtraheret, nec niſi cum magna confuſione præſentiam hominum in tam inſignibus donis patiebatur. Sunt equidem iuxta Sanctorum doctrinam periculoſi eiuſmodi raptus animæ in perfecta humilitate non ſolidatæ, & ſolet aliquando hac fraude ſuos decipere Pater mendacij; ſed ſi raptus à Deo eſt, generat in mente humilitatem, & ſupremæ potentiæ reuerentiam, parit filialem timorem, & ex illo amorem producit: Præterea animam à rebus terreſtribus ſeparat, videt in illis exceſſibus humana mens quàm parum, immò quàm nihilum ſit terrena ſubſtantia: totam ſe Dei voluntati aſſimilat, nihil præter Dominum optat. Ecce puriſſimi raptus veſtigia, quæ quia in Sancto Petro de Alcantara ex totius vitæ decurſu claruiſſe patet; non eſt dubium, quin ab vnione maxima proceſſerint.

Sunt alia raptus & extaſis genera, quæ tantò meliora ſunt, quantò tutiora: Poſtquàm enim anima orationis lumine

mine illuſtrata, omnia Mundi bona eſſe dolorem, & afflictionem ſpiritus nouit; ad perfectam Sponſi ſui fruitionem ſummo ardore mentis anhelat: Vndè vt illud ſacrum ſponſalitium, ac myſticum fœdus concludatur in terra, ſequũtur extaſes, & quaſi animæ liquefactiones; quia tantæ Maieſtati vicina, vitam ſenſualem viuere reſpuit, ex quo in ſummi boni contemplatione omnes potentiæ ſuſpenduntur, & impletur, quod de ſe Sponſa narrat in Canticis, *Amore langueo*; vel quod Apoſtolus Gentium Doctor dicit, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Hinc oriuntur extaſes illæ, quas Magiſtra myſticorum Thereſia volatum ſpiritus vocat, in quo tam velociter, tàmque fortiter motus repentinus ſentitur, vt raptus extra carnem appareat ſpiritus, & timorem mortis incutiat; illi autem reſiſti non poteſt, & anima quaſi palea à ſuccino attrahitur, quæ cùm ad Sponſi ſui amplexus perueniſſe confidit, videtque ſe corpori alligatam, concipit vitæ præſentis faſtidium, & ab illo carnis exilio liberari quamcitiùs optat: Illud ſummæ vnionis genus S. Petro de Alcantara fuiſſe conceſſum non dubitabit, qui vitæ illius hiſtoriam reuoluet; ex qua vel vnicum efficax argumentum decerpſiſſe ſufficiat. Cùm aliquando grauiter infirmaretur, auditus eſt in extraordinarium ſtrepitum prorumpere, & inuentus eſt in violentã non corporis, ſed animę dulcẽ extaſim raptus, in qua mortuo ſimilis, tota nocte remanſit; qui ad ſe reuerſus, reſpondit Infirmario de morte ipſius priùs ſuſpicanti: *Non ita eſt, viuus ſum per gratiam Dei, & multa conſolatione repletus*. In Aulis Principum exiſtens, non minus quàm in eremitorijs intima Dei communicatione fruebatur: Teſtis eſt Sancta Thereſia, quæ de Viro Dei ſibi optimè noto hæc dicit in cap. 27. eius vitę: *Raptus amoris diuini frequentes, & validos experiebatur, quorum ego vnum ſemel vidi, mihique à ſocio eius narratum eſt, per octo dies cibis abſtinere ſolitum eſſe; per quos ſine dubio continua contemplationi vacabat*. Cùm per hortos, per ſyluas, in ipſiſque conuiuijs aliquid humanis oculis gratum aſpiceret; erigebat ad Deum oculos mentis, & in eius amorem (cum quo eſt pulchritudo agri, & ſincera

cera voluptas) accendebatur: Cùm apertum Cœlum nocte reſpiceret ſtellis lucentibus plenum, aut die Solis ſplendore fulgens; dies ei eructabat verbum laudis diuinæ, & nox ori eius indicabat benedictionem. Quas extaſes, motuſque viri & mulieres fide digniſſimi, & præcipuè Epiſcopus Caurienſis frequenter notauit: Egreſſis enim ſimul in ſyluam Præſule, & Sancto Patre, tactus ex obiectu ſpeluncæ arboribus conſitæ S. Petrus; illuc ſe orando recepit, nec vſque ad ſequentem diem recedere ab Epiſcopo viſus eſt. Cùm aliquando de Omnipotentiæ diuinę diſpoſitione mirabili in plantis, herbiſque manifeſtata diſcurrerent, captus extaſi Sanctus, humanam conuerſationem interrupit; vt totus ſe daret diuinæ: Vno verbo in quocunque loco exiſteret, ſemper abſtractus, ſemper Deo vnitus, & in contemplatione abſorptus videbatur. Sæpè auditus eſt poſt redditam ſibi linguæ facultatem, finita extaſi diuinam Bonitatē ſollicitare; vt corporis ſui vincula dirumperet, & eum de carnis ergaſtulo liberaret: Sed quia ad illam perfectiſſimam Dei vnionem (quam Sancta Thereſia ſeptimam, & ſupremam manſionem vocat) peruenerat, in qua anima proprij commodi oblita, ita eſſe vult cum Chriſto, vt vitam vlteriùs ſibi prorogari, & exilium ſibi longiùs extendi patiatur pro eiuſdem Chriſti honore; ideò Vir Sanctus velut alter Martinus, cùm anima ad centrum pergeret, nouis ſe laboribus pro dilecti ſui gloria, & gregis vtilitate offerebat.

Si quis autem à me peteret, quibus horis, locíſque ſanctæ orationi intendebat? dicerem; quòd quaſi ad literam Euangelij conſilium ſecutus, ſemper orabat, & nunquàm deficiebat: Non enim illud exercitium deſtinatis temporibus diſtinguere nouerat, ſed omnem horam, & locum aptū eleuationi mentis in Deum inueniebat; tamen cùm paululùm animam à curis exterioribus ſuſpenderat, quærebat loca remota, & in ſolitarijs Conuentibus habitabat, & in abdito ſyluarum, aut rupum ſeceſſu diuinæ poteſtatis opera contemplabatur. Sæpè obſeruatus eſt incœptam ſerò orationem non interrumpere, donec oculos eius radij Solis ſurgen-

ſurgentis (velut Antonij Magni) percuterent ; quibus non rarò à tam ſancto colloquio non impediebatur. Solebat poſt Matutinum in Choro ad Primam vſque perſeuerare; vno verbo quidquid hominum conuerſationibus, quidquid cibo comedendo ſubtrahebat, totum orando conſumebat; vndè exiens aliam præſentiæ diuinæ, & cœleſtium aſpirationum viam incipiebat. Nec ſilentio prætereundum eſt, per quadraginta annorum ſpatium vnam, & ſemihorám noctis ſomno; reliquum tempus indulſiſſe contemplationi: Ex quo ſanctæ orationis amore factum eſt; vt vnam ex præcipuis nouæ Reformationis legem impoſuerit, quòd ſcilicet quotidiè tres horæ ſacro illi exercitio à Fratribus ſuis impenderentur.

De alijs ſummæ contemplationis effectibus, & ſignis in Sancto Petro de Alcantara relucentibus. Cap. XII.

ENituit inſuper in amico Dei alius ſanctæ contemplationis effectus, quem abſcondit Deus Sapientibus, & reuelauit paruulis; ideòque ab hominibus humana ſapientia plenis, plerùmque ſtultitia vocatur: Vndè quantò ſecularibus ingenijs minus eſt cognitum, tantò à Sanctis creditur excellentius Dei donum. Hæc eſt illa ſtultitia, quam S.Thereſia Sororibus ſuis dari cupiebat; hæ ſunt illæ puræ mentis iubilationes, quas Deus animabus ſibi fidelibus elargitur: Cùm enim Sponſus earum Dominus, pœnis interioribus oppreſſas videt, eis arrhas futuri gaudij mittit, mira diſpoſitione dulcia, & amara contemperans. Fit autem huiuſmodi iubilationis, & clamoris exceſſus; cùm non obſtante intima potentiarum vnione à Deo ſatis liberæ relinquuntur, vt hanc interiorem lætitiam pandant; immò & ipſi ſenſus gaudent, & tamen quomodò, & de quo lætentur, ignorant. Et hæc eſt ita exceſſiua mentis iubilatio, vt anima nolit gaudere ſola, ſed omnibus ſui gaudij exceſſum profert; vt ab omnibus adiuuetur in laudem Sponſi ſui

promendam, ad quem totus eius affectus terminatur: Sic autem agitata mens nullo modo dubitat, motionem ſibi eſſe diuinitùs impreſſam. Talis erat ſpiritualis Sancti Petri lætitia; de quo ait S. Thereſia: *Cognoſco nominatum Petrum de Alçantara, quem exiſtimo Sanctum eſſe propter modum vitæ eius, quod idem agebat; & qui aliquando eum audierunt, ſtultum reputabant: O ſorores quàm bona ſtultitia! Vtinam Deus eam omnibus nobis concederet.* Enimuerò ſæpè notatum eſt, quòd cùm in Conuentibus remotis extaret, in Eremum ſolus exibat; vt ignem diuini amoris euentilaret: Audiebatur in magnos clamores prorumpere, mox creaturas omnes ad laudem Creatoris inuitare.

Veniam autem ad viſiones, & reuelationes Viri Sancti. Exercebatur frequenter ariditatibus cordis, & magnis animæ mœroribus; carebat aliquando guſtu, & ſuauitate; ſubtrahebat ei Deus dulcedines, & felle Paſſionis ſuæ potabat eum: Sed qui conſolabatur humiles, ipſum conſolabatur crebris ſanctiſſimæ Chriſti humanitatis, & Sanctorum apparitionibus, eorum, quibus à Deo monſtratæ, ſunt relatione confirmatis; diſtincta enim tot gratiarum notitia in ſumma ipſius humilitate abſorpta eſſet, niſi Deus aliorum linguis eas manifeſtaſſet. Vtebatur ille ſuo, & Diui Bernardi conſilio, quòd Viri ſpiritualis eſt in cella ſua ſcribere; *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Linguam autem & oculos Sanctæ Thereſiæ ſubſtituit, quæ dum cordis ſui mœrores & ſiccitates immenſa cœleſtium apparitionum profuſione ſanatas, Viro Dei narraret; *Dum ego,* inquit, *illi de mea vita, deque meo orationis modo cum quanta potui claritate diſcurrerem; ab initio cognoui, quòd ille mea verba per experientiam concipiebat.* Cùmquè aliquos inſignes fauores, & Chriſti Domini Sanctiſſimæ Matris & Sanctorum viſiones exponeret, ſubiungit; *opus erat eademvia exercitatum fuiſſe, vt me intelligeret, & quid de præfatis viſionibus deberem credere, declararet.* Coniectura equidem vera, ſed viſu deindè firmata; cùm eadem Sancta non ſemel Dei Seruum cœleſtibus apparitionibus, & miniſterijs honoratum, perſpexerit.

Ex

Ex quibus Sanctæ Thereſiæ verbis aliud colligitur, quod non parùm Sancti noſtri excellentem ſapientiam commendat; directio ſcilicet animarum ſpiritualis vitæ ſequacium. Fœlices fuere illæ animæ, quibus contigit tanti Viri directioni ſubeſſe: Fœlix ipſamet Sancta Thereſia; quæ cùm varijs opinionum fluctibus agitaretur, à Sancto Patre directa, & de ſuæ viæ ſecuritate monita eſt. Cùm enim frequentes Chriſti Saluatoris, & Sanctorum apparitiones ipſi non paruum gignerent illuſionis, & deceptionis metum, cùm ex vna parte ab intimo conſcientiæ ſuæ directore Chriſto, de veritate cœleſtis viſionis certa redderetur; tamen ſuæ tenuitatis conſcia, & Confeſſorum ſuorum piorum Virorum dictis perterrita, anguſtias maximas patiebatur: Conſulebat frequenter doctiſſimos Viros; ſed eorum ſcientia ad Spiritus diſcretionem, quæ donum Dei eſt, peruenire non poterat, quid faciet Sponſa Chriſti? *Placuit* (inquit ipſa cap. 30. eius vitæ) *Domino ex maiori parte, & modo toti ſollicitudini meæ ſubuenire, mittendo in terram iſtam, benedictum Fratrem Petrum de Alcantara; iſte Vir Sanctus circa iſta omnia mihi claritatem dedit, & ſingula declarauit, dixitque nè ſollicita eſſem; ſed laudarem Deum, & certiſſima remanerem illum eſſe Spiritum Dei, & excepta fide nihil eo verius eſſe, nec me aliud certius credere debere. Reliquit me in multa conſolatione, & ſatisfactione; & effecit, vt ſecurè orationi vacarem, nec dubitarem omnia à Spiritu Dei procedere.*

Pater Ludouicus Granatenſis Ordinis Prædicatorum, pietate & doctrina notiſſimus, hærebat dubius ad quid diuina electione vocaretur; conſuluit epiſtola Sanctum Petrum de Alcantara, qui reſpondens aſſeruit eum Deo placiturum, ſi ſcribendis pijs Operibus ſe daret; cui conſilio adhærens Ludouicus, ſcriptorum ſuorum fructu Eccleſiam mirè decorauit.

Famoſiſſima eſt directio multarum animarum, à Viro prudenti ad apicem perfectionis ductarum. Sed eſt imprimis celebre eius, quo illuſtriſſimum Epiſcopum Caurienſem S. Franciſci Diſcalceatorum habitum induere volentem ad-

Digitized by Google

monuit; vt in paſtorali ſollicitudine ſuas oues paſceret exemplis, & verbis; cui acquieſcens Epiſcopus piè vitam duxit, & fœliciter terminauit.

Omitto Maldonatam nobilis Matronæ filiam, quæ perſuaſibilibus diuinæ Sapientiæ verbis ab ore Sancti manantibus facta, ſub ipſius magiſterio vſque ad diuinas illuſtrationes, & viſiones in oratione profecit: Fallaciam Sathanæ viri ſecundum carnem prudentes exiſtimabant, & in ipſum S.Petrum deceptionis culpam refundebant; timebat iuuenis, & ſimplex virgo, ſolus S.Petrus (quem vſus capacem, quem Spiritus Sancti vnctio doctum effecerat) quidquid in ea agebatur, Deo tribui debere affirmauit; & veritas miraculoſa vita, & morte Maldonatæ comprobata eſt.

Solent etiam diuini fauores, animæ contemplatiuæ collati, humilitatem parere, ſcientia ſecularis inflat, ſcientia Sanctorum humiliat; ex quo in ſuo orationis libro docet idem Sanctus, quòd *qui ſcire volet, quantùm in oratione profecerit, videat quot gradus internæ, & externæ humilitatis ſingulis diebus acquirat*. Quo conſilio optimè vſus, omnem orationis ſuæ fructum ſæpè in humilitate collocabat: Sic à Carolo V. enixè ad confeſſiones ipſius audiendas rogatus, ſanctæ orationis auxilio (qua ſe ad ſolitudinem, pœnitentiam, & Mundi deſpectionem vocatum agnouit) tanti officij dignitatem, & factum recuſauit.

Eſt aliud ſignum eleuatæ orationis euidentiſſimum; vt qui ſpiritu viuunt, ſpiritu ambulent, & carnis deſideria non perficiant. Ita docuit S.Petrus de Alcantara verbo, & monſtrauit exemplo: *Si quis* (inquit in mirabili ſuo orationis tractatu Part.2.cap.5.) *ſcire deſiderat, quos fructus ex oratione perceperit, attendat quantùm interiùs, & exteriùs in humilitate quotidiè proficiat; quemadmodùm iniurias toleret, neceſſitati proximi ſuccurrat, eiuſque defectibus compatiatur; quantùm tribulatus ſperet in Deo, linguam refrænet, cor cuſtodiat, carnem cum ſenſuum appetitibus domet, qualem ſe in aduerſis, & in proſperis exhibeat; prouideat rebus omnibus cum grauitate, & diſcretione, & ſuper omnia perſpiciat, an in*

ſe

Digitized by Google

ſe-mortuus fuerit amor honoris, deliciarum, & Mundi, & iuxta factum in iſtis progreſſum, non ſecundum guſtus, quos ſenſit, ſe iudicet; ideòquè ſupra ſe intentum ſemper oculum gerat, & principalem mortificationi applicet, alterum orationi; mortificatio namquè ſine illius adiutorio, perfectè acquiri non poteſt. Hæc autem documenta quid ſunt, niſi ipſius Viri Sancti vita? Nunquàm magis hilaris erat, quàm deriſionibus illuſus, aut iniurijs affectus, aut malis oppreſſus; nunquàm magis afflictus, quàm cùm honorabatur. In malis ſuis patientiſſimus, in alienis curandis diligentiſſimus, in tolerandis humillimus: Offendebat ſæpè lapidibus, & ſpinis, quas propter altiſſimam contemplationem aduertere non poterat; cumquè ex effuſione ſanguinis vehementia vulneris appareret, dicere ſolitus erat ſibi compatientibus; *Iſtud nihil eſt, nullum mihi dolorem parit, ſpinæ iſtæ ſenſus meos quaſi veræ roſæ delectant.*

Tandem perfectiſſimæ orationis ſcopus eſt imitatio Chriſti, conformes namque ſeruos ſuos Deus vult eſſe imagini Filij ſui; ex quo Apoſtolus ei perfectè aſſimilatus dicebat: *Ego ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto: viuo enim iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Ad hanc ſimilitudinem diuinæ orationis miniſterio S. Petri de Alcantara peruenerat; ita vt ſincera meriti ipſius appretiatrix Thereſia ſcripſerit cap. 27. eius vitæ; *quòd optimum, & neceſſarium erat, nos aliquam paſſionum Chriſti, & Apoſtolorum imaginem habere: O quam bonam ſuppeditauit nobis nunc Deus, in benedicto Fratre Petro de Alcantara.* Re enim vera cùm initio conuerſationis ſuæ mortificandis ſenſibus per pœnitentiam attenderet; deindè altioris perfectionis motiuo, mortificationem IESV in corpore ſuo circumferebat; ex quo præcipuè Paſſionis eius Myſteria contemplabatur, & ſuauiſſimis verbis Dominum alloquens, ſeipſum ei in omnimodæ ſimilitudinis effigiem offerebat.

His & ſimilibus orationum exercitijs donum lachrymarum Deus infuderat, quo memoriam Dominicæ Paſſionis recolens, totus in gemitus diffluebat: Prætereà continuis

abſtra-

abſtractionibus ſenſuum non impediebatur, quin officijs exterioribus attentè vacaret; cùm aut charitas, ſiuè neceſſitas, vel obedientia poſtulabant. Vno verbo mirabilis fuit pænitentia S. Petri de Alcantara, ſed mirabilior contemplatio, ad quam continuò ſuos exhortabatur; vt velut piſces in mari, in ſecretum plagarum Chriſti habitaculum inter Mundi procellas & tempeſtates, ſanctæ orationis adiutorio, ſecederent. Deniquè quicunque Sancti iſtius vitam, & acta perũoluet, cum ſapientiſſimo Imperatore Carolo V. oculari ipſius teſte concludet; *quòd verè iſte Religioſus, non eſt homo iſtius mundi; eſt enim ſemper abſorptus in Deo, & conuerſatur cum beatis Spiritibus Cæli.*

De fructu, & efficacia orationis S. Petri de Alcantara pro beneficijs proximi. Cap. XIII.

QVemadmodùm in ſuperioribus Capitulis forma, & modus contemplationis, ac orationis S. Petri diſtinctiùs explicata manet: vt indè etiam Lectori deuoto imitationis exemplar ſuccinctiùs proponi queat: Ita nunc in præſenti non ſine aliqua eiuſdem voluptate, quibuſdam exemplis comprobandum occurrit: quantùm etiam, quò ad effectum impetrationis, eadem oratio apud Deum efficax extiterit. Si enim teſtante Eccleſiaſte, ad multum valet oratio Iuſti aſſidua; dubitari nequaquàm poteſt B. Patrem non ſolis internis animæ donis priuilegia diuinæ conuerſationis ſibi obtinuiſſe: Verùm etiam externos amicitiæ eiuſdem fauores in proximorum beneficijs promeruiſſe, dum hæc præter ſcientiæ lumen, & raptuum frequentiam in varijs petitionum ſuarum effectibus, & multiplici exauditionis gratia, ac plurimorum experientia comprobata fuerint.

Nec equidem occurrit hoc loco diuerſas quamplurimorum tam ſpirituales, quàm temporales neceſſitates iterùm repetere; quas S. Petri de Alcantara orationibus commendatas, fœlici exitu ſublatas totius hiſtoriæ huius contextus

tus vbique declarat. Quarundam tantùm exempla, extra narrationis ſeriem relictas, hìc præſtabimus; quibus & orationis eius integritas, & exauditionis diuinæ fauor, vtraque in conſpectu Domini grata fuiſſe vlteriùs confirmari poteſt: Dùm enim oratio, ſeu mentis aſcenſio S. Petri in Deum integrè eum à terrenis deſiderijs ſeparauerat; non mirum videbitur, ſi decentes eius petitiones (quæ pro altera parte orationis aſſignari ſolent) non niſi ex charitatis officio ſuſceptæ, ac iuxta requiſitas conditiones directæ, largitiones propitias diuinæ Benignitati impetrare meruerunt, vt in Pſalm. 33. *Aures quippè Domini in preces Iuſtorum, & deprecationes timentium ſe, exaudiet Dominus.*

Itaque cùm aliquando S. Petrus de Alcantara in Oppido Alburquerque commoraretur, ſæua illic peſtilentia ingentem Oppidanorum ſtragem faciebat: Vndè nobilis quidam loci Caſtellanus ad Conuentum Fratrum Diſcalceatorum confugiens; ibi præſidium Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ cultu Fratrum percelebris, deuotiſſimè implorabat. Perdurante autem contagio Guardianum precabatur, vt duos Religioſos pro conſolatione miſerorum ſuperſtitum ad Oppidum mitteret: Paruit Guardianus, & S. Petrum de Alcantara cum alio quodam Didaco de Almonte, quamprimùm deſtinauit. Hi cùm Oppidi ſolitudinem, ac miſeriam aduertiſſent; ambo altiorem turrim aſcendentes, in eadem totam noctem in oratione exegerunt, diuinam Miſericordiam exorantes, vt tam crudele flagellum ſuſpenderet: Videbant autem Angelos iacula quædam ignita vibrantes, quæ cadendo deorsùm, ſtrepitum edebant horrendum. Ad quæ B. Pater orationem intendere, ſequè ipſum affectu ictibus offerre, modò Oppido parceretur; Tantoque feruore diuinam pietatem laceſſens obtinuit, vt vnus ex Angelis (quos viderat) ipſum accedens nunciaret, ſuæ hoc ſupplicationi conceſſum eſſe, vt ampliùs Oppidum peſtis non affligeret; ideòque ad Conuentum ſuum regredi poſſet. Hoc cùm ijdem ad Conuentum rediiſſent, Fr. Didacus Guardiano narrauit, eò quòd eiuſdem viſionis particeps fue-

fuerat; compertumque omnes habuerunt ex illo inſtanti peſtilentiam ceſſaſſe, Petrique feruorem diuinum furorem placaſſe.

Nobilis quidam Adoleſcens aſſiduis inſtantijs, à S. Petro de Alcantara obtinuerat; vt ad Religionis habitum admitteretur: At cum ingeniculatus in plurimorum præſentia, eundem induere debebat; aſperitate, ac tentatione vehementi exterritus, recedere moliebatur, licet tàm anxiè priùs expetijſſet. Hinc omnes vrgere Adoleſcentem varijs exhortationibus, ipſeque præcipuè S. Petrus diabolicam aſtutiam feruenti ſpiritu increpare; quàmuis obdurato animo, auribuſquè obturatis fruſtrà ſuaſis ſe tunc viderentur: At mentem in Deum Sanctus erigens, breui ſed efficaci oratione, tantùm effecit; vt interna quadam vi compulſus Adoleſcens, ſtatim propoſitum mutando, ad ſuſcipiendum habitum conſtantior, humiliorque rediret. Quod quidem merito B. Patris adſcribendum etiam ſucceſſus confirmauit, quo iuuenis perſeuerantia ſingularis vitæ, inſignique virtutum exemplo in Ordine clarus euaſit.

In Oppido Arenis fœmina quædam inops, pecunias quaſdam pro ſoluendis debitis ſtudioſè collegerat: *Has* furtim ſibi ſublatas, miſera Beato Petro dolentiſſimè conqueſta, orationibus ac conſilijs eius ſe inſtantiùs commendabat; quia extrema neceſſitate premebatur. At caſum mulieris commiſerans S. Petrus de Alcantara, ſublatis in Cœlum oculis; *Vade*, inquit, *filia, & dolorem depone; pecunia enim tua ad te redibunt*: Sicque eam verbis ſuis fidentem, lætam remiſit. Mox orationi inſiſtens à Deo impetrauit, vt ſequenti die pecuniæ ad mulierem deferrentur; quæ neſciens vndè veniſſent, ad B. Patrem reuerſa, pro inſigni beneficio debitas gratias referebat.

In pago Erradon dicto Diœceſis Auilæ, aliquot pueri ludicra tractabant prope puteum; in quem vnus eorum caſu incidens, extrahi non poterat. Remanſit itaque aliquandiù aquis immerſus, atque tanquàm mortuus derelictus; vſquè dum (Deo ſic ordinante) illàc S. Commiſſarius

tranſi-

Digitized by Google

tranſiret, vt vniuerſo Populo, qui ad caſum concurrerat, efficacia orationis eius manifeſtior redderetur: Nam puteo appropinquans, genua flectere, inquè Cœlum feruidam orationem, ſed breuem dirigere; mox tanquàm exauditus fuiſſet, conſurgere, atque cordam ſuam cum illa ſocij coniunctam puteo immittere, imperando puero, vt liber exiret. Mirum viſu quod vix cordæ aquam attingebant, nec ſatis fortes; ſumma tamen facilitate puerum, poſt longum ſatis interuallum immiſſum ſanum extraxerunt: Ideòque virtuti orationis S. Petri de Alcantara, omnium ſuffragijs hoc factum adſcribebatur.

Non exigua prætereà argumenti eiuſdem teſtimonia eſſe debent tot, tàmque varij diuinæ Prouidentiæ effectus, quibus ſæpiùs Fratrum neceſſitatibus mirabiliter ſubuetum; vltra publicam plurimorum atteſtationem, qua ſe quamplurima beneficia per orationes S. Petri de Alcantara obtinuiſſe, ſincerè confeſſi fuerunt. At omnium inſtar Sancta Thereſia nobis certam fidem facere poteſt, cùm ſibi atteſtatur à Chriſto Domino reuelatum fuiſſe S. Petrum immenſa gloria coronatum; hoc etiam priuilegio gaudere, vt ſuis interceſſionibns, nihil à Domino gratiæ denegetur: Ideòque etiam ipſam ſe ad eum recurrere; quia, *Dixit mihi Dominus* (verba ſunt Sanctæ Thereſiæ in fine cap. 37. eius vitæ) *quòd nihil in nomine ſuo quiſquam peteret, quod diuina Miſericordia non exaudiret: Quemadmodùm ego propria experientia atteſtari poſſum.*

De diuerſis exercitijs deuotionis S. Petri de Alcantara erga Sanctiſſimam Euchariſtiam, Paſſionem Dominicam, ac Beatiſſimam Virginem, alioſque Sanctos.
Cap. XIV.

QVanquàm orationis nutrimentum deuotionum exercitia eſſe ſolent, illum ab his ignem concepiſſe, in S.Petro facilè perſuadere poteſt; quòd à tenella ætate iiſdem deuotionibus velut allactatum nouimus. Imprimis erga

ga ſupremum in terris diuini Amoris pignus, quod in ſacratiſſima Euchariſtia venerantur fideles, tanto deuotionis affectu etiamdum puer exercebat; vt hebdomadam integram vel pro eadem reuerenter ſuſcipienda, vel pro gratijs agendis ſanctis meditationibus percurreret, omnia pietatis opera ad illius venerationem dirigendo: Interdùm inuentus fuit coram Altari (vbi ſeruatur Sacramentum) illa attentione, ac reuerentia immobilis perſeuerare, tanquàm Saluatoris Chriſti humanitatem defixis oculis præſentem intueretur.

Poſtquàm Sacerdotio initiatus Miſſam celebrabat, tanta deuotione hoc Sacrũ peregiſſe aſſeritur à perſonis præcipua fide dignis; vt ſe magis ad pietatem eius celebratione, quàm aliorum ſermonibus commotos profiterentur. Vndè ſæpè quamplurimi ad eius Miſſam concurrere, atque ſolo eius aſpectu ad Altare compungi; mox finito Sacro ad eius pedes procumbere, & per Pœnitentiæ Sacramentum ſe Deo reconciliare feſtinabant: Dum ſe ſacris veſtibus induebat, adeò feruido affectu ſacra Paſſionis Myſteria ruminabat; vt ſingulis actibus vnumquodque illorum exprimeret, quæ Chriſto contigerunt; ſicque velut totius Mundi hoſtia ad Altare ſacrificaturus deuotè procedebat. Sæpiùs ad illa Euangelij verba, *Dixit Ieſus*, tanta teneritudine afficiebatur; vt lachrymas continere non poſſet, quin copioſè erumperent, vocemque in ſuſpiria mutaret: Ad Canonem autem accendebantur adeò cordis intima; vt in facie quoque eius quædam velut flamma corruſcaret, vſquequò ad conſecrationem deueniſſet. Ibi tota eius mens in Myſterio abſorpta vix reliquas Miſſæ cæremonias perficere valebat: Attamen conſecratione peracta, interdùm extra ſe raptus aliquandiù etiam in aere ſuſpenſus videbatur; Vndè ad ſe reuerſus, cætera proſequi, & poſt Communionem eandem extaſim iterũ patiebatur. Quæ quidem omnia ſecundum loca, & tempora variè eidem contingebant; quàmuis in locis remotis frequentiùs, atque diutiùs quàm in publicis, vbi celebrando ſingularibus fauoribus decoratus, omnium affectus ad deuotio-

uotionem prouocabat: Peracto Sacro tanquàm celeri volatu ad cellam properabat, vt conceptum feruorem ſecreto tegeret, & diuinis amplexibus liberiùs inhæreret; quorum effectus humilitate S. Petri celati, ſignis tamen ſuſpiriorum, ac vocis ſubindè Religioſos latere non poterant. Audiebantur etiam ſtrepitus, qui malignorum Spirituum colluctationes indicabant, à quibus grauiter verberatus; tamen immobilis in oratione perſiſtebat, aut vt animoſiùs reſiſteret, cito curſu ad Sanctiſſimam Euchariſtiam in Eccleſiam confugiebat, ibidem illis inſultans, atque velut victor glorioſus imbelles conculcando: Idem ſibi præſidium erat, quoties negocium aliquod magni ponderis tractandum; ideòque in Cōuentu Pedroſi anguſtum quendam locum ſibi elegit, ex quo vicinior Eccleſiæ, in conſpectu huius vitalis hoſtiæ iugiter aſſiſteret. Cùm apud Principes, & Magnatès diuerſabatur, ſtatim poſt Miſſæ celebrationem in ſecretiora, ac remota loca ſecedere; atquè interdùm aliquot dies ſolitarius, cum Deo conuerſari moris habebat, ſicque in omni loco Deo fruens, eius præſentiæ (quam in altiſſimo Myſterio Euchariſtico fideles agnoſcunt) humillimo affectu, ac ſingulari reuerentia inſeruiebat.

Hanc deuotionem ſummè fouebat meditatione Dominicæ Paſſionis; cuius affectu varijs corporis ſui cruciatibus, Saluatorem ſuum imitari ſatagebat. Ad hoc vbique locorum in eminentioribus præcipuè, Cruces erigi curabat; quarum aſpectu piorum memoria ad Myſterij contemplationem reuocaretur: Vndè quoque in Conuentu Pedroſi Caluarij quandam figuram congeſſerat, ad quem greſſus dirigens, diſtinctis paſſibus patientis Chriſti paſſiones exprimebat; vſque dum ad locum accedens, ibi coram Cruce animæ affectus inflammabat, vt ſe totum viuum Redemptori ſacrificium offerret: Sicque brachijs expanſis orans, totus in eum transformabatur; cui concrucifigi ardentiſſimè cupiebat. Indè ſæpè à tranſeuntibus obſeruatus in aere ſuſpendi, omnibus ſtuporem incutiebat; interdum verò cùm ab extaſi rediret,quaſi volando ad Conuentum ſeſe recipiebat; vt ho-

minimum exiſtimationem effugeret: Frequentiùs in horto Paſſionis meditatione exardeſcens, ſoluebatur in lachrymarum torrentes, ac deuota ſuſpiria; quibus aliquando tormenti quandam imitationem adiungebat, vt videlicet ſtagno frigido ſe nudum immergens, indè per multùm temporis Crucis paſſionem in corpore ſuo velut deſcriberet. Nil enim ipſi toto vitæ tempore huius comparatione moleſtum, amarumuè videbatur; quin magis omnis cruciatus amaritudo dulceſceret: Hinc etiam per longa ſpatia orandi in Cruce conſuetudo, quam ſine ſingulari aliqua diuina ope ſeruare extenuati corporis debilitas non permittebat. Denique prædicationis zelus eandem recordationem omnibus inculcabat tàm verbis, quàm factis; quibus mirabiliter perſuadebat, ſe voluntariè pro Chriſto mala pati paratum.

Superioribus Sanctiſſimæ Virginis deuotionem ſedulò adiungebat, cuius venerationem ſumma pietate, & precibus varijs excolens, ſuæ inſuper puritatis cuſtodem elegit; vt holocauſtum integrum conſecraret: In Conuentu Sanctæ Mariæ Angelorum, vbi Guardianus morabatur, coram ipſius imagine in orationis feruore ſæpè viſus fuit, facie ſplēdeſcere; aliquando largiori ſpatio extra ſeipſum rapi, eiuſque gratioſa præſentia frui. Quemadmodùm in Conuentu Sancti Ioannis Baptiſtæ Vicioſæ etiam in vitæ exitu præcipuè contigiſſe; vt ab eadem Beatiſſima Virgine cum Angelorum cœtu viſitaretur, alibi latiùs retulimus: In eodem loco Incarnationis contemplationi, ac Matris Dei priuilegijs intentus, in quoſdam affectus feruentiores erumpere auditus fuit: *O Maria, ò Maria Virgo Sanctiſſima, Mater Dei, Regina Cæli, Domina Mundi, Sacrarium Spiritus Sancti, Lilium puritatis, Roſa patientiæ, Paradiſus deliciarum, Speculum caſtitatis, perſpicuum exemplum innocentiæ, ora pro me paupere misero, ac peregrino; & ipſi largire abundantiam charitatis veſtræ.*

Feſta eiuſdem Deiparæ ſeueriſſimis mortificationibus, præter ſolitas celebrabat; ita vt aliorum quoque tùm Fratrum, tùm ſecularium pietatem mirè accenderet. Cùm ſemel

mel ex Portugallia rediens, apud Epiſcopum Oliuentiæ diuertiſſet; deuotam quandam imaginem Virginis, quam ab eodem dono acceperat, ad Conuentum de Valuerde tranſtulit: Hanc ſolemni proceſſione, ac concurſu Populi in Eccleſia collocando, atque Conuentum honori eius dedicando, animi ſui affectum, erga eandem Patronam ſingulariter expreſſit; eò conſtantiùs, quò ſemper ſatagebat, eiuſdem patrocinio Reformationis ſuæ initia præmunire; ſicut etiam in Conuentibus eidem dicatis libentiùs habitare.

Poſt hanc deuotionem, aliorum quoque Sanctorum excolebat; ſingulariter verò Apoſtoli Sancti Ioannis, Sancti Ioſephi, Sancti Franciſci, ac Sancti Antonij de Padua; quorum ſe interceſſionibus magna pietate commendabat, & ad eorum feſta varijs macerationibus præparabat.

De dono ſcientiæ Sancti Petri de Alcantara, ex quo magnum Prædicationis ſuæ fructum collegit. Cap. XV.

PRæ cæteris ornamentis, quæ animam S. Petri condecorabant, ſcientiæ donum ſingulare eluxit, in ſacrarum Literarum profunda intelligentia; quam magis in orationis ſchola, quàm alibi didicerat. Ex hac illi ſumma facilitas, & perſpicuitas in explicandis difficillimis ſcripturarum, atque Theologiæ difficultatibus; quas non ſenſibus modò Sanctorum Patrum, ſed & proprio Spiritus Sancti dictamini conformes, etiam intelligentiores in hac materia agnoſcebant. Quidam Vir doctrina celebris in Ciuitate Plaſentiæ, hanc ſcientiæ S. Petri famam paruipendens, amicorum inſtanti ſuaſione eiuſdem experimentum facere adductus fuit: Arrepta itaque propitia occaſione, in quadam Eccleſia Petrum pro Confeſſionis Sacramento confidenter accedens; in hoc non culpas ſuas pro more accuſare, ſed ſubtilium quarundam difficultatum ſolutionem petere præſumpſit. Quibus cùm expeditè, ritèque S. Petrus de Alcantara ſatisfeciſſet, non ſolùm animum Viri ſcientiæ

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ certitudine confirmauit; ſed etiam pietatis affectum verborum ſuorum vi ita commouit, vt dubitationis culpam priùs accuſans, cæterorum peccatorum integram Confeſſionem Viro Sancto magna cum compunctione perfecerit; ac tandem melioris vitæ perfectam rationem inierit. Huius inſtinctu cùm ſe amicorum frequentiæ ſubtraxiſſe videbatur, ijſdem ſiniſtri alicuius caſus ſuſpicionem faciebat; pro qua tollenda ipſe facti ſui, ac congreſſus cum B. Patre ſeriem enarrans, ſatis euidenter omnibus perſuaſit, ſe ad meliorem frugem eiuſdem efficacibus monitis rediiſſe.

Haud diſſimile aliquid in eadem Ciuitate S. Petro de Alcantara euenit, cum inſigni quodam Ordinis Sancti Dominici Prædicatore, P. Didaco y Bañez in Theologia Magiſtro. *Hic* difficulter ſibi S. Commiſſarij ſcientiam perſuaderi paſſus, eam popularibus potiùs acclamationibus, quàm probatorum teſtimonijs pertinaciùs adſcribebat: At quadam die, dum in cœtu Religioſorum propè Chorum ſermones miſceret, ingredientem in Eccleſiam S. Petrum de Alcantara attentiùs conſpexit; ideòque non vlteriùs Fratrum confabulationi aures præbere, ſed ad Virum Dei in Eccleſia accedere, atque pro ſecreto colloquio importunè ad Clauſtrum pertrahere. Indè ambo in remotum cubiculum ſecedentes, prior P. Didacus ad pedes S. Petri procidens, cordis compunctionem profuſis lachrymis, ac ſingultibus propalabat; quam etiam poſt longam conuerſationem eius Religioſi attentiùs obſeruarunt: Itaq; ſoluto congreſſu inſtabant ijdem, vt ſibi geſtorum cum S. Cõmiſſario ordinem enarraret, quo improuiſæ mutationis cauſam agnoſcerent. Quibus ille facilè morem gerens, conuocatis priùs ad concionem omnibus; tale ſanctitatis, ac ſcientiæ S. Petri de Alcantara teſtimonium concepto ſermone edidit: *Patres chariſſimi, natam vobis fuiſſe non ignoro incredulitatem meam, qua varijs teſtimonijs veſtris de Seruo Dei Petro de Alcantara, fidem dare obſtinatiùs recuſaui. Hanc verò ſolùm ad eius aſpectum in Eccleſia ita in me mutatam ſenſi, vt conſtrictus fuerim*

ad

ad eius pedes ſecreta animæ meæ liberiùs pandere: Sciatis itaque, quòd Deus mihi oculos aperire dignatus fuit; dum P. Petrus in Eccleſia ambulabat; vt mirabilia intueri mererer, quibus Seruum ſuum Dominus tunc condecorabat. Conſpiciebam nimirùm plurimos Angelos eum circumdantes, atque in manibus quaſi geſtantes; ſingulari quodam modo ei blandiri: Vndè reuerentia perculſus ad pedes eius aduolaui; vt culparum mearum confeſſione citiùs edita, diuinæ Miſericordiæ veniam impetrarem, quam tunc concepto dolore ardentiùs expoſcebam. Videbatur enim mihi neminem inueniri poſſe, qui Cæli viam indicare rectiùs poſſet, quàm eum, cui ipſi Cæli ciues Angeli ſocij deſtinati fuerant: Conueni itaque cum feſtinatione, & poſt Confeſſionem varia dubia ſuper difficillimas materias eidem propoſui; & verè vobis in fide Sacerdotis indigni (vt ſum) profiteor me à nullo Virò doctò talia vnquàm intellexiſſe, qualia Vir ille Sanctus breui illo temporis interuallo mihi exactè declarauit. Eſt enim ille præditus ſuperno lumine interiora cognoſcendi, ſuauitate mirabili, & efficacia in perſuadendo; ſicut & obſcura dubiorum elucidandi ſcientia diuina; quæ omnia ſibi ab eodem Spiritu infuſa dignoſcuntur: O ſcientia humana, quantis ignorantiæ tenebris offunderis, niſi diuini luminis radijs illuſtraris! Sicque Sermonem claudens apud omnes B. Patris ſanctitate, atque ſcientia firmiſſimo argumento comprobata, impoſterùm famæ eius, ac virtutis præco effectus eſt ſingularis. Alij quoque plurimi, qui pro ſcripturarum difficultatibus, S. Petrū de Alcantara crebrò acceſſerant; magnæ eius facilitatis in earumdem explicatione, admirationem non vulgarem concipiebant.

Ex hac inſuper admirabilem prædicationis eius efficaciā proueniſſe haud difficilè concluditur; cùm feruentiſſimo eius zelo coniunctæ tot peccatorum conuerſiones, animarumquè lucra omnibus fuerint in confeſſo. His etiam accedebat exterior corporis habitus, qui macie, ac vitæ auſteritate deformatus, interiorisque luminis in vultum redundantia terrorem potiùs incutiebat, atque reuerentiam: quā vt verborum lenocinijs auribus, oculiſque peccatorum blā-

diretur: Propterea quoque ille ſolitus erat eligere motiua ſermonum aſpera, atque in vicijs repræhendendis vehemẽtiora, quibus ex Redemptionis noſtræ memoria lenimenta ſuauiora obduceret. Hinc frequenter etiam in exclamationes quaſdam prorumpere: *Deum incarnari? Deum pati! Deum mihi vitam concedere, & hoc me non agnoſcere?* ita vt aliquando ſuper hæc fixus, in extaſi remaneret.

Mirum hoc erat, quòd dum Viris doctis varias ſcripturarum obſcuritates explanabat, aut alia ad nobiliores documenta dirigebat; eodem tempore etiam à rudioribus perceptus, illis compunctionis atque conuerſionis affectum eliceret: Ita vt linguarum donum, ſeu intelligentiæ Apoſtolis conceſſæ S. Petro elargitam ex tali argumento facilè iudicaſſent, qui eius doctrinam ab omnibus capi, atque diſtinctiùs intelligi, notabiliter mirabantur. Erant itaque audiendi eum cupidi adeò homines; vt cùm Templa Populi multitudinem non admitterent, in aperto campo munere ſuo fungi quàm ſæpiùs contingeret: Ipſe autem tanto feruore eidem incumbebat, vt terras, locaque diſtantia percurrens, occaſionem deuotis dederit eum ſuæ ſanitatis propriæ admonendi, quam ipſe ſe libentiſſimè ſaluti animarũ ſacrificare retorquebat; nec quicquam gratius habere, quã Regnum Chriſti peccatorum pœnitentijs augere. Varia huiuſmodi conuerſionum exempla in hac narratione adduximus; quorum illuſtre non minus additamentum erit D. Roderici à Chaues, Viri inter Plaſentinos nobiliſſimi mutatio notabilis: Hic enim ætate, ac opibus florens, luxu ac vanitate abſorbebatur; vſquequò ſecreta quadam curioſitate ad prædicationem S. Petri de Alcantara accedens, adeò eius dicendi vi ſe compunctum agnouit; vt nulla præſentis multitudinis habita ratione, ad S. Petrum perrumpere, eiuſque ſe conſilijs pro nouæ vitæ via ineunda committere, nequaquàm erubeſceret. Eum S. Petrus de Alcantara amplectens, ſalutaribus monitis inſtructum, atque in Conuentum ad ſe reuerſurum pro diſponenda generali peccatorum expiatione, Domum remiſit: At vxor tam repenti-

na

na mariti mutatione perculſa, S.Petrum adijt cauſam exploratura, à quo cùm varijs ſpiritualibus documentis erudita, ſpiritum Chriſtianæ pietatis concepiſſet; adeò in eiuſdem affectúm exarſit, vt mariti viam probare, eiuſque etiam conſortium relinquere, ac Monaſterium ingredi deſignaret: Sed B.Pater vtriuſque deuotionem temperando, eos ad Tertij Ordinis Inſtitutum admiſit; in quo egregijs virtutum exercitijs ſe inuicem æmulantes, Parentum & amicorum contradictiones, & probra conſtanti ſui ipſius deſpectu, ac perfecta humilitatis profeſſione ſuperarunt. Hic fuit, cui S. Petrus Tractatū de Oratione inſcripſit; qui etiam locum Palancar pro fundando Conuentu Pedroſi, liberaliter ac deuotè Petro obtulerat.

Tam continuo conuerſionis animarum zelo, non domos modò priuatas & publicas, ſed Oratoria, ac Societates etiam quamplurimas replebat: In quibus congregatis Nobilium præcipuis, viam virtutis, ac pietatis Chriſtianæ Apoſtolico ſpiritu, ac mirabili effectu edocebat; ita vt quidam ad amplexum pœnitentiæ, alij ad virtutum ſtudium, alij ad deuotionis feruorem, alij ad Mundi contemptum, vniuerſi ad compoſitæ vitæ deſideria accenderentur.

De dono Prophetiæ Sancto Petro de Alcantara conceſſo.
Cap. XVI.

INter inſignia diuinæ Gratiæ munera, qua animam S. Petri Deus illuſtrauit, Prophetiæ donum in futurorum cognitione eluxit; cuius effectus ex plurimis ſingulari memoria dignos aliquos hoc loco recenſebimus. Plaſentiæ Nobilis quædam fœmina de mariti ſui ſalute anxia, quòd in Indiarum partibus in bello periclitaretur, B.Patrem adijt deprecando, vt orationum ſubſidio eidem ſtudioſè ſuccurreret: Cui reſpondens S.Petrus de Alcantara nè ampliùs turbaretur, monuit; vt pro prælij iam tranſacti victoria Deo gratias redderet, ex qua maritum ſuum incolumem breuì reducem habitura eſſet. Hanc veritatem poſt

 ali-

aliquot menſes nuncius confirmauit; qui de rei ſucceſſu literas attulit, omnibuſquè perſuaſit, id ſine diuina reuelatione priùs ſciri non potuiſſe.

Alius quidam Nobilis in deuotione erga S. Petrum de Alcantara ab infantia educatus, in eiuſdem conuerſatione ſemel literas quaſdam ex Aula recepit: quibus ſignificabatur hæreditatem quandam notabilem ex morte ſui propinqui obtigiſſe: De qua ſorte exultans Nobilis, ſine mora per diſpoſitos equites iter facere velle, ad capiendam poſſeſſionem indicabat. Cui S. Petrus de Alcantara à Deo illuminatus id tunc diſſuaſit, & varijs inſtantijs vrgenti, atque perſiſtenti in ſua opinione; tandem ſecretò in quodam cubiculo hæc verba intimauit: *Valdè vos exultantem video ſuper hac hæreditate, cum potiùs futura prauidere deberetis; quia præter id, quod nunc vobis in mentem venit, aliter ſuccedet. Recordare igitur (fili) rerum, quæ tanto ſtudio à me didiciſti, & haud minori feruore amplexus es; ita vt te totum paratum obtuleris, quemcunque cruciatum, etiam vſque ad ſanguinem pro Chriſto pati velle.* Ad quæ Nobilis: *Eandem (Pater) adhuc voluntatem ſeruò, atque in omni occaſione ſeruabo; nec vnquàm obliuiſcar rerum, quæ Deo meo debere me agnoſco.* S. Petrus, qui diuina reuelatione futurorum conſcius erat; intentis in eum oculis, hæc vehementi ſpiritu ſubiunxit: *At fili, ſi hæreditatem (quam anhelas) ab alio præoccupatam intellexeris, patienter nè propter Deum id feres?* Cui ille, *certè quòd ſic, cùm omnes res terrenas, pro Cælo perdere paratus ſim: Sed ſi præter bona,* inſtitit S. Petrus, *etiam honoris iacturam feceris, id nè propter eundem amorem pari patientia ſuſtineres? quid ni* (inquit iuuenis) *pro eo, qui pro me paſſus eſt, libenter tales iniurias tolerarem? Et ſi vlteriùs omnes amici tui* (reſpondit S. Petrus) *in te inſurrexerint; ita vt etiam vitæ inſidientur, ſi permiſſum fuerit?* Ad hæc turbatus aliquantulùm Nobilis: *Pater mi, dummodò animam non tetigerint; cætera quæcunque externa lubens tolerabo.* Tunc B. Pater edito profundo ſuſpirio, ac lachrymantibus oculis ita prædixit: *Eheu fili, ſi ſuper prædicta omnia, Deo inimica fa-*

ſta fuerit ac infidelis anima tua; ita vt propterea etiam carcerem merearis, & publicæ infamiæ ſententiam? Ad quæ velut ſemimortuus Nobilis, animoſè tamen reſpondit: *Deus mihi propitius ſit, vt nunquàm eum offendam*; & concludens S.Petrus: *Eia ergo, vade in paces & ad omnia, quæ tibi euenire poſſunt, patientiam tuam præpara.* Sic recedens iuuenis animo conturbato, ſe orationibus S.Petri de Alcantara inſtanter commendauit: Sequenti die iter (quò deſtinarat) ingreſſus, in ſocium incidit Virum famoſum, ac doctum; ſecreta tamen hæreſi infectum. Huius argumentis ſenſim illaqueatus, eiuſdem hæreſin faciliùs imbibit immemor ſalutarium admonitionum, quas à Viro Dei priùs hauſerat: Ex quo omnia illi prædicta ſucceſſere, vſque dùm in quendam locum ſecedens, vt pœnitentiam ageret; ibi errores ſuos amarè defleuit. Nec maius intereà ibi ſolatium habere contigit, quàm quòd à Patribus Diſcalceatis crebrò viſitaretur; quibus prædictiones S. Petri de Alcantara enarrare, eiuſque propheticum Spiritum altiſſimo præconio celebrare nunquàm intermittebat: Præ cæteris autem dictus Eques totum iſtud cum multis lachrymis narrauit Fr. Ioanni Baptiſtæ Moles, & Fr. Michaeli de Laque grauibus Prouinciæ S.Gabrielis Religioſis; cùm ipſum die Viſitationis B.Mariæ Virginis 2.Iulij Anni 1569. in loco Madrito propinquo, ad quem à Sancto Inquiſitionis Officio relegatus fuerat, inuiſiſſent.

Aliquando S.Petrus confabulando cum Comitiſſa de Torrejon D.Catherina Manriquez, audiuit ipſam propoſuiſſe ſibi, filiam D. Mariam Carauajal Illuſtri iuueni D. Ioanni de Vargas Sponſam dare. Cui propoſito diſſentiens S.Petrus, iteratò affirmabat illam Sponſam futuram non iſtius, ſed D.Gundiſalui de Carauajal: Erat autem hic affinitate attingens Comitem de Torrejon iam defunctum, & tunc nuptus D. Agneti de Vargas, & Camargo. Vndè Comitiſſæ dictum S.Petri de Alcantara, tantò difficilius videbatur: quia vxorem illam adhuc ſuperſtitem, & ætate viridem videret: At ille, *poteſt ipſa mori, & ſic Matrimo-*

nium contrahi, *quod ego ſic affirmo*, *& quidem certum erit*. Ad quod reſponſum ſuſpenſa Comitiſſa, vlteriùs de filiæ nuptijs non tractare curabat, oraculo Viri Dei cuncta cedens; licet priùs Matrimonium, tùm nubilis Virginis ætati, tùm cæteris conditionibus conuenire magis iudicaſſet; At mortua eodem anno vxore prædicta, breui poſt tempore prædictio B. Patris, Matrimonio D. Gundiſalui, atque filiæ Comitiſſæ comprobata fuit; quemadmodùm ipſa Mater pro maiori Serui Dei gloria publica fide atteſtari voluit.

Tres Virgines honeſtæ ex Ciuitate Plaſentiæ S. Petri de Alcantara Diſcipulæ, eidem ingrediendi Monaſterium deſideria ſua communicarant; at Beatus Pater reprobando hoc intentum ſic illis reſpondit: *Modò non conuenit, vt in aliquo Conuentu Religionem ingredi tentetis*. Contra quod replicando natu maior argumenta varia, quæ propoſitum ſuum vrgere poſſent; hac ratione inſtitit S. Petrus: *Vitam ſanctè inſtituite, vt Dei præſentiam iugiter ſeruetis; & confido in Domino, quòd gratia ſua vobis propitius erit: Ideòq; non turbemini, quòd modò deſiderijs veſtris non aſſentior; quia certas vos facio, quòd omnes tres Religioſæ eritis, quàmuis id poſt mortem meam contingat. Intereà Tertij Ordinis habitum vobis concedũ, quò ſecundum Dei voluntatem, nunc ei hac ratione liberiùs ſeruiatis*. Suffecit hæc oratio ad animos Virginum componẽdos, licet futuri cupiditate Monaſterium ſibi indicari inſtarent, vbi aliquando Religionem ſuſcepturæ forent: At S. Petrus de Alcantara importunitati, atque conſolationi condeſcendens; *poſt mortem* (inquit) *meam in hac Ciuitate Monaſterium fundabitur Diſcalceatarum primæ Regulæ Sanctæ Claræ, in quod vos ingrediemini, atque vſque ad mortem perſeuerabitis*; atque ita eis ſilentium impoſuit. Toto autem tempore, quo vixit S. Petrus, nulla vnquàm de tali Monaſterio fundando memoria fuit: Sed aliquantùm poſt eius fatum, eodem conſtructo, D. Anna Maria cum cæteris duabus illud ingreſſæ; vaticinium S. Petri de Alcantara etiam ſanctitatis vitæ fama laudabiliter confirmarunt, ac publicarunt.

In

In Oppido Alcantaræ ſua patria, S. Petrus cum quibuſdam Nobilibus de quarumdam Virginum votis conferens, quæ ſe perfectionis ſtudio Religioni dicare optarant; ſi Monaſterij commoditas adfuiſſet. Quibus ille futuram aliquãdo talem occaſionem prædicens, in Monaſterio Diſcalceatarum ſui Inſtituti; eo, qui poſt mortem ſuam ſucceſſit euentu, rei veritatem ſtabiliuit.

Illuſtris quædam Plaſẽtiæ fœmina non virtutibus minùs, quàm ſanguine; poſt integerrimam multorum annorum conſcientiam, ſcrupulis vexari cœperat, quibus tollendis, nulla variorum Doctorum conſilia, aut remedia proficiebant. Scripſit itaque ad S. Petrum de Alcantara, vt quantociùs ad ſe tranſiret; quò animæ ſuæ opportuniùs ſuccurreret: Sed ille aliquandiù moram trahens, poſt aliquot dies inquietam valdè ac afflictam acceſſit. Vix ad ingreſſum eius mulier ſubſiſtere; ſed ſtatim ad pedes prouoluta, animi anxietates explicare incipiebat: At ipſe præueniens; *Filia* (inquit) *ſufficit, iam mihi integer conſcientiæ tuæ ſtatus notus eſt: Et quia ſatis infirma eſt cauſa trepidationis tuæ; ideò pro auxilio venire hactenùs diſtuli. Nunc verò tibi dico, quòd imposterùm nihil ampliùs tibi continget, nec ampliùs his moleſtijs turbaberis.* Ad quæ deuota mulier nõ magis attonita, quòd interna animi nemini manifeſtata cognouiſſet; quàm quòd apud ſeipsã altiſſimam tranquillitatem, ac ſerenitatem mentis ſentiebat, cui temporis tractus firmitatem afferret.

Nec minor S. Petri cum pluribus alijs, quæ ipſum conſulebant fiducia, atque certitudo: Ita vt Sanctæ Thereſiæ ad primum congreſſum animæ ſuæ moleſtias ex eo indicarit, quòd virorum doctorum contradictiones paſſa; neque à proprio ſuo Confeſſore ſpiritum eius capi poſſe declararet. Alijs inſuper Virginibus, quæ Inſtitutum eius amplexuræ erant, confidenter id prædiceret.

Eodem lumine intima conſcientiarum ſcrutari, & quæ alijs abſcondita erant, integrè perſpiciebat. Habitabat Plaſentiæ mulier, quæ apparenti virtute magnam ſanctitatis famam acquiſierat: De qua commonendo S. Petrus quaſdam filias

ſuas

Digitized by Google

ſuas ſpirituales, vt ab eius familiaritate abſtinerent; ipſæ valdè admiratæ cauſam à B. Viro diligentiùs inquiſiere, dùm ſe proficere magis tali conuerſatione prætendebant. Ad quod S.Petrus; *tandem ſpiritus iſtius mulieris ex Deo non eſt, quemadmodùm exitus monſtrabit*. Sic non multò poſt, illa in grauiſſimos errores lapſa, & fictæ virtutis fallaciam, & Sancti Viri veritatem manifeſtam reddidit.

Certius hoc donum Sanctæ Thereſiæ conſtabat; quæ vltra proprium experimentum ſæpiùs S.Petrũ de Alcantara ad aliorum ſpiritus examinandos inuitabat. Ex quò tantùm profeciſſe, vt multorum ſpiritus ſibi aliquantùm ſuſpectos, maiori claritate diſtingueret; ipſa in fundationum ſuarum libro diffusè ſcriptum reliquit.

De laudabili S.Petri de Alcantara Conuerſatione, quæ omnium ad eum venerationem trahebat. Cap. XVII.

QVàmuis Vir Sanctus asperè nimis ſeipſum tractaret, alijs tamen comem, facilemque ſe præſtabat; atteſtante Sancta Thereſia eum cùm magna ſanctitate mirabilem affabilitatem coniunxiſſe, nec verba niſi preſſum multiplicaſſe, eaque grata, & magno iudicio plena. Erant quippè ſine ambiguitate cuiuſque conſulentis neceſſitati cõuenientia, non ſuperflua, aut vana.

Nunquàm ſiniſtrè de quoquam iudicare, licet actiones integræ non forent; pro quibus excuſandi cauſas conquirebat. Affirmarunt ſocij toto vitæ decurſu eum de aliquo nunquàm conuicium dixiſſe; ſed potiùs mali quidquam ſuſpicari ignoraſſe: De Religionibus omnibus cum magna reuerẽtia loquebatur, tanquàm de cœleſtibus Hierarchijs. Et de his, à quibus in ſua Reformatione plurima paſſus fuerat, nunquàm querulì quidquam protuliſſe, auditus fuit, iudicans ſingulis bonum finem propoſitum eſſe; ideoque dicere conſueuerat: *Patres ignoſcite zelo meo, & ſi Deus ſic permiſerit, impedite illum*. Hinc nemo eo præſente, de quoquam perperam loqui auſus; aut præſumens, eius repræhenſionibus obmu-

obmuteſcebat: Talibus enim verbis obtrectationum, cor ſuũ velut acutis telis transfigi ſentiebat.

Quadã vice Comes Oropeſę ſermones miſcebat cum Beato Petro, exaggerando grauiter publicorum ſcelerum multitudinem, quibus diuina prouocabatur vindicta; & S. Petrus de Alcantara de remedio inſtanti cordatiùs reſpondit: *Facilè ego remedium inuenio, modò Dominatio veſtra, & ego tales ſimus, quales eſſe debemus; & tunc tantùm apud Deum valebimus, vt remedium tantorum malorum ab ipſo impetremus: Et quando hoc fuerit, ex parte noſtra Mundo prouiſum erit, aut minùs emendandum reſtabit.* Et certiſſimum eſt, quod ſi vnicuique hoc cordi foret, nullum efficaciùs remedium dari poſſe; ideòque malum omne ex eo prouenit, quòd nemo ſeipſum, alios vnuſquiſque emendare ſtudet; ſicque totus Mundus ſine remedio remanet.

Quando admonere aliquem volebat, tempus opportunũ captabat, cùm mentis turbatione tranſacta, locum lenioribus verbis ſerenitas dediſſet. Quotiès pro conſilio rerum temporalium plurimi Nobiles ad illum confluebant, ipſe ita colloquia dirigere; vt ſemper exindè fructum aliquem ſpiritualem colligeret, in ſuis deuotis æternarum rerum deſideria excitando: Sinceritatem adeò diligebat; vt quamcunque duplicitatem angue peius fugeret, affirmando neminem ad perfectionem peruenturum, qui illa vteretur. Sic quoque vana, aut ridicula velut Religioſis indecentia deteſtabatur.

Adeò pacis ac concordiæ amicus erat, vt indè ſibi Angeli pacis nomen acquiſierit; dum non familias modò integras, ſed & loca, ac Oppida ſuauitate ſua atque prudentia ſæpiùs componeret. Eandem in ſubditorum correctione obſeruare, ſeueritatem ſic manſuetudine contemperans; vt nullum corrigendo exaſperaret: A licitis recreationibus ſic abſtinebat, vt vultu hilari non alijs conuicium facere; ſed aliam conuerſationem auocari videretur, vbi eo frui poſſet, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum. Conuerſando autem cum alijs ea verborum ſuauitate vtebatur, vt atteſtã-

te

Digitized by Google

to Viro graui D. Hieronymo Loaiſa, multi ſe ideò ligati affirmarint; nè quicquam licet ſuæ voluntati repugnans, aut arduum, eius perſuaſionibus negare potuerint. Qui verò eius præſentia frui impediebantur, per literas ad eum recurrere; & cum occaſio ferebat, ſumma cum reuerentia eum conuenire operam dabant.

Ad hos tàm multiplicium virtutum ſplendores, omnium in eum veneratio conuertebatur; ita vt quàmuis in locis ſolitarijs atque remotis habitaret, tamen è longinquo Populi ad eum cateruatim confluerent: Ex quibus alij ab ipſo benedictionem petere, alij orationum ſuffragia, alij conſilia in negocijs difficillimis exquirere, alij gratias mirandas obtinere; omnes vt conſcientijs expurgatis melioris vitæ rationes diſcerent. Sæpiùs autem, etiam priuſquàm eius præſentiæ ſiſterentur ipſos parietes (vbi habitabat) proſternati venerabantur; tantam enim ſanctitatis eius opinionem conceperant: Vndè etiam cùm Vrbes, aut Oppida tranſiret; concurrebant vndique Ciues ad eius aſpectum; vt infirmos quoque ei benedicendos offerrent. Et cùm aliter eo frui non liceret, ad eius Miſſam frequentior, ac deuotior concurſus fiebat; qui poſteà eo recedente auctus, ſæpiùs loca ipſa ſine habitatoribus relinquebat, dum Seruum Dei longo ſpatio ſequi non faſtidirent: Nec id tantùm à vulgo S.Petro de Alcantara, ſed à Nobilioribus quoque, qui animarum ſuarum curam ei committentes, ideò frequentiùs eũ in Conuentibus interpellabant; aut cùm aliquando apud ipſos tranſiret, de recipiendo ipſo piè contendebant, quò colloquijs eius ac conuerſatione inſtructi, beneficia quoque gratiora reciperent. Plurimi Comites, ac Marchiones hoſpitio eum excipere æmulantes inuicem, proprijs illi manibus inſeruire in pretio habebant: Alij Conuentus pro ipſo è fundamentis conſtruere, aut prope eos Palatia conducere; vt commodiùs eius familiaritate vti, & conſilijs ac doctrina in ſpiritus, ac morum via dirigi poſſent.

Inter eos, qui diligentiùs S. Petrum de Alcantara conueniebant, Comes de Oropeſa, de Nieba, & Torrejon interdum integras ſeptimanas apud ipſum commorabantur: Et

cum

cùm aliter frui eius pręſentia non poterant; audiendo eius Miſſam, eumque in Choro, alijſque Communitatis actibus publicis conſpicere, pro magna conſolatione ducebant. Commoti ſanctitatis eius ſama D. Ferdinandus Henriquez, Patruus Architalaſſi Caſtellæ, & alter Illuſtris Vir D. Didacus Suarez, Madrito Pedroſum venerunt; vt Viri Dei monitis cœleſtibus erudirentur, & ſi permiſſum foret, cum ipſo cohabitarent. Cùm id fieri S. Petrus de Alcantara non permiſiſſet, prope locum habitationem conducere, quotidiè ad Conuentum accedere, ac B. Patris oracula tanquàm Angelica excipere, ſumma diligentia operam dederunt. Ipſe Comes de Oropeſa eodem tempore, quo Conuentus Roſarij conſtruebatur, Palatium vicinum in quadam poſſeſſione ædificari curauit; vbi aliqua anni parte commorando, per plures dies in Conuentu vitam viuebat cum S. Petro de Alcantara religioſam, omnibus Communitatis exercitijs aſſiſtens: Horum exemplo Illuſtres quoque Dominæ aut S. Petri præſentiam adibant, aut per literas de rebus grauioribus conſultabant; aut ſecundum earumdem neceſſitates precibus importunis ad ſe vocabant. Ex quo ipſe hos tantùm fructus trahebat; vt multis ſpiritualis vitæ amplexum, plurimis ornatus vani contemptum perſuaderet.

Nullùm penè negocium occurrebat, aut pro litibus inter Ciuitates, ac familias componendis ſuſceptum; cui S. Commiſſarius authoritatem ſuam interponere, rogatus non eſſet: Idque tam fœlici ſucceſſu ab ipſo perfici conſueuit; vt partes rationibus, ac reuerentia eius perſuaſi cedere ſæpiſſimè illi, quod magnæ præſtantiæ Viris negare, non ſine magna admiratione viſi fuerint. Hinc à multis Ciuitatibus etiam remotioribus vocatus, Plaſentia, Toleto, Ciuitate Roderici, alijſque omnibus tanquàm Apoſtolus è Cœlo miſſus, gratus habebatur, ac deſideratus.

Continuatur eadem materia in Magnatum exemplis.
Cap. XVIII.

APud Reges verò in magna præcipuè exiſtimatione habebatur S.Petrus de Alcantara, ita quòd ab ipſo Imperatore Carolo V. ſæpiùs euocaretur: Cum quo poſtquàm varia negocia contuliſſet, talem ſui opinionem impreſſit; vt aliquando ad ſuos Imperator diceret: *Certè hic Religioſus non eſt homo ex hoc Mundo; ſemper enim abſorptus ſpiritu cum Deo, ac ſpiritibus beatis in Cælo conuerſatur.* Sæpè à Rege Portugalliæ, Vlyſſiponam inuitatus, in Palatio habitare cogebatur; vndè Principes D.Maria, & D.Ludouicus tanto doctrinæ eius amore capiebantur; vt niſi ipſo B.Viro impediente, tunc vitam humilem eius Inſtituti ſpontè amplexati fuiſſent.

Nec minori veneratione Seruum Dei D.Iſabella Infans Portugalliæ proſequebatur, cùm frequenter eum ad ſe vocare ſolebat; vt tam animæ ſuæ, quàm ſtatus rationem redderet: Maximè verò poſt obitum mariti D.Eduardi filij Regis Emanuelis, quem mors in flore ætatis annorũ 25. importunè oppreſſerat. Tunc præcipuè opem eius implorare, multa ei donaria pro Eccleſiæ cultu, ac pro Fratrum veſtitu pannum tranſmittere: Sic quòd eius beneficijs obſtrictus S.Petrus de Alcantara, magna fiducia de Prouinciarum ſuarum ſtatu ſubindè ſcribere ad eandem non dubitaret. Exemplum cuiuſdam epiſtolæ hoc eſt.

IESVS.

PAx Chriſti habitet in anima Celſitudinis Veſtræ. Quàmuis abſens ſum ex illo Regno, quia talem fuiſſe voluntatem Dei exiſtimo, propter optimum rerum ſucceſſum iſtius Sanctæ Cuſtodiæ, ad quam cum Fratre Ioanne ab Aquila fœliciùs acceſſeram: Nunc verò intelligo ſic ab eodem res proſperè dirigi, vt mihi videatur perfectionis apicem attigiſſe, & Deum ſpecialiſſimam huius

ius Cuſtodiæ curam gerere, tanquàm de particulari quadam ſua hæreditate; dum viuendi huius ratio tàm ſit pacifica, atque in tam exiguo numero tot habeat ſuos Seruos: At meum reditum ad has partes, ſpero eidem Domino noſtro acceptum fore; eò quòd ab ipſo cuncta dirigantur, & tam clarè hæc demonſtret, vt vltra dicere quicquam nequeam. Noſtra Prouincia in multis melior facta eſt, quàm vnquàm fuit, vndè Deum glorificare poſſum: Idque Celſitudini veſtræ dico; eò quòd norim eius zelum pro Dei gloria maximè optare, vt in his ſuis Prouincijs Pietatis, ac Sancti Gabrielis, & Cuſtodia Arabida ſummoperè augeatur: Et ad hanc ego ſingulari affectu trahor; quia ſcio quid in illa boni ſit, & propter magnam pietatem Principum iſtius Regni Portugalliæ, quam inter illos in Celſitudine veſtra Deus ſingulariter eminere facit, & quam à ſuis Progenitoribus traxit. Ita vt optima indole dotata eam iuuet bonis ſuis operationibus, ac animi quiete, qua ſe Regnorum temporalium curis ſubtraxit; Hoc ſentio ſemper, & dico vbicunque; quemadmodùm & omnes, qui Celſitudinem veſtram aut viderunt, aut audierunt. Et propterea ſpero, quòd vnica illa cura filiorum, quæ Celſitudini Veſtræ remanet, à Deo ſubleuanda erit; quemadmodùm ego diuinam eius Benignitatem inceſſanter precor: Et vt principale remedium D. Mariæ videat Celſitudo veſtra, priuſquàm eam Dominus ad cæleſtia Regna euocet. Amen. Harum lator fidelis eſt perſona, ſi placuerit Celſitudini Veſtræ reſcribere.

Celſitudinis Veſtræ

Capellanus & Orator indignus
Fr. Petrus de Alcantara.

Ad Aulam quoque Madritenſem Sancto Viro pertranſire neceſſum fuit, dum à Principiſſa Ioanna Sorore Magni Imperatoris Caroli V. vocatus, ſingulari reuerentiæ obſequio ab eadem habitus fuit: Eodem quoque à varijs Religioſis diuerſorum Ordinum, qui in grauiſſimis conſultationibus eius ſententiæ ſummo cum reſpectu acquieſcebāt.

Quòd in propria eius Religione non adeò mirum videbatur, cum quotidiè Reformationis eius difficultates cœleſti fauore, ac ſingulari conſtantia ſuperatas, incrementa maiora capere experiebantur: Apud Prælatos inſigniores totius Hiſpaniæ adeò gratus habebatur; vt ſæpiùs ab eis inuitatus tàm animarum conuerſiones, quàm multorum abuſuum emendationes lubens pro Dei gloria ſuſciperet. Maximè autem illum affligebant honores atque obſequia, quæ prædicti Prælati ei deferebant, præſertim Epiſcopi Auilæ, Plaſentiæ, Pacis Iuliæ; quos tamen omnes ſuperabat affectu, ac veneratione Epiſcopus Caurienſis D. Didacus Henriquez, de quo infra latiùs memoriam faciemus.

Tandem omnes, qui illo tempore aliqua ſanctitatis fama clari habebantur, pro vt maiori lumine cœleſti pollebant; tantò diligentiùs ſe Sancti Viri orationibus commendabant, virtuteſque eius ſingulares in pretio habebant. Inter hos P. Ludouicus à Granata, tunc pietatis ac literarum ſcientia percelebris, varias ad Dei Seruum epiſtolas ſcripſit; magnæ ſuæ exiſtimationis teſtes ſingulares, præter frequentia commercia, quibus vtriuſque animos coaluiſſe, iudicari rectiùs poſſet. Idem Magiſter Ioannes de Auila, Vir non vulgaris ſanctitatis; nihil magis cordi habebat, quàm S. Petrum de Alcantara honorare, atque eius familiaritate vti: Ex cuius doctrinæ quoque admiratione captus non laudes modò eius diuulgare; ſed & opera eius in notabilioribus quibuſdam negocijs vti ſtudebat, ſicut alibi dictum fuit.

Singulari affectu S. Petrus de Alcantara Patres Societatis colebat ob communem animarum zelum, quò Fidei propagationi indefeſſam operam impendunt. Præ cæteris verò huius Religionis conſpicuis Viris (quibus familiariter vtebatur) vt P. Ludouico de Ponte, P. Chriſtophoro Cobos, P. Ioanne à Monte Maiore viris illuminatis, qui Seruo Dei per multos annos ſingulari familiaritate coutebantur, eiuſq; poſteà defuncti rarã pœnitẽtiã & contẽplationẽ vbiq; laudarunt; arctiſſima illi cũ B. Franciſco Borgia neceſſitudo inter-

intercedebat:Hanc ne longiori narratione exprimere moleſtum ſit, ex cuiuſdam epiſtolæ contextu colligere expeditiùs videbitur. Deſtinatus fuerat hic Beatus Anno 1557. ob eminentem ſanctitatis, ac prudentiæ laudem à Magno Imperatore Carolo V. ad ſororem Portugalliæ Reginam Catharinam; vt negocia magni ponderis pertractaret: Hinc quò amoris, ac exiſtimationis erga S. Petrum de Alcantara pignus relinqueret, talem ei epiſtolam ex itinere ſcripſiſſe inuenimus.

Admodùm Reuerende Pater in Chriſto.

GRatia D.N.Ieſu Chriſti ſit nobiſcum ſemper. Amen. Nouit Deus quantam conſolationẽ ex literis,alijſque rebus Reuerentiæ veſtræ anima mea capiat:libẽter ad paruũ illum Conuentũ veſtrum accederẽ,& pro Paradiſo haberẽ in terra,niſi quia audiui Deũ ad ſe vocaſſe optimum Epiſcopũ Pacis Iuliæ;ideòque illàc iter dirigendum non erit, ſed rectà Eboram, atque in Luſitania exiſtens, curam (quam oportet) de rebus Reuerentiæ Veſtræ habebo; ſicut & in Deo confido nos inuicem in reditu meo viſuros, atque confidenter de omnibus collaturos. Audiui quoque quòd P. Magiſter Zapata valdè ab eodem bonæ memoriæ Epiſcopo amatus fuerit: Ora pro me Pater mi; vt communicet Dominus mihi Spiritum Sãctum. Ex Xaradilla vigeſima-ſecunda Auguſti, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo. Quocunque modo aliter ſcripſerim, curabo tamen de via inſtrui; vt (ſi poſſim) illàc tranſeam, quàmuis aliquantulùm declinem: Dominus cuncta dirigat. Et ſi extra viam fuerit,erit quod ſuperiùs dixi; atque iterùm peto, vt Reuerentia veſtra oret pro me.

Suus Seruus in Domino
Franciſcus Borgia.

Huius promiſſi fidem B. Franciſcus exoluit quamprimùm ex Portugallia reuerſus, Pedroſum acceſſit: Hic aliquot dies cum S. Petro de Alcantara in deuotis conferentijs,cum

Reli-

Religioſis cæteris in Communitatis frequentatione, cum Deo in varijs ſpiritualibus conſolationibus tranſigere, quouſque muneris obligatio B. Patrem à tàm cœleſti habitatione, ac ſocietate plenum ſtuporis, atque ad propria auocaret.

De huius quoque Patre ſpirituali, nēpè venerabili Seruo Dei Ioanne de Texeda Ord. Sancti Franciſci, narratur; quòd cū ardenti flagraret deſiderio conferendi cum S. Petro de Alcantara, quem locorum diſtantia abſentem longè faciebat; Aliquando à Deo id conceſſum fuit; vt vterque ſe in ſpiritu videret, ex quo inſignis ille Pater ſummam animæ ſuæ conſolationem caperet.

At ſuper omnia teſtimonia, vnum nobis præclaræ venerationis eius indicium ſufficiat ex Sancta Thereſia in manſione 4. cap. 3. quæ ſic alicubi inter cætera à nobis notata de S. Petro loquitur: *Quidam mihi citauit librum Sancti Fr. Petri de Alcantara, quem pro Sancto habeo, cuius me iudicio reddidiſſem; quia ſciebam illum hoc ſcire: Sed poſtquàm legiſſem, inueni quòd idem quod ego, diceret; licet alijs verbis.* Et alibi: *Multas alias res dicerem, ni timerem à Dominatione veſtra corripi; quarè hoc facio &c. In principio videbam, quòd me intelligeret per experientiam, quod mihi tunc maximè neceſſarium erat &c.* Sic itaque quotiès de S. Petro de Alcantara in ſcriptis ſuis mentionem facit; ſemper titulo Sancti ipſum honorat, & ſummis encomijs virtutem eius celebrat.

De quibuſdam S. Petri de Alcantara pœnitentibus virtute conſpicuis. Cap. XIX.

NEc virtutis huius S. Petri exiſtimatio ſolùm in ea reuerentia conſiſtebat, quam mundani etiam quique Seruis Dei vt plurimùm deferre non recuſant; ſed magis in altiſſimo quodam illorum conceptu, qui eius vitam penitiùs introſpicere, atque cœleſti doctrina, in via ſalutis proficere aſſueuerant. Quorum hic nobis aliqua memoria facienda occurrit.

Pri-

Primum inter omnes locum meretur Epiſcopus Caurienſis D. Didacus Enriquez de Almanſa. Qui quamprimùm de virtutibus S. Petri de Alcantara notitiam habuit, eius affectu captus, inſtanter perſuadebat; vt in ſua Ciuitate eius Inſtituti Conuentum fundari permitteret: Quod cum negatum ſibi fuiſſet, omni alio modo eius præſentiam procurauit; vt cum ipſo animæ ſuæ ſtatum, ac pietatis conſilia cōferre frequentiùs poſſet. Itaq; cùm aliquādo S. Petrus Caurium veniſſet, ex occaſione fabricæ Conuentus Altamiræ; prædictus Epiſcopus, relictis pro tempore ſecularibus curis, Conuentum Fratrum accedebat; vt ibidem omni religioſo conuictu infimos etiam, immò & ipſum S. Petrum de Alcantara æmularetur: Sicque magna abſtinentia, atque cæterorum exercitiorum rigore ſemetipſum affligens, S. Petrum prouocabat; vt ſuo feruori propter complexionis teneritudinem, fræna inijceret. Spiritualibus tamen conferentijs tantùm proficiebat, vt ab ijſdem, vix etiam propter vrgentiſſima negocia, auelli poſſet; quin ad eadem excurrens breuì ad Conuentum reuertebatur, vt animum ſuaui conuerſatione ſui admirandi Magiſtri expleret, deuotorumque Religioſorum imitatione perficeret: Creuit in hoc perfectionis ſtudio tantùm deuotus Epiſcopus, vt relicta paſtorali dignitate libenter ad religioſam ſolitudinem, & humilem viuendi vitam tranſijſſet; niſi efficacibus S. Petri de Alcantara perſuaſionibus pro maiori Dei gloria, & animarum lucro in ſuo munere vitam virtutibus inſignem religioſa pietate continuare inductus fuiſſet. Poſteà tamen frequenter ad ſe S. Petrum aduocabat, omniſque generis officia, tanquàm Angelico Viro deuotè præſtando, ſumma diligentia operam nauabat; vt tùm orationis eius aſſiduitatem, tùm abſtinentiæ rigorem (quàm exactè poſſet) imitando exprimeret. Hinc quoque maiorem redditumn partem in eleemoſynas pauperum erogando, ſuo decori atque ſuſtentationi moderatas impenſas præſcripſit. Gregi ſuo viſitando, atque conſolando indefeſſam ſollicitudinem adhibuit; ſuo proprio exemplo, totiuſquè familiæ modeſtia quamplurimos ad melioris

vitæ amplexum, deuotioniſque exercitia adduxit, in Eccleſiaſtica diſciplina conſeruanda vigilantiſſimus. Tandem ad Concilium Prouinciale Salmãticæ celebratum Anno 1565. inuitatus, omnibus illis Epiſcopis cum ſummo honore gratus, zeli ac virtutis ſuæ fidem fecit præclaram; ibique morte præuentus, venerationis ſuæ laudabilem memoriam reliquit.

Huius Epiſcopi exemplo eius frater Comes de Nieba, ſumma veneratione S. Petrum de Alcantara proſecutus; prope eius Conuentum habitare, ſæpiùſque Seruum Dei inuiſere, atque eius ſpirituali directione pro animæ ſuæ ſalute ad pietatis opera excitari non deſiſtebat. Vndè cùm Religionis ingrediendi propoſitum B. Petrus diuertiſſet, Comes in familiæ ſuæ compoſitione omnem attentionem conuertit; ita vt religioſæ vitæ normam extra Clauſtra obſeruaret: Eandem ad propinquiores ſuos fœliciùs traduxit, cùm filium quotidiana Sancti Viri inſtructione educaret; & aliũ conſanguineum ſuum D. Ludouicum Enriquez annis, opibuſque florentem ad deuotæ, & ſolitariæ vitæ culturã promptiùs inuitaret. Hic S. Petro de Alcantara diligentiùs adhærere, neque cùm Caurium veniſſet, etiam pedeſter deſerere; vt ſanctis eius colloquijs liberiùs frueretur: Hinc dignus quoque fuit, qui multorum mirabilium, quæ S. Commiſſario ſupernè contigerant, ſpectator atque teſtis haberetur; tùm in raptibus, tùm in vaticinijs, quorum omnium poſt eius mortem, fidelem narrationem fecit. In hac ſpiritualis vitæ tranquillitate, deuotus Dominus in quadam ſua Villa viuendi curſum magna cum virtutis opinione terminauit.

Non inferior pietate fuit D. Ioannes de Albarado, qui priùs ſorori ſuæ D. Iſabellæ, filiæ ſpirituali S. Petri; contrarius, poſteà virtutis eiuſdem æmulator ſtrenuiſſimus factus fuit hoc modo. Quadam die accedens ad audiendum Seruum Dei prædicantem, talem ſui ipſius cognitionem accepit; vt vanitatibus ſeculi renunciare, atque (ni obſtitiſſet S. Petrus) Religionem ingredi paratus fuiſſet: Sed poſtquàm confeſſionibus eiuſdem, ac conſilijs aſſuetus: cuncta pretioſora

ſora vendidiſſet, vt in pauperes erogaret; Sacerdos factus vitam adeò religioſam ſuſcepit, vt veſtitu vili, ieiunijs frequentioribus, cubili duriſſimo contentus præclarum ſuæ virtutis odorem omnibus præberet; In viſitando Noſocomia, infirmorumque cura aſſiduus, aliquam diei partem in texendis ſportis vimineis (quas pauperibus diſtribueret) exercitijs impendebat: Ita vt adeò laudabiliter annos triginta octo vitam tranſigens, miraculis etiam quibuſdam condecorari meruerit. Eius corpus poſt aliquot annos incorruptum vnà cum illo ſororis inuentum fuit; quæ pietatis ſtudio pariter enituit: Hæc enim tunica rudi induta, linum non admittebat, domo nunquàm (niſi ad Sacrum, aut Confeſſiones) egrediebatur; carnes nunquàm guſtabat, orationibus ſemper intenta, diuerſos à Deo fauores experiri meruit.

Eiuſdem Sancti Viri conſilijs magnos in pietate progreſſus fecit Portugalliæ Sereniſſimus Infans D. Ludouicus, Regis Emanuelis filius. Qui ex ſpiritualibus colloquijs S. Petri de Alcantara, cum ſorore ſua habitis, tantùm vitæ perfectioris deſiderium concepit; vt eum ſibi conſcientiæ ducem, ac morum Magiſtrum eligens, imitari quoque viuendi auſteritate ſatageret: Cùm verò id in ſtatu religioſo exequi validiſſimè impeditus fuiſſet, quò in ſeculo magis ſubditorum ſaluti exemplo prodeſſet; Saluaterram ſeceſſit permittente Rege, vt liberiùs ſpiritualibus exercitijs feruorem ſpiritus accenderet. Hic illuſtris Princeps Conuentum fabricari curauit duodecim Fratrum capacem, in quorum ſocietate, ac ſi votum emiſiſſet, in oratione, ieiunijs, cæteraque religioſa diſciplina omnes exemplo præiuit; plurimos ad æmulationem prouocauit. Acceſſit aliquando ad hunc Conuentum S. Petrus de Alcantara, vt ex parte Principis rigores moderaretur; huius conſilijs tanquàm oraculis in propoſitò confirmatus, extra religioſum ſtatum eum viuendi tenorem proſequebatur, quem Magiſtri imitatio, atque doctrina; obedientia inſuper Superioris localis Conuentus rigoroſiùs ſuggerebat. In paupertate religioſa imitanda, ſuperflua corporis, aut pompoſam ſupellectilem, & his ſimilia

milia recuſabat: Puritatem verò mentis, ſtrictiori cuſtodia ſenſuum præmuniebat, & eiuſdem affectione nullum aliquo contrario vitio maculatum, ad ſuum ſeruitium admittebat; ſicque innocenter viuens, ſancto fine in Domino quieuit.

De quibuſdam fœminis pietate præclaris S. Petri de Alcantara Diſcipulis. Cap. XX.

Harum aliquot ſanctitate illuſtriores, ſingularē ſibi hoc loco memoriam vendicant. In Ciuitate Beluis quædam Nobilis fœmina luxui maximè intra honeſtatis limites addicta, ad S. Petri de Alcantara famam commota, eum adire in Conuentu cum alia ſua Conſanguinea propoſuit; vt Seruum Dei ſuper negocio quodam nuptiarum ſibi tunc oblatarum conſuleret. Vbi verò Seruum Dei adeò macie extenuatum conſpexit, pudore quodam ſuffuſa, & peplum faciei obducens, ad priuatum colloquium (pro quo acceſſerat) reuerentiùs inuitauit: S. Petrus Deo negocium precibus commendandum in ſe ſuſcepit; quò ab eo illuminari mereretur, quid pro Dei gloria, animæque ſuæ ſalute magis expediret. Hinc ſermonem ad puritatis pretia conuertens, quibus à Chriſto animæ deſponſantur; vtrique Virgini, vt Monaſterium ingrederentur, aptiſſimè ſuaſit: Senſit ſe Nobilis fœmina talibus rationibus ita compungi; vt (poſtquàm ſe in Confeſſione de ſecretis conſcientię maculis apud Deum purgarat) conſilijs S. Petri ad nouæ vitæ ſtudium (cũctis admirantibus ſtupendam mutationem) ſummis animæ viribus priuatim aliquandiù, mox etiam ingreſſa Monaſterium Sancti Ioannis de Pœnitentia integrè applicarit. Eius exemplum ac feruorem æmulata Conſobrina Beato Patre inſtigante; quàmuis annis tenella, eodem ſe Monaſterio incluſit; quò maturior, Religionem aliquando profiteretur: Sic itaque ambæ Viri Dei monitis ad perfectionis curſum animatæ, prior ſingulari virtutis exemplo enituit; dum continuis eiuſdem doctrinis fouebatur. Fuit hæc Serua Dei Maria à Ieſu, quæ propter inſignem pietatis famam, diſci-

pula S. Fr. Petri de Alcantara nuncupata, multa eius mirabilia poſt mortem publicauit; prædicendo eum aliquando publicæ venerationi, Sancti titulo proponendum fore; Perſeuerauit ipſa quàmplurimis annis in prædicto Monaſterio ſingulari pœnitentiæ, atque deuotionis tenore; vſque quò naturæ debito ſoluto, quibuſdam miraculis corruſcaret, ita vt campanæ quoque proprio motu pulſatæ, totam Ciuitatem ad eius exequias conuocarent.

Inter cæteras etiam nobiles fœminas, quæ in Conuentu de Beluis S. Petrum de Alcantara frequentabant, ſingularis quædam Religioſorum benefatrix filiam habebat nomine Maldonatam, in pietatis exercitijs optimè inſtructam. Hæc ſæpè de rebus ſpiritus Seruum Dei conſulendo, quadam vice de amore Dei talia diſſerentem audiuit; vt quaſi telo quodam transfixa eidem acquirendo, totam mentis aciem applicaret: Vndè continua oratione exardeſcens, plurimis cœleſtibus fauoribus illuſtrata, Magiſtri diſciplinam, in humilitatis Schola nunquàm refugiebat; ſed diuinæ voluntati totam ſe permittens, tales extaſes habere viſa fuit; vt multis illuſionis ſuſpicionem inijceret, & ſuggillandi S. Petrum, occaſionem daret quaſi Adoleſcentulam in paterna domo tenerè educatam talibus diabolicis fallacijs decipi permitteret. Quibus opinionibus detergendis, atque optimæ famæ eiuſdem Adoleſcentulæ, quam ſparſerat S. Petrus de Alcantara confirmandæ; placuit Deo eam ſequenti ſucceſſu illuſtrare: Aſſiſtebat illa deuotiſſimè Sacro cuidam, quod ad Altare Crucifixi in Eccleſia Parochiali celebrabatur; vbi contemplationi Dominicæ Paſſionis immerſa, affectus teneritudine in diffuſum planctum prorupit, mox quaſdam voces ſibi interiùs reſonantes audiuit, quibus in Altiſſimam extaſin rapta, omnibus ſingularem admirationem cũ reuerentia ingeſſit; his præcipuè quibus voces illas audire, à Crucifixo conceſſum fuit. Hæc ad B. Patrem perlata, induxerunt; vt famulam Chriſti multas contradictiones paſſuram admoneret, atque ad eas patienter tolerandas animaret Sanctorum exemplis, quorum in aduerſis conſtantia

maximè probari ſolet: Animo itaque in Dei ſeruitio, ac ſpiritus deuotione firmata, quàmuis ex primis Ciuitatis eſſet, cum vilioribus tamen conuerſari non abnuebat, quò alios eleemoſinis ſubleuaret, alios doctrina inſtrueret, alios infirmitate oppreſſos curaret; omnes denique monitis, ac exemplis ad pietatis cultum efficaciùs alliceret. Tandem magna ſanctitatis fama iuclareſcens, poſt varias prædictiones à Deo ſibi reuelatas, ſanctè obdormiuit in Domino.

Venerabilis Soror Anna Maria Plaſentiæ oriunda, à primis annis Diſcipula fieri meruit S.Petri de Alcantara,ea occaſione; qua ipſe in domo Patris ſui hoſpitio aliquotiès receptus, aliquando eiuſdem precibus ſanitatem recuperauit. Quæſierat ipſa quadã vice quare oculis ſemper clauſis incederet Sanctus,quaſi cæcus eſſet.Ad quod ille; *Filia,qui Deum intùs in animâ ſub gerit, oculos habere non debet, vt terrena alia reſpiciat.* Quo reſponſo adeò Virgo in Dei amorem accenſa fuit, vt impoſterùm Deo ſoli cor ſuum offerre, mundana quæque deſpicere; ac tandem ad cari Magiſtri nutum Religionem ingredi proponeret: Diſtulit tamen effectum, dum iuxta Diui noſtri monitum, Monaſterium primi Inſtituti Sanctæ Claræ in eadem Ciuitate extructum fuit. Ibi poſteà tanta pietatis, ac pœnitentiæ aſperitate emicuit, vt exquirentibus alijs Sororibus tam mirandæ auſteritatis motiua, ipſa reſpondere ſoleret ſe Magiſtri ſui veſtigia ſequentem, ad tormentorum eius rigorem, nec à longè quidem accedere poſſe: In orationis exercitio plurimis à Deo viſitationibus illuſtrata fuit; octuageſimum annum attingens, ac morti propinqua, meruit à Domino circumdato ſplendidiſſima luce viſitari, qui ei quoque promiſit breuì ſe in Cœlo viſuram; & quod S. Petrus, morti eius aſſiſtens animam in Cœlum comitari permitteretur. Exultabunda ſuper his deuota Religioſa, alteri ſuæ Sorori intimæ lætum monitum communicauit; expectandoque aduentum S. Petri de Alcãtara Chorum Virginum ad ſe venientem conſpexit, quarum conuerſatione Paradiſi delicias prægustare videbatur, priuſquàm exiret è vita: Quærebat interim amica illa, an inter

iſtas

Digitized by Google

iſtas S. Fr. Petrus aduenisſet; cui nondùm tempus eſſe reſpondens, aliquantùm poſt (cum agoni propinquior fieret) Seruum Dei mirabiliter reſplendentem adeſſe agnouit. In huius ſocietate cum cæteris animabus beatis, amoris potiùs reſolutione, quàm animæ dolore ad ſuperna fœliciter euolare viſa fuit: Corpus à Religioſis eius Monaſterij honorificè cuſtoditum, ſingulari veneratione memoriam eius commendat.

Ex his itaque paucis cæterarum, quas S. Petrus de Alcantara erudijt, animarum integritas ac perfectio iudicari poteſt; quàmuis in priuatis domibus actiuæ vitæ attenderent: Ita vt non minùs, quàm glorioſus eius Pater Franciſcus, qui Pœnitentum Ordinem ſecularibus inſtituit; S. Petrus eodem zelo plurimos diuerſæ conditionis ad vitæ ſpiritualis ſtudium adduxerit, qui ſuo exemplo, totius Hiſpaniæ Ciuitates virtutum exercitijs implerent. Sicque S. Petrus de Alcantara omnium ora, ac animos deuota veneratione percurrens; celebrari etiam à plurimis Scriptoribus obtinuit.

LIBER QVINTVS

De extrema S. Petri de Alcantara infirmitatate vſque ad corporis eius translationem.

Viſitat vltima vice Conuentus Pedroſi, Roſarij, ac Vicioſæ. Cap. I.

ANtequàm vita egredi S. Petrum contigiſſet, Conuentus, ac Fratres ſuos paterna ſollicitudine inuiſere deſtinauit; vt Obſeruantiæ rigorem, ac Charitatis feruorem confirmando accenderet. Diſcedens itaque Auila (vt in fine tertij libri narrauimus) & nouis acceſſibus dolorum grauatus, poſt difficilem viam acceſſit Pedroſum, primam ſuæ reformatæ familiæ plantam: Hìc indicibili conſolatione propter anteactæ vitæ memoriam, atque cœleſtium fauorum largitionem repletus; quadam die coram deuota imagine (quæ hìc ſeruatur) gratias eidem Deiparæ referendo in ſtupendam extaſim rapiebatur. Ita quòd defixis in eandem imaginem oculis, corpus in aere, anima in ſuperis detineri, omnes iudicare poſſent: Nec per paucos illos dies, quibus hìc morabatur, ante actorum temporum fauores à Deo conceſſorum, ſine lachrymis copioſiſſimis, recogitare poterat, vt omnibus apparebat; vltra quas profunda ſuſpiria continuò edens, cordis affectus externis indicijs prodebat.

Memoria digna videntur aliquot documenta, quæ in hac occaſione Religioſis ſuis diligentiùs relinquebat, ſic dicere ſolitus: *Quamdiù vos debito verorum filiorum reſpondebitis, viuendo in ſanctitate morum; Dominus benigniſſimus vobis, tanquàm verus Pater, propitius erit: Cauſa verò, quare in Monaſterio neceſſitates corporales deficiunt, ex eo prouenit; quia in illis negligenter Deo ſeruitur. Quas miſericordias ex-*

perti

perti non eſtis vos in extremis veſtris neceſſitatibus? Hic idem Conuentus fidem hanc vobis faciet, per tot mirabiles ſubuentiones, quas in extremis de Cælo expertus fuit; quemadmodùm & cæteri Conuentus noua huius Prouinciæ, vbi Dominus ſæpiùs Religioſos noſtros fratres cæleſti pane paſcere dignatus fuit. Ponite itaque filij, & Deum omnem fiduciam veſtram; ab ipſo etenim erit omne veſtrum remedium, cura habere: Vſque enim hodiernum diem nunquàm derelictus fuit quiſquam, qui in eo, ſpem ſuam firmiter collocauit. His tam affectuoſis monitis amorem Patris concipientes filij, extremam hanc eius viſitationem eſſe ſuſpicabantur. Indèque lachrymis eum ad portam vſque proſequuti, nè à cæterorum Conuentuum ſpirituali conſolatione diutiùs detinerent, accepta benedictione receſſerunt.

Hinc B. Pater ad Conuentum Roſarij, iumento quodam vectus pergebat. At vbi eum adeò extenuatum conſpexere Religioſi, extremum vitæ imminere iudicarunt: Ideòque lautiùs ſolito curare ſolliciti, nequaquàm obtinere poterant; vt à ſolito ſuo rigore viuendi remitteret. Exemplo enim huiuſmodi inſinuabat, qua ratione vſque ad mortem, corpus ſuum tractare fratres ſui deberent: Sicque paucis ibidem diebus in Fratrum viſitatione conſumptis; ille horum viuendi auſteritate conſolatus; hi orationum eius ſuffragio confiſi, ab inuicem ſeparari ægrè potuerunt.

Perrexit tandem Vicioſam, vbi pluſculos dies commorari contigit, dum illuc varij iuuenes ad famam ſanctitatis loci conueniſſent; vt admitti ad habitus ſuſceptionem impetrarent: Horum itaque ſpiritu probato ad Inſtitutum admiſit, & cum quibuſdam prouectioribus virtute, atque ætatè ad excolendos alios Conuentus diſtribuit; vt vbique & pietatis Magiſtri, & laborum ſocij in promptu haberentur. Recreabatur valdè Vir Sanctus ſtudijs orationis, & interioris mortificationis, quibus attentos Conuentus huius incolas ſeriò videbat, eoſquè ſuo exemplo ad maiora animabat: Sæpè enim videbatur in eremitorio (quod à

Bet-

Betlhe-hem nuncupabant) ſolitarius, multas horas in contemplatione Dei etiam in aere ſubleuatus perſeuerare; aut lachrymis, & ſuſpirijs diuinam Maieſtatem, ſanctiſſimamque eius Matrem exorare. Interdum montem propinquum aſcendebat, amoris feruore magis, quàm virium vigore ſuffultus; ibique longiori oratione, ac contemplatione cum Deo communicans, omnes creaturas alias ad laudem Conditoris ardenter inuitabat, taleſque voces ſubindè edebat, quæ audientium corda, in diuinos affectus mirificè attraherent.

Infirmatur in Conuentu Viciosæ. Cap. II.

INter alias conſolationes, quas in ſuperiori loco recepit S.Petrus de Alcantara non inferior erat, quam per literas Cuſtodis Galitiæ P.Michaelis à Catena, & Cuſtodis Valentiæ P.Alphonſi de Lerena ſenſit; dum iſtorum Conuentuum religioſum ſtatum cum his (quos ipſe viſitarat) perfectione certare intellexit: Nam de nouorum Conuentuum fundatione, pietatis quoque, ac ſanctæ paupertatis augmento inſtructus; videbatur Vir Dei dolorum (quos patiebatur) vim, huius nouitatis conſolatione ſubleuare. Lachrymæ enim, cæteraque indicia, quæ à Religioſis obſeruabantur; internam mentis lætitiam indicabant, quam ſubindè externa etiam ad Fratres exhortatio, vt Deo gratias referrent, & pro futuro Reformationis progreſſu ſpem haberent; omnium animos ad deuoti Patris ſolatium erigebat.

Hinc ad Superiorum literas tanto affectu reſpondit; vt omnes ad perfectionis ſtudium, nouo quaſi ſpiritu inflammaret: Vltra quod filios ſuos iam morti propinquus, cùm præſens non poſſet, literis tamen viſitare, atque amplecti non negligeret. Augebat hæc omnia nuncius Sanctæ Thereſiæ, de poſſeſſione ſuæ fundationis adita die Sancti Bartholomæi; vt cum S.Petro de Alcantara conuentum fuit. Et quòd quatuor illæ Virgines ab ipſo eruditæ, habitum

Reli-

Religionis, ac noui Inſtituti ſuſcepiſſent; ſumma iucunditate B. Patris animum afficiebant tam fœlici rerum ſucceſſu.

Cùm itaque animo cuncta præſentis vitæ reuolueret, nec ſibi ſupereſſe quicquam deſiderandum, niſi diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ſeriò penſaret; ſæpè à Religioſis ſuſpirando in has voces erumpere auditus fuit: *Principium amabile, & omnis ſufficientia mea, quando me accipies; vt totum in te immergas, & transferas, vt nunquàm ampliùs peream? Quando ſubmotis omnibus impedimentis, me facies tuo Spiritui coniunctum; vt à te nunquàm poſſim diuelli.* Et quia ſciebat breuì ſe à Domino exauditum iri procurabat paucis illis diebus vitæ (quæ ſupererant) nouos rigores ſolitis pœnitentijs adiungere: Sed impeditus à Charitate Religioſorum, qui deficientem viribus prohibebant; in lachrymas diſtemperans mentis feruorem videbatur amariùs deflere vitæ tranſactæ negligentias, dum inſtantiùs repeteret; *Væ mihi ſeruo inutili, & nullius fructus.* Quibus verbis, atque affectibus omnium Fratrum corda in ſe conuerti, & pœnitentiæ, ac paupertatis ſtudia incredibili auiditate amplecti efficaciùs perſuadebat.

Paucis ab hinc diebus S. Petrum de Alcantara acuta febris in lectum proſtrauit, cui ſubuenire opportunis remedijs loci ſolitudo prohibebat; eòque magis afflictos Religioſos omnes tenebat. Hinc quàm citiùs Comitem Oropeſæ de Sancti Viri ſtatu certiorem faciunt; vt pro affectus pietate cariſſimo ſuo Patri ſpirituali promptiùs adeſſet: Nec fefellit opinio, cùm mox aduolans Comes ad pedes B. Patris proſtratus rogabat; vt ſe permitteret ad Palatium ſuum deferri. Quod licet ipſe negaret priùs; diuina tamen cognita voluntate, vt Arenas appropinquaret, vbi ſepelliendus erat, preces admiſit: Vix tamen alio, quàm iumento vehi voluit; vt moleſtias pateretur, aſſociantibus ſibi prædicto Comite & duobus Fratribus, dum reliqui in Conuentu relicti Sancti Patris vices, & lachrymis, & precibus proſequebantur.

Accedit Domum Comitis Oropeſæ, & quæ ibi contingant,
Cap. III.

PEruenit itaque S.Petrus de Alcantara ad Comitis Domum laſſus adeò; vt vix non animam trahere videretur: Ibique ad cubiculum ornatu præclaro inſtructum perductus, nequaquàm in lecto pretioſo decumbere; ſed in angulo quodam, ac ſtrato humili quieſcere elegit, vbi Altare quoddam præparari ſupplicauit. Omnibus quidem Sancti Viri debilitas mœrorem augebat, ſed eius præſentia, tanquàm de theſauro quodam acquiſito, ampliùs lætabantur: Hinc aduocare Medicos, qui morbi vim declarando, remedia opportuna obedientiæ præcepto iniungebant. Miniſtrare cibos, qui contrarij ſolitæ Viri abſtinentiæ, magis cruciare, quàm reficere videbantur. Augeri tamen paulisper morbus, ita vt febris oſſa etiam penetrans, doloribus totum excruciaret. Indè crus intumeſcens, & in vlcus erumpens, in lecto immobilem detinebat: Accedebat conſuetus ſtomachi dolor, qui nimiùm auctus interdum loquelam impendiebat; ita vt nulla pars corporis, ſuo ſingulari tormento careret. At ſpiritu gaudens S.Petrus de Alcantara nullum externum doloris, aut quærimoniæ dabat ſignum: Sed ex ipſis medicamentis, quæ torquebant, motiua ſolatij capere videbatur.

Maximè autem affligebat S.Petrum de Alcantara, quòd ſibi ſeruiri à Comitiſſa permittere cogeretur, dum ipſa omnia proprijs manibus miniſtrare, atque infimis etiam officijs adſiſtere lætabatur. Permiſit inſuper Deus, quò meritum Serui ſui augeret, eum (quia impatientia morbi vinci non poterat) intereà Dæmonum ſuggeſtione ad iram prouocari; ita quòd cæteris omnibus tentationibus ſuperior, aliquo ſuſpirio animum alleuiaret dicendo: *Sit nomen Domini benedictum; fiat Domine, fiat voluntas tua.* In hac verò quaſi imparem Diabolus eum ſuccumbere poſſe putabat, cùm miniſterio qnorumdam ex Comitis famulatu, hoc modo aggrederetur. Obri-

Obtinuit B.Petrus pro ſua humilitate, ab inſigni Comitum Charitate; vt hora refectionis ſibi à quibuſdam eorum domeſticis vice Dominorum, qui hoc præſtare conſueuerant, liberiùs ſeruiretur. Vndè cùm quidam ad hoc ſeruitium Ephebi Comitis deſtinati fuiſſent, qui cibos ad eum deferrent, atque porrigerent: Suggeſtione quadam diabolica officium quotidianum in irriſionem eius conuertere incœperunt; ita quòd aut actiones eius irridentes, aut doctrinas (quas dictabat) ſalutares ſubſannantes, contemptum potiùs ac conuicia, quàm refectionem aut ſolatium eidem præſtarent. Quæ omnia diù magno, ac patienti animo ſufferendo S.Petrus, nunquàm de his iniurijs apud aliquem conqueri, nec ſerenitatem vultus, aut animi tranquillitatem mutare, vllo modo viſus fuit; itaut præ cæterorum dolorum, ac ægritudinis tolerantia ſingularis hæc (quam à Dæmone ſibi intentari cognouerat) magnam virtutis ſuæ coronam addidiſſe, poſt mortem eius vel ipſi iuuenes confeſſi fuerint; dum rem ritè enarrando admirari ſe dicebant, quomodò ipſi talia tunc auſi in domo Domini ſui, ſingularem Viri reuerentiam in tot opprobria tàm incōſideratè conuertere præſumpſiſſent: Quod niſi ab aliqua vehementi Dæmonis ſuggeſtione fieri potuiſſe, communi omnium opinione ad probandam S.Petri de Alcantara conſtantiam, concluſum fuit.

Manſit in hoc ſtatu B. Pater per aliquot dies in præfata Domo Comitis de Oropeſa; aſſidua vtriuſque Coniugis aſſiſtentia honoratus. Quibus ille varia ſpiritualia documenta ſuggerendo & affectum rapiebat ad cœleſtia, & alios quoque prouocabat ad pietatem; dum pro animæ ſuæ ſalute conſilia exquirerent, & benedictionem frequenter, ac deuotè peterent. Admirabantur quidem omnes, quòd tali rerum ſtatu B.Petrus ſingulis ſatisfacere tùm in conſulendo, tùm in erudiendo ritè poſſet; ſed multò magis ad patientiam eius ſtupefacti, ad morum correctionem, & mundanorum caſuum patientiam tam mirabili exemplo animari videbantur, dum compuncti recederent.

Defertur S. Petus de Alcantara ad Conuentum de Arenas, vbi creuit infirmitas eius ad mortem. Cap. IV.

QVàmuis omnia humana remedia deuoti Comes, ac coniunx eius S.Petro ſtudioſè adhiberi curarent, vìdebatur tamen intereà febris ſerpendo ſecretiùs, vitam minuere: Vndè cognoſcens paucos ſibi dies ſupereſſe, inſtabat ad Conuentum de Arenas transferri; vt inter manus ſuorum Fratrum humili, ac deuoto loco moreretur. Cui licet obſtarent Comites, metu alicuius ſiniſtri ſucceſſus in itinere; tamen cùm ei id futurum neganti credidiſſent, ægrè ac cum ſummo dolore, à ſe dimittere voluerunt: Aduocatis itaque à Conuentu Roſarij duobus ſocijs, & Comitiſſa diſceſſum Viri Sancti deplorante, S.Petrum de Alcantara iumento impoſitum, ipſe Comes cum Medico deducere ad Conuentum, ſumma pietate ſuſcepit. Hinc data benedictione deuotæ benefactrici, ac numeroſo Populo, qui ad videndum S.Petrum confluxerat; Oropeſa diſcedens ſuſtentantibus ſe duobus Religioſis, ac Comite cùm Medico aſſociantibus, ad Conuentum Arenarum ſine vllo nouo morbi accidente peruenit.

Hìc Religioſorum mixto cum dolore gaudio exceptus, petijt trium, vel quatuor dierum requiem; vt ſe ſolus recolligeret, nullum aliud, præter orationis ſolatium admittens: Vbi inſolitis à Deo fauoribus viſitatum, non ineptè Religioſi iudicarunt. Poſteà Guardiani præcepto, vt Medicorum conſilio obſequeretur, ad locum Conuentui propinquum (vbi infirmi curabantur) delatus, humili ſtrato impetu quodam iniectus, quietem appetere indicabat; ſicque omnibus vitæ longioris ſpem præſcindens, reliquum Medicorum curæ permiſit: Et licet ipſe nihil ſibi profuturum ad ſanitatem intelligeret; obedientiæ tamen, ac naturalis debiti perſuaſione, etiam cum cruciatu curationis aſperitatem tolerabat, quò extremum etiam vitæ inter tormenta claudere poſſet. Nec omiſit propterea diuini Offi-

cij

cij penſum exoluere, cùm ſingulis diebus maxima cum deuotione Horas recitare conabatur, animi interiorem affectum lachrymis oſtendens; & interdùm flammam diuini amoris, magis quàm febris, quæ vitam conſumabat, eructans; prouocabat cœleſtes Spiritus huiuſmodi vocibus: *Vos Seraphini, qui Cœlos accenditis ſicut & terram veſtro amore; nè deſeratis humile hoc & miſerabile cor meum.*

Quatuor circiter ante obitum diebus, Magiſter Daza de infirmitate eius ſollicitus, literas quaſdam D. Franciſci de Salzedo citus attulit; vt oretenùs etiam quædam alia conferret. Relatum itaque S. Commiſſario fuit, quomodò Sanctæ Thereſiæ nouę difficultates obijciebantur, pro Sanctæ paupertatis negocio, qnod ſuſtinebat; & S. Petrum valdè affligebant: Vndè cum morbi vi præpeditus, pro remedio (cui hactenùs quamplurima præſtiterat) Auilam ire non poſſet; epiſtolam (quo meliori modo potuit) ad Thereſiam ſcribit, in qua ad propoſiti perſeuerantiam in paupertatis defenſione, mirabibiliter extimulat; addendo inſuper aſſeueranter poſt breue tempus, omnes illas oppoſitiones fœliciter terminandas, ac omninò irritas fore. Ad hæc inſtruxit quoque Dazam, qua ratione quorumdam animos Sanctæ paupertati maximè aduerſos demulceret, ſpondens ſe quoque eandem rem in memoria habiturum; quemadmodùm etiam poſt mortem experientia comprobauit: Sic igitur toto vitæ tempore S. Petrus de Alcantara ſe zelantiſſimũ Inſtituti Sanctæ Thereſiæ promotorem demonſtrauit, dum ſanctæ paupertatis defenſionem ſuſcipiens, atque vltima manu protegendo, cuncta propria alienæ ſollicitudini poſtponeret; nec ideò à Dei continua conuerſatione vacaret.

De ſalutaribus quibuſdam documentis, quæ in hac infirmitate dictabat, & inſigni patientia.
Cap. V.

Poſtquàm fama mortalem B. Patris infirmitatem Arenis, & in vicinis terris diuulgaſſet; confluxere vndiquè Populi

puli ad videndum, ac audiendum eum, cuius venerationem affectu tenebant. Itaque ille omnes quantùm morbus permiſit, alijs virtutum regulas dictando, alijs ſeculi contemptum perſuadendo, alijs aduerſorum tolerantiam ſpe æternorum præmiorum commendando: Sic vt omnes ad amorem Pœnitentiæ accenſi, ac in deuotione erga Dei Seruum confirmati; præclaros ex eius monitis virtutum fructus colligerent; & ipſe admirandi ſui zeli pro animarum conuerſione, fidem certiſſimam vſque ad vltimum ſpiritum manifeſtè redderet. Idem præſtitit abſentibus ſuis deuotis, ac ſuis Fratribus, quorum literis aliàs monitis ſpiritualibus plenas reſcripſit, aliorum ædificationem propriæ quieti poſtponens; licet quotidiè eandem Deo approximaret arctiùs. His omnibus propinquiores fuerant eius Religioſi, qui pietatis affectu eum ad medicinæ vſus animabant, quò multorum vtilitati ſpirituali diutiùs prodeſſet; ſi verò eum monentem audiebant: *Sinite Filij, & fratres, vt terra ſuo officio fungatur; remedia tarda ſunt nimis, & ſi quadam recipio, ad nihilum vltra valent; quàm vt tormenta mea produtant. Non prætendo in his doloribus vires corporis abſumere; ſed gratiam Dei acquirere.* Interdùm ſic diſſerebat: *Natura ea, quæ gratiæ contraria ſunt, appetit; ideò dum viuitur, periculum imminet, & ſic vſque ad mortem ſemper vigilandum erit. Videte Filij, quantam nobis ſollicitudinem Sancti commendant, & quàm parum de nobis confidendum ſit: Reſpicite magnum illum ſanctitate Paulum, in gratia confirmatum; quomodò à ſenſualitatis beſtia ſibi timebat, cùm corpus affligeret, dicens: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Cui ſi hoc contigit, quid mihi non timendum erit, qui tanta ſecuritate planè careo? Non licet in hac vita corpori indulgere propter periculum, quod affert ſecum; nec remedia neceſſaria videntur, cùm ampliùs iuuare non poſſunt.*

Ad hæc verba Religioſos in planctum diffuſis ſic ſolabatur. *Quæ hæc veſtra anguſtia eſt Filij? Quis dolor vos tenet? Nolite obitum meum plangere: Tempus enim adeſt, quò diuina Miſericordia immenſa mei miſerebitur, & ſpero quòd veſtri non obliui-*

obliuiſcetur. Ego hic vltrà neceſſarius non ſum. Ipſi verò tenoriori affectu commoti inſtare vlteriùs, vt à Deo longiorem vitam precibus obtineret; quò meliùs Conuentus ſuos contrà tot oppoſitores firmaret, atque in perfectione Obſeruantiæ inſtrueret. At S. Petrus interno affectu, voce ſubmiſſa, ſic in Cœlum orationem vertere auditus fuit; *Domine, & Deus meus, ſi ampliùs pro hac hæreditate tua neceſſarius ſum, & tibi placitum fuerit, vt pro nouis laboribus viuam; fiat in me ſancta voluntas tua: Pati enim non recuſo, modò ita tibi placeam.*

Non omittebant intereà Medici diligentem eius curam agere, applicando remedia præſertim auri, quod maiori cum dolore excruciabat. Nec ipſe etiam pro febris ardore aquam admittere viſus fuit, quò in omnibus torqueri ſe ſentiret; prout toto vitæ tempore aſſueuerat. Hinc quodam die perſona quædam huius loci deuota cubiculum ingreſſa, benedictionem eius poſtulabat: Cui ille monitis ſalutaribus reſpondens, cum ſingulari adſtantium conſolatione videbatur pro ſitis ariditate, verba profere non poſſe. Itaque egrediens perſona illa, & aquam frigidam apportās, rogabat, vt tā ingenti neceſſitati ſuccurreret: S. Petrus de Alcantara verò vaſe de manu amici accepto, vt affectū compēſaret, dum vlteriùs ori admouendo oculos in Crucifixi imaginem intendit; ſitis (quam Saluator paſſus fuit) memor, illud eidém in holocauſtum obtulit, nec guttam quidem degustans amico reddendo, ſubdit; *Sit propter amorem Dei, ipſe hanc vobis charitatem reddere dignetur.* Sicque fixis in lateris vulnus oculis diù perſiſtens, omnium in ſe admirationem, atque deuotionem conuertit.

Viſitatur à Chriſto Domino, & eius ſanctiſſima Matre, & alijs Sanctis: & de quadam concione ad Fratres habita. Cap. VI.

INter hos corporis cruciatus ſingulares fauores Deus animæ B. Patris communicabat, dum longo interdùm

mentis

mentis exceſſu noctes tranſigens in altiſſima contemplatione colloquia cum Deo & Sanctis ſuis miſceret; quæ à Religioſis ex ſplendore cuiuſdam lucis inſuetæ; dignoſci poterant. Interdùm etiam ex verbis; quæ hinc indè miſcebantur, Sanctorum cum ipſo commercia audire quibuſdam conceſſum fuit: Singulariter verò quadam vice cùm à Chriſto, ac Matre eius Sanctiſſima, & Sancto Ioanne Euangeliſta viſitari ex inſolito apparitionis ſplendore, atque interrogationum viciſſitudine illorum præſentiam diſtinctiùs concluderent. Cuius equidem tam ſanctæ conuerſationis delicias exprimere, nobis negatum eſt; ſicut Religioſis præſentibus id tantũ conſtare potuit magnas fuiſſe, ex eo quòd S. Petrus de Alcantara ſæpè priuatim conquereretur, ſe adhuc per aliquot dies in hoc mundano carcere detinendum eſſe.

Nec intereà charitatis Fratrum immemor, abſentes aliquot ſenes ad ſe venire mandauit; vt cum his vltimos ſermones haberet, qui in futurum nouo Inſtituto conſeruando prodeſſent. Confluxere itaque ex propinquis Conuentibus, tàm vocati, quàm alij, quibus videndi poſtremò Patris, ac benedictionis eius accipiendæ cupiditas allexit: Quibus quidem ſic adunatis cœpit Vir Sanctus priora Dei beneficia commemorare tam in vocatione, quàm ſuſtentatione mirabili, addendo obligationem ſtrictam, qua Deo tenebantur tùm in obſeruatione regulæ, tùm in orationis ac mortificationis exercitijs; quibus ad imitationem ſui Inſtitutoris, ac Patris S. Franciſci maximoperè incumbendum eſſet. Super omnia verò paupertatem eis iteratò commendabat, dicens: *Filij paupertatem vobis iniungo; filij paupertas nobis à Chriſto relicta fuit pro hæreditate, quia natus in Præſepio, mortuus eſt in Cruce. Hanc etiam P. Franciſcus commendauit: Viuite vt pauperes & peregrini in hoc Mundo. Ab quòd illi, qui plura deſiderauerint, multò pauciora inuenient, quàm quæ inuenire deſiderant.*

Exhortabatur quoque ad orationis exercitium dicens: *Oratio filij, veſtrum quotidianum ſit exercitium, hoc vobis iniũgo tanquàm cæterarum virtutum fundamentum, ad quarum*

exerci-

exercitia tenemini: In Deo omnem curam veſtram ponite; & cum omni fidelitate ſeruite ei, ipſe vos enutriet. Loquor vobis per experientiam, dum nunquàm in vanum ſpes meæ ceſſerunt, quas in Domino poſui: Non vos deterreat vitæ aſperitas, quam elegiſtis; nec videatur difficilis via Crucis, quam tenetis. Animemini pro Deo ardua aggredi; ipſe enim vos iuuabit: Aſſueſcite pœnitentiæ, & Regula Seraphica veſtrarum ſit actionum ſpeculũ; & conſolentur vos in omni tribulatione verba S. P. N. Franciſci, quibus filios ſuos hortabatur: Magna promiſimus; ſed maiora promiſſa ſunt nobis.

Hæc & ſimilia tanto ſpiritus feruore filijs ſuis S. Petrus de Alcantara dictabat, vt firmiter mentibus eorum impreſſa, ad perfectionis ſtudium mirabiliter accenderent. Alia inſuper ſenioribus, pro conſeruatione atque augmento diſciplinæ, ſuggeſſit; ac tandem omnibus benedicendo à ſe dimiſit.

Die Veneris ſubſequenti circa horam Completorij, creſcentibus notabiliter doloribus; Sanctiſſimum Viaticum expetijt: Medicus verò (qui aderat) differri illud vſque in craſtinum diem poſſe monuit; cui ipſe reſpondit: *Fiat in Dei nomine, cuius in omnibus voluntas ſit benedicta: ſinite me ſolum.* Erant in eodem anguſto cubiculo multi Seculares, quibus cateruatim accedentibus benedictionem dabat; vt ſic conſolati recederent: Tandemquè omnibus excluſis, integram quaſi noctem in oratione tranſegit; dum interim ſuſpiria edens, audiebatur ſe ipſum accuſare tanquàm ingratum & peccatorem, præteritorum defectuum veniam cum lachrymis petens. Quæ ſanè Viri innocentis accuſatio & dolor, cæterorum Fratrum compunctionem, & humilitatis confuſionem elicuit.

Circa mediam noctem ſocius cubiculum ingreſſus, vt pro more ſecum Officium perſolueret; quo recitato iterùm in contemplatione perſeuerans, audiebatur ad ſacram Communionem præparare. Sæpiùs *Miſerère mei Deus* repetens, verba *Ampliùs laua me ab iniquitate mea*, voce vehementiori intonabat; Magnaque compunctione dicebat; *Munda me*

Digitized by Google

Domine magis, magiſque; vt mundus coram altiſſima præſentia veſtra appaream; à qua nulla res niſi pura recipitur. Mox paulisper ſubticendo, repetebat fortiùs: *Deus meus, & Dominus meus, caſtiga me ſi vis, ſed cum miſericordia; quia per merita Sanctiſſimæ Paſſionis tuæ ſaluari confido.*

Recipit ſanctiſſimum Viaticum, & extremam Vnctionem, atque horam mortis prædicit. Cap. VII.

Die Sabbathi valdè manè acceſſit Parochus loci cum alijs Sacerdotibus, vt inuiſerent, ac quærerent; an Viaticum afferri vellet: Cui S. Petrus de Alcantara impatiens moræ, *ita Domine; diuinam Maieſtatem expecto*, reſpondit. Intereà Altare quoddam decenter præparatur propè eius ſtratum; ipſeque ſolitis ſuſpirijs & affectibus, varios ex Dauidicis Pſalmis verſiculos repetere intelligebatur, quibus animam accendens, in ſuauiſſimam extaſim rapitur.

Diuulgata hac fama confluit ingens incolarum numerus, vt B. Patri in hoc vltimo vitæ officio obſequeretur. Dein Parochus, vt primus cubiculum ingreditur, vidit S. Petrũ iam ab extaſi ad ſe reuerſum impetu quodam ſpiritus; licet viribus impotentem ſurſum ferri, & genibus flexis ſanctiſſimam Euchariſtiam apertis oculis, ac lachrymantibus adorare: Sicque pectus fortiter tundens, deuoto affectu iterabat, *Domine non ſum dignus*, quaſi aperire pectus optaret; *vt intra* cor ſuum Dominum reciperet. Quo recepto impetum ſpiritus refrænans, iterùm recubuit; & facie ſerena admirationem omnibus prouocabat, ac deuotionem: Interrogatus proindè à Parocho, an extremæ Vnctionis Sacramentum afferri optaret pro anima magis roboranda? Cui ipſe, *ita Domine, Dominatio veſtra afferat ſuo tempore; quia vt Chriſtianus hoc Sacramentum peto*; ſicque cuncti recedentes, vnionẽ Serui Dei (quam tunc cum Deo habebat) vltra turbare non ſunt auſi. Itaque ipſe Deum ardenter inuocando, ac pietatis affectibus amplexando, per iucundam extaſim primitias futuræ gloriæ deguſtare cœpit; atque exiguum quod reſtabat

bat vitæ tempus per reuelationem cognoſcere.

His tàm fœlicibus nuncijs poſt aliquod ſpacium ad ſe reuerſus, à Medico quærebat; quantum adhuc ſibi vitæ ſupereſſe crederet: Et accepto reſponſo parum id eſſe, vultu hilari verba hæc Pſalmiſtæ proferre viſus fuit: ***Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; in Domum Domini ibimus.*** Intereà tamen ſolitis doloribus cruciatus, nunquàm aut animum, aut vultum mutare viſus eſt; ſed propter internam ſpiritus conſolationem, inſtantis gloriæ externa quædam velut indicia prodere.

Circa Veſperam reuerſus Parochus, aliquandiù cum eo conuerſatus obtulit ſe neceſſitate vrgente Sacramentum extremæ Vnctionis miniſtraturum: Cui S. Petrus animaduertens eius ſuſpicionem; nè intentionem mors præueniret, reſpondit: ***Eat Dominatio veſtra, cœnet, & quieſcat ſine metu; expecto ipſum craſtino die hora quarta*** (quæ more Italico dicitur decima) ***cum extrema Vnctione, quia vſque ad ſextam*** (quæ ſecundum Italicum horologium eſt duodecima)***adhuc vitam habebo.***

Maiorem huius noctis partem in contemplatione tranſegit, quando circa Matutini horam vocauit Religioſos; vt ipſi aſſiſterent: Nec dici poteſt, quanta deuotione cum ipſis Officium perſoluit; tum quia vltimum, tùm quia feſtum imminebat Euangeliſtæ Sancti Lucæ. Dein dimiſſis Fratribus, quibus ſemper aliqua documenta ſalutaria ſuggerebat, ad contemplationem ſe recollegit per duas integras horas; vbi varios ex Dauidicis Pſalmis verſiculos proferens, animam ſuam deuotè recreabat, & inter alios: ***Auxilium meum à Domino, qui fecit Cœlum & terram. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus; Deus meus, Adiutor meus, & ſperabo in eum.*** His alias quaſdam aſpirationes adiungens dicebat: ***In te Deus meus omnem fiduciam meam toto vitæ tempore poſui, & ſpero in hac hora theſauro meo frui, ad quem ſemper cor meum direxi.*** Sicque animam recreans, corporis cruciatus quaſi vincebat; ita vt aſſiſtentibus Fratribus tenerum pietatis ſenſū ſuauiter extorqueret.

Digitized by Google

Hora autem quarta, & more Romano decima appropinquante, acceſſit Parochus cum extrema Vnctione, ab alijs Sacerdotibus, ac deuotis ſecularibus comitatus: Iamque orationem ſolitam cum cæremonijs incipiens, audiuit S. Petrum tanquàm ſanum valdè attentè ad ſingula ſibi reſpondentem. Dein cum gratijs Parocho expedito, ad Fratres ſuos conuerſus & Crucifixum intuens, videbatur eius ſimilitudinem exoptare, quem nudum in Cruce mori aſpiciebat: Hinc ſpiritus quodam impetu habitu ſe ſpoliãs, conſignauit Guardiano, humiliter ſupplicando; vt ſibi viliorem concederet, in quo ſepeliri poſſet, ſimulque deprecando moleſtias, quas omnibus creauerat; aut offenſas, quas imprudẽter commiſiſſet.

Stupebant ad hoc ſpectaculum Fratres conſpicientes Virum tantæ virtutis & pœnitentiæ ſignis opertum, culparum veniam poſtulantem tanquàm criminis reum, quod nullum commiſerat; indèque in ſeipſos conuerti, & vitæ ſuæ rationes exquirere, atque ad pœnitentiæ imitationem exſtimulare. Et quia alius habitus inueniri non poterat deterior, à Guardiano pro eleemoſina ſuus illi redditus fuit; quem ipſe cum gratiarum actione recipiens, paupertatis ſingularem obſeruantiam Fratribus inſinuauit.

Interim autem dum nudus, ac in terra genibus flexis corã Fratribus adſiſtebat, Fr. Gaſparus à Sancto Ioſepho charitate motus corpus eius iam quaſi emortuum tangens, monuit; *vt ſuper ſtratum decumbens calefieri procuraret.* Ad quem S. Commiſſarius: *Sine me fili, nec corpori meo moleſtus ſis; quia adhuc periculum timeo.* Indicans quanta ſemper cuſtodia puritatem corporis ſui ſepijſſet, dum nec etiam morti proximus illud vel leuiter tangi permitteret à chariſſimo ſuo Diſcipulo, pietatiſque alumno ſtrenuiſſimo.

De

De fœlici S. Petri de Alcantara tranſitu, & apparitione facta Sancta Thereſia. Cap. VIII.

SVpremæ iam horæ proximus S. Petrus, rogauit Guardianum; vt cum cæteris Religioſis orationes ſibi recitaret, quas pro animæ commendatione Eccleſia deſtinauit: Quibus ipſe deuotè reſpondens, hoc officium deuotè expleuit; licet voce deficiens. At mirabili quadam virtute roboratus, mirabiles de vitæ huius fallacijs ſententias eructans; ac tandem voce magis ſonora, quaſi ſui oblitus, ad ſuos Fratres ſic loqui auditus fuit. *Fily mei, in hac vltima hora repeto vobis ea, quæ ſæpiùs inculcaui de ſancta paupertate, quam vobis iniungo quantùm poſſum; quia pauperum ſpiritu Regnum eſt Cælorum. Solliciti eſtote in obſeruatione illius, quod edocti eſtis à me; nec grauia vobis videantur Regulæ, Inſtitutique præcepta: Leuis enim labor eſt, & præmium infinitum, ac æternum. Si perſeueraueritis vſque in finem, Pater veſter cæleſtis Regnum vobis promittit Cælorum. Vitam veſtram ad Chriſti exemplar inſtituite, omnis veſtra ſollicitudo pro animarum ſalute intendatur; vt doctrina veſtra eas Deo lucremini, & exemplo viam ad Cælum monſtretis. Sit conuerſatio veſtra inter Angelorum Choros, cum his in oratione ſeruite Domino; hæc enim omnium virtutum aurifodina erit: Fœlices vos dicam, ſi hanc doctrinam meam ſeruaueritis, alioſque Fratres veſtros obſeruare feceritis; viuatque in vobis ſemper amor Chriſti Domini noſtri, ſic enim in vobis viuet ipſe.*

Poſt hos ſermones omnes deuoto affectu amplexatus, & leuatis in Cœlum oculis, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis ex parte P. Franciſci benedicens, orationibus eorum ſe diligenter commendauit. At Filij Patris tranſitum profuſis lachrymis præuenientes, ita ab eo conſolati fuere: *Ne ploretis Fily; deceſſum meum; nam adeſt hora, qua mei miſerebitur Deus, nec veſtri obliuiſcetur.* Dum igitur vitæ terminum intrepidus expectabat, & vultus ſerenitas tranquillitatem animi indicabat; ad Pſalmum *Miſerere* ritè reſpondens, ſæpiùs tamquàm

quàm peccator maximus verba illa, *Ampliùs laua me Domine*, intenſo affectu iterabat. Quo finito aliquantiſper in cõtemplatione ſuſpenſus, meruit à Sanctiſſima Virgine, Sancto Ioanne Euangeliſta, multiſque Angelis viſitari, qui innocentem illius animam in Cœlum deferrent: Quos ipſe oculis animæ conſpiciens, nec vlteriùs intra ſe continere valens ſpiritus feruorem, in illa verba prorupit; *Fratres mei, non videtis hìc adeſſe Sanctiſſimam Trinitatem glori ſiſſimam Virginem Mariam Dominam meam, & Sanctum Ioannem Euangeliſtam*. Itaque ſpiritus impetu in altiſſima contemplatione immerſus, indè viribus vlteriùs auctus velut Chriſti verus Aſſecla (pro vt potuit) ſe in genua erexit, crucifixi Saluatoris effigiem ſibimet ob oculos poſuit, affectus cordis orationibus iaculatorijs protulit, atque Pſalmum *Voce mea ad Dominum clamaui*, attentiùs recitauit; vndè omnes hinc aſiſtentes ſtupor inceſſit, videntes virum cum morte colluctantem extrema ſine dolore pati, & potiùs delicias Paradiſi, ſupremis velut labijs prægustare: Tandem ſic in genua prouolutus in medio Fratrum ſuorum illi tũc adſtantium, cum ad verba illa perueniſſet, *Me expectant Iuſti, donec retribuas mihi*; videbatur quaſi vocationi Dei, & Sanctorum morem gerens, ſuaui & Angelica voce ſic reſpondere: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; in Domum Domini ibimus*. Nec multùm interfuit, quòd ipſe ſic humi genuflexus reſpiranti ſimilis, Deo animam exhalaret hora diei ſextæ, nimirùm Italiæ duodecima, velut aliàs prædixerat, die Dominica, feſto Sancti Lucæ ſolemni, decimo octauo menſis Octobris, Annó Saluationis 1562. ætatis 63.

Superiùs à nobis dictum remanet, Sanctæ Thæreſiæ reuelatum fuiſſe illum poſtremum vitæ S. Petri de Alcantara annum futurum; licet dies præfixus non conſtaret. Itaque poſt acceptam eius epiſtolam, in qua præſentis morbi diſcrimen nunciabat, anxia Virgo expectabat rerum exitum intelligere; quàmuis optaſſet magis ei vitam prolongari, vt nouis difficultatibus (quæ operi ſuo obſtabant) adhuc occurreret.

Dum

Dum igitur prædicta Dominica, oratione abſorpta in cella recludebatur, vidit Sanctum Virum ad ſe ingredientem Solis inſtar radiantem; ita vt formæ maieſtatem ſe explicare non poſſe, ipſa Sancta fateatur. Stupore igitur perculſa ſic ipſum alloquuta fuit: *Quid hoc eſt Pater mi?* reſponſum accepit: *Vado ad requiem meam*. Vndè maximo perfuſa gaudio intellexit beatam illam animam Paradiſi delicias petere; & dein de quibuſdam alijs ad Inſtitutum ſuum pertinentibus interrogans, omnium reſolutionem integram accepit, atque ad perſeuerantiam ab eodem fuit animata. Subiunxit quoque S. Petrus, quomodò potentiæ animæ ſuæ participes factæ fuerant in illo inſtanti ſupremæ illius gloriæ. Explicauit inſuper gloriæ eiuſdem ſublimitatem, quam ob virtutem pœnitentiæ adeptus erat, cuius præmia miris encomijs celebrabat; ita vt in hæc verba prorumperet: *O fortunata Pœnitentia, cui tantum conceſſum eſt præmium*; ſicque poſtquàm Sanctam confortaſſet in Dei ſeruitio, ab eadem viſus fuit Cœlos penetrare mirabili ſplendore circumdatus, nec Purgatorium aliquo modo tetigiſſe. Poſt hanc viſionem ipſa ſibi diffidens, & præ nimia humilitate talibus indignam ſe iudicans, Confeſſori ſuo, atque D. Franciſco de Salzedo eandem citiùs aperuit; quibus etiam rei veritas tunc maximè perſuaſa fuit, cùm poſt octiduum mortis S. Petri hora nunciata fuit, quæ cum apparitionis puncto à Thereſia relata, mirè conueniſſe noſcebatur.

De his, quæ in Sancti Viri funere contigere. Cap. IX.

AT cùm fælicem illam animam Creatori ſuo tradidit S. Petrus de Alcantara, corpus eius inter brachia Diſcipulorum genibus inflexùm, oculiſque in Cœlum defixis, ſuſtineri viſum fuit: In cubiculo fragrans odor omnes recreabat, & ſplendor luncidiſſimus illuſtrabat habitaculum. Prætereà ſuauis quidam ſonus, quem cœlitùs Angelorum

lorum Chori formaſſe credebantur, omnes in ſtuporem rapiebant, magnumque ex Viri obitu omnium mœrorem aliqua ratione temperabat: Creuit verò magis omnium admiratio, cùm corpus Solis ardore aduſtum, atque macerationum tormentis liuidum, ita vt truncum arboris exprimeret; viſum fuit velut reuireſcere, colore rubeſcens atque candeſcens, ita quòd aſpectu gratioſum tractari inſtar infantis corpuſculum poſſet: Maximè tamen in facie ſplendor, qui cœleſte quid referebat, & in oculis apertis duabus ſtellis ſimilibus, ſingulariter rutilabat; quaſi in præmium admirandæ in vita cuſtodiæ viſus S. Petrus hoc ſibi mortuo, à Deo concedi meruiſſet.

Percrebuerat hic mortis rumor per vicina loca, & omnes ſine diſcrimine ad locum (vbi iacebat corpus) citò conuocauit; nec detineri poterant, quin ad venerationem ſacri corporis deuotiùs procumberent. Ex quo neceſſum fuit loci Gubernatori (nè quid ſiniſtri ſuccederet) excubias ad portam domus deſtinare; compoſitoque cadauere in omnium conſpectu, extra portam loco eminentiori exponere. Exin omnis Populus vocibus, ac ſuſpirijs Deum laudando, Sancti merita celebrabat altiſſimè; dum quidam miracula, alij beneficia ſpiritualia, alij multas ſingulareſque Viri virtutes enarrabant; omnes tamen proſtrati, auxilium eius, tanquàm amici Dei in Cœlis regnantis inſtantiſſimè implorabant: Nobiliores à Fratribus reliquias poſtulabant, quibus cum nihil eſſet (quod daretur) neceſſum fuit ex habitu particulas præſcindere, quas per manus cuſtodum, ad inſigniores tranſmittebant, quò ex parte deuotioni ſatisfacerent.

Intereà placuit Deo virtutem Serui ſui varijs miraculis illuſtrare, dùm multi infirmi ad contactum ſacri pignoris, alij inuocando Sancti patrocinium in grabatis, confeſtim ſanarentur: Poſt hæc Proceſſio ordinata, quæ funus ad Eccleſiam Patrum Diſcalceatorum diſtantem ab Oppido per duo milliaria, efferret; nec quiſquam ab hoc officio abeſſe voluit. Itaque Confratres Eccleſiæ Parochialis

cum

cum facibus accenſis, Capitulum & reliquus Clerus cum candelis, Gubernator cum nobilioribus, cæteroquè Populo: cuncti cum luminibus ad locum Valetudinarij concurrebant. Erat tunc tempus adeò pluuijs importunum, vt quantò diutiùs expectaretur, quòd ceſſaſſent, tantò magis imber, ventuſque inualeſcerent. Itaque quoniam dies declinabat, & Religioſi ſuſpicabantur corpus à piorum manibus illa nocte ſeruari non poſſe; ideò conſultum iudicabant, quocunquè modo ad Conuentum transferre.

Dum igitur hæc meditantur, deuotus quidam ad portandum cadauer ſpontè oblatus, quia oculos defuncti adeò lucidos conſpexerat, monuit Fratres, vt vultum ſaltem velarent, quia nullo ſtudio oculi claudi poterant: Nec tamen auditus fuit, quò locus daretur omnium deuotioni, cùm liberiùs intuendi. Sicque ordine omnes procedendo, neque vento, neque imbre furente ab officio deterrebantur; donec elato in publicum cadauere, viſa fuit confeſtim ceſſare pluuia, ventus minui, nec quiſquam aliquo modo offendi; licet in circuitu vndique cuncta perſtreperent: Hoc itaque perculſi ſtupore, ſe non madefieri, nec luminaria extingui; pro maiori Sancti gloria omnes interpretabantur.

Peruentum tandem ad Conuentum, ex quo aliquot Religioſi cum cruce, & luminarijs obuiam venientes, cadauer in Eccleſia ſuper nudam humum deponunt, Pſalmos decantant, cæteraque peragunt, quæ Eccleſiæ ritus pietati ſuggerit fidelium, licet ſtrepitu, ac deuotione incurſantium turbarentur. Mox aperta prope Altare maius ſepulturâ, eidemque corpore immiſſo, terram more ſuo ingerunt: quàmuis multorum precibus monerentur, corpus in loco honoratiori condere. Intereà dum quiſque terram, ac ſepulchrum contingere, & ſe Sancto commendare contendunt, nox ingruebat; & pluuiæ (quæ priùs ceſſarant) iterùm copioſiores cadebant, vſque dum multitudo (quæ cùm funere acceſſerat) domum regrediens, videret renouari priùs miraculum, & ceſſare imbrem, nè quemquam illorum attingeret: quàmuis in circuitu cuncta maderent.

Sicque glorificans Deum in Seruo ſuo mirabilem prædicabat; quod eius merita his ſignis illuſtrare cœpiſſet: Quibus etiam præ cæteris mirandis, illud quoque acceſſiſſe notabatur; quòd cæra (quæ tota illa die in funere arſerat) in pondere nihil defeciſſe inueniretur, licet & tempore, & vẽto conſumi contigiſſet.

Paulò poſt vulgata mortis huius fama, ab Illuſtribus Hiſpaniarum, mirabilia S. Petri de Alcantara ab omnibus publicari cœperunt; referente quolibet quid ſibi contigiſſet. Mox quàmplurimi ad ſepulchrum eius concurrere, pleriq; inſtantiſſimè protectioni eius ſe deuouere, quẽ iam in Cœlis regnare certiſſimè ſibi perſuadebant.

Quomodò iterùm manifeſtatur gloria S. Petri de Alcantara Sanctæ Matri Thereſiæ, & alijs deuotis.

Cap. X.

Vexabatur adhuc quotidiè Sancta Thereſia à contradictoribus ſanctæ paupertatis, quam in ſuo Inſtituto profiteri intendebat: Ideò pro eius ſolatio placuit Deo, vt inter has anguſtias ei ſpectanda ſeſe offerret gloria, qua in Cœlo Magiſtrũ ſuum diuina Benignitas coronauerat. Hinc quadam die in oratione ſuſpenſa, apparuit ei inter Cœlos apertos S. Petrus de Alcantara circumdatus ſplendore, qui Solem vincebat; indutus veſte pretioſiſſima, & pallio pluri-mis, lectiſſimiſque margaritis intexto: Sedebat quoque in throno chriſtallino miro artificio elaborato, cui adſiſtebant quãplurimi Spiritus Angelici. Ex qua apparitione, & S. Petri documentis ſupra modum confortatam ſe ſenſit Thereſia: Eandem poſt anni ſpatium retulit deuotæ cuidam Religioſæ, cùm ſumma B. Patris merita recenſeret; & quomodò nunciatum ſibi fuit, quòd patrocinio eius ſe commendans in quacumque neceſſitate, opem promptiorem experiretur. Narrauit & ſuo Confeſſario, cùm præ timore manifeſtandi fauores (quos ſibi Deus faciebat) his tantùm verbis expreſſit: *Manifeſtauit eum mihi Deus cum gloria quaſi immenſa.*

Appa-

Apparuit quoque S. Petrus de Alcantara Therefiæ alia quadam occaſione hoc modo. Commota erat quaſi tota Ciuitas,& concilium celebrabant principaliores literati, atque Prælati Religionum; ſtatuendo non conuenire duodecim mulieres in Monaſterio ſine aliquibus certis redditibus includi: Vndè neceſſarium Magiſtro Dazæ (cui curam ac defenſionem Sanctæ Petrus demandarat) ad Conſilium Regium appellare; nomine Monacharum Diſcalceatarum; quò ſic ſententiæ rigorem declinaret. Pergebat itaque confeſtim Madritum D. Gundiſaluus de Aranda; vt Regium decretum eiſdem propitium obtineret: Sancta verò tempori cedere conuenientiùs rata, obſtinationique tam inſignium Virorum non obſiſtens; animo firmiter ſeruabat (ceſſantibus turbulentijs) omnibus redditibus renunciare. Et intereà monens D. Franciſcum de Salzedo,& Magiſtrum Dazam vt cũcta pro libitu diſponerent; quia ſequenti die negocium terminare proponebat: At eadem nocte apparens ei glorioſus Pater, obiurgabat humanam hanc prudentiam, ac puſillanimitatem, quæ ei tale conſilium ſuggeſſerat; dum aliquoties ipſe declaraſſet, aliam voluntatem Dei eſſe, contra quã illa opiniones hominum præferre videbatur.

Refert hæc Sancta cap. 36. eius vitæ talibus verbis: *Ego adeò affligebar laboribus eorum, qui me adiuuabant; vt mihi non importunum videretur (dum res ſe in meliùs componerent) admittere aliquos redditus, quos poſteà dimitterem. Itaque dum eadem nocte in oratione perſeuerarem, cùm negocium terminari debebat, dixit mihi Dominus; nè tale quid facerem: Eadem quoque nocte apparuit mihi Sanctus Frater Petrus de Alcantara iam defunctus; qui antè mortem mihi ſcripſerat; quomodò ipſi conſtabat de contradictionibus, & perſecutionibus, quas ſuſtinebamus, & quòd gaudebat ſatis fundationem hanc talia pati; eò quòd ſignum eſſet, Deo maximè hoc Monaſterium gratum fore, dum Sathanas ſic omnes vires intendebat pro eius impedimento. Iam aliàs bis eum videram, & inſignem gloriam, qua fruebatur: & ſic nullum mihi timorem incuſſit: Nam ſemper in ſpecie corporis glorificati, mihi apparuit plenus magna luce, qua me*

totam conſolabatur. Aliud non dico, niſi quòd hac vice ſeuerum ſe mihi oſtendit, dicendo quòd nullo modo redditus acceptarem, addendo quare nollem conſilia eius ſequi? & mox diſparuit. Sic Sancta die ſequenti vocari fecit Magiſtrum Dazam, & Franciſcum de Salzedo; quibus ſignificabat ſe prioris propoſiti pœnitere, nec in illo ampliùs quodcunque humanum conſilium admittere velle: Itaque ſuaſioni Sancti Patris adhærens, poſt exiguum tempus omnibus tempeſtatibus ſuperatis, rediit ad ſuum Monaſterium, & Inſtitutum (quod cœperat) ſingulari totius Ciuitatis applauſu continuauit.

Inter alios inſuper, quos S. Petri mors mærore ingenti affecerat, duo Nobiles erant Ciuitatis Alcantaræ, ſpiritus ac doctrinæ eius Diſcipuli: Quibus etiam viuus, ac longè abſens in magna quadam afflictione (vt ſupra narratum eſt) mirè præſens adfuit. Itaque cognita eiuſdem morte, lachrymis & ſupplicationibus eius continuam tutelam implorabant: Vndè quadam die dum mœſti varijs ſcrupulis exagitarentur, apparuit eis S. Petrus de Alcantara, pacem annuncians; & cætera (quæ proponebant dubia) clariſſimè elucidans; hortando vt præſentis, ac futuræ vitæ comparatione conſcientias ſerenarent; ac monitis ſalutaribus inſiſtendo, timorem Dei ſollicitè vſque in finem conſeruarent: Sicque maximè conſolatos reliquit. Idem alijs diuerſis in locis præſtitiſſe perhibetur; præcipuè verò *his*, quibus orationis exercitium magis familiare erat, efficaciùs (quàm cùm viueret) eiuſdem perſeuerantiam ac virtutem imprimebat.

Dum Auilæ murus horti Monaſterij Sancti Ioſephi conſtrueretur, Sancta Mater Thereſia mandauit opificibus; vt ſolidum (quantùm poſſent) elaborarent, paupertati ſic maximè conſulens. Cui obedientes, ſe calce firmaturos receperunt muratores, poſtquàm totum erexiſſent: At non diù poſt Sanctæ apparuit S. Petrus grauiter interdicens, *nè tale admitteret, quòd paupertati toties à ſe præſcriptæ repugnaret;* addendo, *quòd fabrica cæteraque opera pauperum, ex Euan-*

gelio plurimùm differre deberent ab his, quæ diuites ſeculi moliantur. Et quia motiuum, quo induƈta fuit, iuſtum Thæreſia prætendebat; reſponſum habuit: *Si ceciderint, non deerunt, qui reficiant*; talique diƈto diſparuit. Ab hinc quotiès in fundatione alicuius Monaſterij Diſcalceatarum, Aduerſarius impedimentum aliquod obijceret; toties B. Pater Sanƈtæ Thereſiæ apparens, animabat conſilio, difficultateſque, & obſtacula remouebat: Vndè ipſa ſæpiùs confeſſa eſt, Sanƈti ſollicitudinem, atque fauorem crebriorem ſe poſt mortem (quàm in vita) multotiès expertam fuiſſe: Adeòque ob hanc cauſam ſingulari affeƈtu, atque reuerentia Franciſcanos Diſcalceatos, tanquàm Patris ſui ſobolem proſequi ſtudebat; præcipuè illos, qui ſocij B. Patris, ac familiares fuerant. Hinc quadam vice cum P. Bartholomæo de Sanƈta Anna (dum Toleti pro Conuentu fundando moraretur) colloquia miſcens, vultu (vt ſolebat) obteƈto, eum poſteà cùm ſocium fuiſſe cognouiſſet, ſic admonuit, *Quid ni Pater, mihi hoc priùs ſignificaſtis, vt facie ad faciem vos alloqui potuiſſem*. Indicans hac ratione quanto animi affeƈtu, atque pietatis veneratione S. Petri de Alcantara ſocios, ac filios à cæteris quibuſcunque meritò diſcerneret: Nec ex parte Diſcalceatorum huic religioſo affeƈtui paria reddere negleƈtum fuit, dum eandem Sanƈtam loco Matris in pluribus neceſſitatibus habere, & ad eam recurrere pro conſilio aſſueſcerent. Ita vt ſanƈta illa familiaritas (quæ inter S. Thereſiam, & D. Petrum viuentes contraƈta fuerat) inuiolata ſemper in vtriuſque Diſcipulis, laudabiliter perſeuerare adhuc videatur.

* *
*

Quo-

Quomodò corpus S. Petri de Alcantara incorruptum inuenitur, & ad Capellam transfertur cum prodigio.
Cap. XI.

QVàmuis Deus Seruum ſuum Petrum ſtupendis miraculis quotidiè illuſtraret, nunquàm tamen Religioſi eius quibuſcumque inſtantijs induci potuerunt; vt corpus ex communi ſepultura in decentiorem locum transferrent, quò omnium venerationi exponeretur, niſi priùs Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritas interueniſſet: Vndè quatuor effluxere anni, quòd Populus ad ſepulcrum Sancti Viri concurrens, alij è longinquo patrocinium eius implorando, beneficia inſignia receperunt; plurimique terram, qua tegebatur, aquæ commixtam bibendo miros effectus ſentiebant. Tandem Prouincialis Fr. Bartholomæus de Sancta Anna B. Patris ſocius ſtatuit ſepulturam pro ſua cæterorumque Fratrum conſolatione effodere, tùm etiam vt ex corporis reliquijs plurimorum pietati ſatisfaceret, qui inſtantiùs eum vrgebant: Nocte igitur quadam ſecretè valdè effodiẽdo terram, corpus integrum, ſummamque fragrantiam ſpirans inuenerunt; quod verò ſtuporem magis auxit, erat quòd videbantur crines ætate cani conuerſi in colorem aureum, & oculi aperti eundem ſplendorem retinere, quem (cùm ſepelirentur) habuerunt. Prætereà quòd liquorem quẽdam ſacrum corpus ſtillaret, qui olei ſpeciem referebat; viſum quoque fuit corpus à quodam hoſpite deuoto (qui tunc in Conuentu pernoctabat) veſte auro intexta obtectum, veluti pro fidei veritate depoſuit publicè. Quanta itaque lætitia, ac conſolatione hæc omnia à Religioſis accepta, viſaque fuerint, dici non poſſunt; dum his argumentis ingentem Patris ſui in Cœlis gloriam, certiùs ſibi perſuaderent.

Prouincialis igitur poſtquàm ſacrum corpus cum cæteris Fratribus reuerenter deoſculatus fuiſſet, ſecreta quadam inſpiratione idem aqua aſpergi, atque calce viua operiri

iuſſit

iuſſit, quæ carnes conſumeret; dein magnam terræ copiam imponi curauit, vt ex ea piorum, infirmorumque neceſſitatibus ſuccurreretur, in quibus mirè iuuari ſe profitebantur. Sed non diù factum latuit, quin frequentiori numero multitudo ad ſepulchrum concurreret, atque iniectam terram abundantiùs auferret; quaſi corpus effodere tentaret.

Multos itaque poſt annos ſepultura denuò aperta fuit, dũ intereà eandem Deus varijs miraculis honorare non intermitteret. Ex quo moti Religioſi, Epiſcopo Auilæ D. Petro Ferdinando Ternino ſupplicarunt; vt ſacras reliquias in decentiori loco collocari permitteret: Quemadmodùm ipſe de mirabilibus Serui Dei, tàm in vita, quàm in morte optimè inſtructus, benignè conceſſit.

Præparata igitur arca egregiè ornata, plurimi ex Religioſa familia cum Prouinciali ad exhumandum corpus ſollicitè confluxere: Tunc inuentum fuit corpus ex parte integrum, ex parte à calce corroſum; oſſa tamen liquorem quendam ſtillabant, qui odorem ſuauiſſimum reddebat. Inuolutas itaque cum ſumma reuerentia, ac deuotione venerandas reliquias candidis velis, in arca depoſuerunt propè Altare maius muro incluſa; idque cum ſummo ſecreto, nè concurſum, aut tumultum Populi excitarent: Prouincialis verò antequàm arcam occluderet, particellam abſtulit reliquiæ, quam infirmorum remedio, & pro aliorum deuotorũ ſolatio (qui Seruo Dei ſe commendabant) in Conuentu ſeruari præcepit. Nec ſine ſingulari diuina diſpoſitione id fuit, cùm aqua cui hæc reliquia intingebatur, quamplurimis perfectam ſanitatem afferret; immò ſimpliciter aſperſa animalibus mirabiles effectus produxerit, ſicut in ſequenti libro narrabitur.

Proindè concurrebant vndiquè impòſterùm, maiori frequentia Populi ex tota Hiſpania ad prædictum Sarcophagũ; vel pro gratijs referendis, vel pro beneficijs impetrandis: Ita vt ex remotis Indiæ partibus alieni etiam, qui auxilium S. Petri de Alcantara ſenſerant, pro gratiarum actione

Are-

Digitized by Google

Arenas veniſſe ad Sancti reliquias inuenirentur. Admirabantur tamen omnes, quòd tam obſcuro loco, corpus ſine aliquo cultu, muro incluſum iaceret; adeò vt vrſerit Patres plurimorum zelus, poſt aliquod tempus conſilium ineundi, quomodò tot miraculorum fides publica ad Summum Pontificem tranſmitteretur, vt eius decreto approbari poſſet, quod quidem non longè poſt diligenter factum obtinuit. Dein vlteriùs inſtantibus plurimis Hiſpaniæ Proceribus, perſuaſum fuit iiſdem Religioſis; vt Capellam quandam particularem ædificari permitterent, in qua decentiùs ſacrum corpus deponi poſſet, atque pro merito coli. Poſt varias igitur deliberationes,maturè placuit Prouinciali cuidam Patri Didaco del Eſcurial, opus hoc perfici curare, atque ſupplicando Epiſcopo Auilæ (in cuius Diœceſi locus ſitus eſt) tunc D. Franciſco Gamarræ; vt ſolemni corporis translationi diem indicere dignaretur. Cui deuotus Prælatus promptum ſe oſtendens, deſtinauit diem ſextum decimum Decembris Anni tunc currentis 1616.

At non defuere plurimi ex familia eius tali ſe deliberationi opponere, eò quòd timerent tempus rigidum, debilem Prælati complexionem offendere poſſe; quod ille fiducia, & pietate in Sancti Patris merita deſpiciens, ſe mutare decretum nolle conſtantiùs affirmabat. Cùm ergo prædicti familiares pertinaciùs inſiſterent, deuotus Prælatus, iter pedes arripiens, ſolus verſus Arenas pergebat; vt ſolemnitati aſſiſteret. Quod animaduertentes ſtatim illi properabant cum curru aſſequi, & admirati ſtationis rigorem niuibus ac frigore intenſum, Prælato non officere; Sancto acceptum ferre cogebantur, quòd iter tam fœliciter, atque iucundè ad deſtinatum locum perduxiſſent.

Eodem die (quo Epiſcopus) aduenerant quoque Arenas Marchio de Xarandilla, nomine Aui ſui Comitis de Oropeſa Sancto familiariſſimi, & cum ipſo Comites de Morata, & de Orgaz: Præter hos numeroſus Populus cum Magiſtratu, atque principalioribus loci ad idem officium confluxerat. Noctù igitur circa decimam horam Epiſcopus arcam muro

inclu-

incluſam excauari iubet, eamque in alto prope Altare omnium deuotioni, atque venerationi exponi: Mox exurgens ſublato velo, cui ſacræ reliquiæ inuolutæ fuerant, oſſa deuotè omnibus oſtendit; ex quibus odor fragrantiſſimus ab omnibus perceptus, non ſenſus modò recreabat, ſed & corda compungebat; ita quòd lachrymas ex oculis exprimeret. Dein eaſdem reliquias velo pretioſiori inuoluens, & ornatiori arcæ includens, ſuper Altare maius cum plurimis facibus accenſis depoſuit; excubias interea circa Conuentum agente præſidio militari Oppidanorum de Arenas.

Sequens dies, qui Dominicus erat, omnium vicinorum locorum concurſu celebris fuit; cùm Epiſcopus Pontificalia peragens, ſolemniter cum Muſica, ac Miſſa nouam Capellam benediceret. At in eadem celebritate laudibus Serui Dei prædicandis deſtinatus fuerat P. Franciſcus de Zuazo Prior Auguſtiniani Conuentus Arenis, qui quatuor ante diebus acutiſſima febri præuentus, officium apud Patres Diſcalceatos excuſabat: Sed reſpondens præfatus Prouincialis inſtabat, nè recuſaret; quòd interceſſioni S. Petri de Alcantara confideret eum integra ſalute egregiè ſuo tempore præſtiturum. Nec votum euentus fefellit, cùm Sabbatho antecedente Prior conualeſcens ſolemni die præconia S. Petri ex motiuo thematis, *Tu quis es*, miro omnium applauſu, eleganti ac deuota oratione proponens; ſpecialis quoque huius gratiæ publicam fidem feciſſet.

Miſſa autem finita; Proceſſio ordinata fuit; ita quòd præcedentibus Religioſis Diſcalceatis cum luminibus accenſis, cæteroque Clero (qui vndique concurrerat) arca à Comitibus prædictis, ac Gubernatore loci geſtata ſequeretur. Poſt hæc Epiſcopus cum ſuis aſſiſtentibus, numeroſoque Populo portam Eccleſiæ egreſſi; magnum vicini campi ambitum circumeundo, ad Eccleſiam reuertuntur: Hic depoſitam ſuper Altare arcam, poſteà eidem includi Epiſcopus iuſſit. Iam vltra meridiem erat, & poſt refectionem Veſperæ ſolemniter decantatæ; vt quibuſdam Populi tripudijs locus

 daretur:

daretur. Nec in vanum multis perſuaſum fuit, diem illum vt tantæ ſolemnitati ſufficeret, aliquot horis fuiſſe prolongatum; eò quòd aliter tam multa fieri potuiſſe hyberno die impoſſibile cunctis videbatur. In eodem adhuc loco ſumma frequentia Populorum vndequàque accurrentium corpus inuiſitur; ſummis gratijs à Deo honoratur, quarum diſtinctum aliquem Cathalogum in ſequenti libro texere, non iniucundum nobis pro Dei, ac Serui ſui gloria videbitur.

Digitized by Google

LIBER SEXTVS

De miraculis, quæ poſt mortem Sancti Petri de Alcantara contigerunt.

De quibuſdam à morte ereptis. Cap. I.

SVpereſt hoc vltimo libro tot præclara inſignis Athletæ merita, diuinæ approbationis præmio coronata oſtendere; dum S.Petrum de Alcantara, in campo certaminis huius vitæ ſtrenuiſſimum, videre iam licebit prodigiorum operatione, de Cœlo triumphare glorioſiorem. Non enim Chriſtus Dux noſter milites ſuos inglorios, aut ſine honore relinquit; quin hos, quos Mundum, carnem, atque Dæmonia ſubiugaſſe conſtantiùs, reſpexit benignè: Non modò immenſæ gloriæ aureola, ſed & amicitiæ ſuæ priuilegio, in ſignis, & mirabilibus condecoret notabiliùs. Vndè quò admirandam diuinæ retributionis abundantiam, in ſolo Seruo ſuo fideli Petro de Alcantara condigniùs obſeruemus; ex Canonizationis Proceſſu inſigniora quædam miracula ſtrictiori ſtilo breuiter annotabimus, priuata & quotidiana beneficia deuotorum ſtudio commendando. Imprimis autem eorum nobis memoria facienda videtur, qui Sancti Patris inuocatione è mortis faucibus eripi meruerunt; ita vt humano iudicio vita priuati, ad eiuſdem vſum interceſſione S.Petri de Alcantara, fuerint ſingulari priuilegio reuocati ſequentibus modis.

1 Lucas filius Sebaſtiani Gonzalez Galan, & Mariæ Rodriguez incolarum Oppidi de Arenas, annorum ætatis duorum & medij circiter; fortè in vini dolium incidit, ita vt crura tantùm eminerent: Poſt aliquod interuallum, accurrens Mater, puerum indè extraxit, quem circum-

ſtantes omnes, etiam Medicorum experientia, mortuum iudicarunt. Afflicta Mater de omni humano remedio deſperans, diuinum implorat, inuocataque interceſſione S.Petri de Alcantara; ad eius Capellam nouenam vouit cum imagine cerea, & eleemoſyna frumenti Fratribus elargiendi, quantùm puer ponderis habebat: Hinc commota B. P. pietas, tam precibus deuotæ Matris, quàm lachrymis cuiuſdam filiæ eius innocentis ſex annorum, vitam filij à Domino impetrat; vt ſtatim vultu rubeſcens, & ad ſe reuerſus has primas voces ederet: *O Sancte Petre de Alcantara. O Mater, Mater.* Atque ex hac hora integra ſalute, in Parentum domo diù ſuperuixit.

2 Angela de Sancto Gabriele filia Melchioris de Cañizares, & Marcellinæ de Trinitate, infans duorum annorum; ex feneſtra quadam Conuentus Sancti Ioſephi (qui tunc Toleti conſtruebatur) decidit in terram, altitudine duodecim cubitorum: Ex quo caſu in ſaxa impingens, caput confregit; ita vt cerebrum efflueret. Ad cuius remedium vocatus Chirurgus, negabat ſe vitam mortuæ reddere poſſe: Erat fortè præſens Religioſus quidam Conuentus eiuſdem, qui commiſeratione afflictæ Matris, & extinctæ filiæ; reliquiam quandam eidem applicans, deuotè Sancto precibus commendabat. Mox ſtupentibus cunctis, puella illachrymari viſa fuit, & poſt horas quatuor cibum petere, cumque ſumere ea auiditate, quaſi malum nullum perpeſſa fuiſſet.

3 Ioannes Hernandez incola Oppidi de Arenas, annó ætatis vigeſimo ſecundo repentè cadens in terram, loquelam perdidit; ad quem vocati Medici, iam vita functum iudicantes dereliquerunt. Pater cum cæteris amicis mœrore confecti, SanctumPetrum de Alcantara confidentiùs inuocant; promittentes ſe gratiam beneficijs in Conuentum, & viſitando eius ſepulchrum, compenſaturos: Nec in caſſum preces fuerunt, dum poſt viginti quatuor horarum ſpatium (quo vitæ ſignum nullum iuuenis edidit) viſus fuit erectus ſtare, & breui totus benè ſe habere; vt

Libe-

Liberatori ſuo perpetuas gratias agere non omitteret.

4 Domna Agnes Martinez vxor Ioannis à Vega Madritenſis, dolore partus oppreſſa, reliquia quadam Sancti Petri de Alcantara adhibita, filiam edidit, quæ ab omnibus extincta credebatur; ideòque ab Obſtetrice linteo inuoluta, ſepulturæ deſtinabatur. Omnes interim intenti liberandæ parturienti, pietatem B. Patris implorabant: Cùm & illa periculo erepta, & quod omnes perculſit; infans ad ſepulturam delata, in via audita fuit vagire, ſenſimque vitæ ſigna reddere. Ideòque domum relata, Parentibus gaudij, deuotioniſque in Sanctum maximum incrementum attulit; cui ſe tam ſeriò commendarant.

5 Didacus Martinez de Mombeltrano filium habebat Ioannem nomine, annorum quatuor, qui febri acuta correptus, tanquàm morti addictus relinquebatur à Medicis. In tali ſtatu accepit eum in vlnas Soror eius Maria, & iam nouo acceſſu animam ſpirantem, repoſuit in lectum; vt quæ pro ſepeliendo neceſſaria erant, ſtudioſè præpararet: Pater verò affectu paterno compatiens, coram lecto in genua ſe prouoluit, Deum inſtanter ſupplicans; vt ſi filij vita ei grata futura eſſet, eam tunc ob merita Serui ſui Petri de Alcantara benignè concederet. Vix orationem finierat, cùm viuum ſe puer oſtenderet, oculos, & os aperiens; & mox cum ſpectantium admiratione, ſanitati priſtinæ reſtituitur.

6 Anno 1580. in Pago Ornillo infirmabatur grauiter Maria Sanchez, vxor Ferdinandi Sanchez, mulier valdè pia, ac Religioſis Diſcalceatis deuota; ideòque Societati Ordinis per literas filiationis adſcripta: Poſt aliquot autem infirmitatis dies, ad extremum redacta, inter alia teſtamento diſpoſuit; vt ſequenti die vel viua, vel mortua ad Eccleſiam S. Andreæ Patrum Diſcalceatorum deportata, ſupra ſepulchrum S. Petri de Alcantara collocaretur; Sacrũq; fieri curaretur. Nocte itaq; proxima ex morbi vehementia, eã omnes extinctam iudicarunt; hæredes aperto teſtamento, ad dictã Eccleſiam leuca diſtantem eam deportari iubent, atq; ſicut lega-

legauerat, omnia ritè exequuntur. Dum autem Miſſa celebratur, & Sacerdos *Dominus vobiſcum* pronunciat; mirabile viſu, mulierem moueri aliquantulùm: Dein ad Epiſtolam reſidere in feretro; poſt ad Euangelium erectam, ac deuotam Miſſæ adſiſtere; ſicque adſtantium in ſe admirationẽ notabiliter conuertit. Peracto Sacro, & gratijs Deo, ac Seruo ſuo humiliter redditis, ſana, ac expedita ad domum propriam reuertitur; vbi quindecim adhuc annis vitam deuotam ducens, multos ad interceſſionem Beati Patris confugere pro varijs gratijs impetrandis edocuit.

7 In Oppido Areualo Licentiatus Bargas cum vxore ſua D. Barbara, ambo deuotiſſimi S. Petri de Alcantara, filium habebant paruulum nomine Ioachimum. Hic fortè tranſiens per locum quendam domus, vbi cacabus aqua plenus fuerat repoſitus; abſente verò Matre & famula, quæ pro rebus domeſticis exierant domo, poſt aliquod interuallum reuerſæ puerum vſque ad medium aquæ immerſum extrahendo, facta experientia ſine ſpiritu, aut vitæ indicio extinctum inuenerunt. Quamobrem omnia vocibus ac eiulatu replent, ipſaque Matre S. Petrum de Alcantara altiùs inuocante; quia ſe valdè illi deuotam ſciret: Circumſtantes commiſeratione mouebantur, & Pater (nè ſpectaculum videret) domo exibat. Illa verò velut altera Cananæa clamore, ac fiducia precibus inſtando, ita tandem exaudiri meruit; vt poſt horam circiter videret filium reuiuiſcentẽ, ac infra breue ſpacium ſibi, Patrique alacriter abblandientem. Quibus poſteà Sancti beneficium perpetuam grati animi memoriam firmiùs expreſſiſſe, vitæ & pietatis exercitia facilè demonſtrarunt.

8 Ioannes Barrozo ex Oppido Sanctæ Crucis, per ſex integros menſes febri in lecto detentus, tandem omnibus Sacramentis Eccleſiæ receptis animam agere viſus fuit, dum circa noctis medium vitalis calor, ac ſpiritus eum deſtituiſſet: Mœſta vxor cum fratre ſuo Sanctum Petrum de Alcantara compellat ardentiùs; & ſequenti manè Eccleſiam Fratrum Diſcalceatorum adeundo, Sacrum fieri curant pro defuncti

functi (vt credebatur) ſalute. Hinc ad domum reuerſi, Ioannem inueniunt non ſine miraculo reſpirantem, ac loquẽtem; ita vt ab hinc triduò ſanum cum amicis congratularẽtur, quem priùs pro mortuo defleuerant.

9 Melchior Hernandez ex oppido Mombeltran dicto, filiũ vnicum vndecim habebat annorum, quem morbus (quo multi illo anno perierunt) inuaſerat; atque poſt varia remedia per viginti quinque dies adhibita, ad extremum perduxerat. Poſtulauerat ille ſæpiùs ad ſepulchrum S. Petri de Alcantara in Conuentu Sancti Andreæ in Monte conduci, pro ſalute obtinenda; licet timore Parentum, nè tali motu mortem accelerarent, hactenùs prohiberetur: Deſperatum itaque vitæ ad Conuentum deportari, atque ſuper ſepulchrum B. Viri extendi properant. Nec diù ſic inanimis iacuit, quin paulatim oculis apertis, appræhenſaque Matris manu ſeipſum ſanum in pedes erigeret, Deum altiſſimè collaudans, qui ſe tam glorioſum in Sancto ſuo oſtendere dignatus fuerat.

10 In eodem Oppido Mombeltran filius Catharinæ Velaſquez annorum quinque, poſt grauiſſimi morbi varia medicamenta infructuoſa; mortis confinia ingreſſus, inter Patris amplexus omni quaſi reſpiratione deſtituitur: Vndè Mater vocem ad Cœlos extollens S. Petri de Alcantara auxilium inuocando, tot ſe roſaria recitaturam deuotè promittit; ſi filium ſaluum præſtitiſſet. Finita ſupplicatione puer ridere, aperire oculos, loqui, atque cætera viuentis ſigna præſtare, tertioque die cum cæteris coætaneis in platea colludere, non ſine ſtupore viſus fuit.

11 Magdalena Gomez vxor Paſcalis Sanchez, menſæ adſidens in terram decidit; loquela, ac ſenſibus repentè priuata: Itaque omni remedio fruſtrà adhibito, Mater ad patrocinium B. Petri de Alcantara confugit; vouendo ſe filiam ad Sancti ſepulchrum tribus ſextis ferijs conducturã, ſi ſpiritum recuperabat. Vix emiſſo voto color naturalis filiæ rediit, & ſenſus integrè reſtitutus; omnium admirationem prouocauit, qui defunctam exiſtimabant.

12 Mi-

12 Michael infans trium menſium, filius Michaelis Serrano, & Mariæ Lopez; cùm à Matre in vicinæ cuiuſdam lecto repoſitus (panno quodam laneo fortè vultũ obtegente) interdormiendum ſuffocatus credebatur, ex eo quòd eadem vicina cum ſine reſpiratione, & cum oculis retortis inueniſſet. Itaque accepto inter brachia puero, ad Matrem cucurrit; cui tali ſpectaculo & pallorem mortis impreſſit, & voces ac gemitus in Cœlum tendentes, fortiùs expreſſit: Inuocando autem S. Petrum de Alcantara, cum voto conducendi filium cum imagine cerea ad Sancti ſepulchrum; vidit confeſtim illum colorem recuperare, oculos aperire, & mamillas ſugere, cùm magno omnium præſentium ſtupore.

13 Petrus de Oliues filius Petri Velaſquez de Mombeltrano, menſium decem & octo à Matre ſanus lecto proprio impoſitus, manè ſequenti tumidus, ac clauſis oculis ſine motu inuentus fuit: Quo dolore confuſi Genitores S. Petro de Alcantara filium offerunt ad Capellam eius cum Miſſæ celebratione deferendum. Mirum dictu, quòd ſtatim infans ridendo mamillas apprræhendit: & omni tumore tum capitis, tùm colli penitùs euaneſcente, integrè conualuit.

14 Alphonſus de Frias Cepeda Sacerdos de Arenas puellam ſex annorum Ludouicam nomine, domi alebat. Huic febris maligna loquelam, pulſum, ac calorem abſtulerat, vt mortua videretur: Sed applicante Sacerdote reliquiam quandam S. Petri de Alcantara ſuper caput, & cor eiuſdem puellæ cum deuota ſupplicatione; viſa fuit confeſtim in ſe reuerti, verbaque proferre, *Deus me adiuuet*, donec integrâ conualeſceret.

15 Anna Gonzalez vxor Gabrielis Lopez incolæ Arenis, aliquot dierum febri vexata; Medicorum conſultationibus, morti adiudicata fuit: Vndè munita SS. Eccleſiæ Sacramentis, agonizans per quinque dies; noua accedente criſi, extincta videbatur. Hinc filia eius Iſabella Matris ſalutem à S. Petro expoſtulans, copioſiſſimis lachrymis ac ſuſpirijs; vidit eidem ſpiritum rediiſſe, atque hæc verba

profer-

Digitized by Google

proferre! *O Sancte Petre de Alcantara, quot fauores mihi à Deo impetraſti, & nunc mihi vitam reſtituis; nè hæc filia orphana remaneat; & vt ego quoque vitam meam emendem.* Paulò poſt cibari expetijt, & cum cæteris inſignia S. Petri merita, deuoto præconio collaudabat.

16 Filius cuiuſdam Franciſci Hernandez de Paredes, poſt aliquot febris acceſſiones, vehementia morbi ad extrema redactus videbatur; Qua fama per Oppidum ſparſa, omnes amici ad conſolandum Patrem diligentiùs acceſſerāt. Inter hos Guardianus Conuentus Diſcalceatorum, qui eidem Patri ſingulari deuotione gratus erat, cùm eiuſdem afflictioni condoluiſſet, ad Conuentum redire ſe promiſit, vt Miſſam pro agonizante celebrando, S. Petro de Alcantara commendaret. Sacro itaque peracto, regreſſus ad deuotum, inuenit infantem oculis apertis, ſigna reſpirantis ac mouentis ſe peragere; qui poſteà paulatim recedente febri, ſanus euaſit.

17 Ioannes de Aguero incola Arenis, filium viginti dierum morbo vehementi oppreſſum deflebat; eò quod calore vitali, ac ſenſibus deſtitutum conſpiceret; Vndè quia aliud remedium pro vnigenito deſperabat, imaginem cereā ſecum ad Eccleſiam Fratrum deportans, eam in Cappella Serui Dei, tanquàm pro gratia obtenta appendit. Poſt peractam ſupplicationem domum reuerſus, inuenit paruulum in ſinu Matris perfectè conualeſcentem; quemadmodùm priùs fiducia in S. Petrum de Alcantara firmiter ſibi perſuaſerat.

18 Ioannes Fernandez de Arroyo Caſtaño, paroxiſmo vehementi vitæ extremum attigiſſe à Medicis cenſebatur; Parentes Comunionem, ac Confeſſionem ad Capellam S. Petri vouendo; paulò poſt eum ſaluti reſtitutum, ſecum ad ſoluendum votum alacriùs conduxerunt.

De quibuſdam mancis & claudis, qui viſitando S. Petri ſepulchrum miraculosè conualuerunt. Cap. II.

1 ALphonſi Sanchez habitantis in Oppido de las Cueuas, tibia infracta Chirurgorum ſcientiam omnem fatigauerat; ita vt vice curationis, à quodam inexperto in alio loco eandem imprudentiùs conquaſſari contingeret: Iacebat itaque miſer ſummis doloribus proſtratus, omniumque manus expaueſcens; nè tormenta maiora adiungerent. Quo quidem rerum ſtatu, dum ſibi miranda S. Petri de Alcantara narrari audiret à ſuis deuotis, maximam concepit fiduciam ſe deſperatam ſalutem huius Sancti interceſſione à Deo recepturum; ideòque quodam die feſto, aſſociantibus multis, ad ſepulchrum Serui Dei ſe conduci curauit. Cùm autem ad Eccleſiam perueniſſet, audito priùs Sacro, & Sacramentis perceptis; amicis innixus, ſepulchro S. Petri de Alcantara appropinquat: Quod quamprimùm attigiſſet, interiùs conſolationem magnam animi ſentiens, quaſi proximi fauoris quoddam pignus; mox ſpectante Populo pede terram calcans, & iàm erectus ſine adminiculis ſtans, tandem cum omnium ſtupore liber incedere ſine dolore viſus fuit. Redditiſque Deo ac Sancto ſuo humillimis gratijs, cũctis deuotionem in Sanctum auxit; ipſeque ſanus, ac lætus, ad domum ſuam confeſtim regreditur.

2 Franciſca Martinez de Mombeltran doloribus intentis cruciabatur ob pedem adductum, quem nec terræ imponere, nec fulcris ſuſtinere poterat: Itaque poſt trienniũ fruſtrà Chirurgorum diligentiæ impenſum, ad S. Petri de Alcantara opem pro vltimo remedio, cum voto viſitandi eius ſepulchrum, confugit confidentiùs. Die ſequenti, deferri ſe feſtinans, poſt conſcientiam expiatam, ſenſit ita ſibi dolores augeri; vt ad Communionem accedere non poſſet: Vndè mœrore quaſi oppreſſa, adhuc conſtanter Liberatoris ſui auxilium implorat. Ecce igitur quòd redeunt in inſtanti ad locum ſuum oſſa, ceſſant cruciatus: ac ipſa depoſita

poſito in terram pede liberè ambulans, domum ſuam ſanata reuertitur.

3 In Oppido Arenarum Franciſcus Ramirez Alphonſi filius annorum nouem, ex longa quadam infirmitate crura, ita infecta retinebat; vt inſiſtendi vſum negarent. Poſt aliquot menſes eum Parentes ex voto ad Conuentum Sancti Andreæ, ac ſepulchrum S. Petri de Alcantara tranſtulerunt; vbi vngendo offenſas partes oleo lampadis Serui Dei, confeſtim conſolidatas viderunt; & puerum ſine vllo impedimento, vſui pedum reſtitutum.

4 Andreas Velez faber ex pago de Lanzaita diſtante tribus leucis Arenis, crurium ægritudinem tantam contraxerat; vt fulcris vti cogeretur per ſeptem menſes continuos, dein etiam in lecto decumbere. Quod cùm vxor aduerteret, nec humana prodeſſe remedia ad cæleſtia conuertitur; ſuggerens marito, vt S. Petro de Alcantara ſe deuoueret, de quo miranda multa audierat. Huic obediens promptè Andreas equo impoſitus, ac amicis hinc indè ſtipatus, ad Eccleſiam, moxquè ad ſepulchrum defertur; vbi poſt auditum ſacrum, & ſumptam Comunionem feruenter ſe Sancti interceſſioni commendat. Poſtquàm aliquandiù ſic perſtitiſſet, ſenſit ſibi vigorem in cruribus redire, ita vt ex ſe erectus, paulatim incedere poſſet. Tandem integrè per Eccleſiam obambulans, fulcra gratulabundus ſepulchro appendit; & cum amicis pedeſter reuertens, inceſſanter ſingulare Sancti beneficium ſummis præconijs apud cunctos extollit.

5 Madriti puer quidam nomine Balthazar filius Ludouici Mendieta, à natiuitate adeò debilia crura habebat; vt per ſeptem annos eis inſiſtere non poſſet, ſed terra tantùm reptans, à cunctis ſerpentis cognomine ſignaretur. Mater ex hoc grauiter afflicta, at verò ſummè S. Petro de Alcantara addicta, ei filij miſeriam inſtanter commẽdabat: Quadam die infra Octauam feſti huius Sancti, quod in Aula ſummo Principum, ac Populi concurſu magnificè celebratur, curat puerum ad Capellam Sancti in brachijs

deferri, & ex cordis intimo ſupplicationes iterari. Biduò poſt infirmus cruribus inſiſtens, & paulò poſt perfectè viam capiens (qua domum reuerteretur) omnium elicuit admirationem, & Sancti gloriam apud plurimos diuulgauit.

6 Leonora Gonzalez de Arenas per aliquot annos brachio, & humero dextro ita contracta fuit; vt neque manum quidem attollere poſſet: Cùm igitur miranda, quæ ad S. Petri ſepulchrum quotidiè perpetrabantur, intellexiſſet; ex voto ſe per nouenam illuc tranſtulit. Vltima tandem die, dum tota orationi intenta in terram ſe proſtraſſet, breui iterùm reſurgens; manu, & brachio integrè reſtitutis, domum exultans reuertitur.

7 D. Ludouica de Villagra ex Oppido Mombeltrani, è graui morbo adeò membris capta remanſit; vt vltra annum mouere ſe non valeret. Vndè quadam die inſpiratione diuina, ad S. Petri de Alcantara ſepulchrum delata, totam ſe inſuper extendit cum magna fiducia, ac deuotione. In eodem inſtanti, membra reuigeſcere, totamque ſe conualuiſſe, altiſſimè Sancto acceptum, impoſterùm ferebat.

8 Alia mulier ex pago de Ornillo prope Arenas, brachijs ac cruribus manca, ex aliorum manibus moueri, ac cibum capere cogebatur. Hæc ad ſepulchrum Sancti delata, antequàm nouenam abſoluiſſet, ſana priſtinæ integritati reſtituta fuit.

9 Catharina Blaſquez de Arenas, manibus ac pedibus adducta, per triennium detinebatur in lecto. Hinc cùm gratias à S. Petro de Alcantara obtentas, à pluribus narrari audiſſet; ad eius Capellam, ac ſepulchrum deportari quàmcitiùs procurauit. Ibi ferventi oratione, valitudinem ſuam, Deo per Serui ſui merita commendans domum refertur, nec diù quin liberam ſe, ac omni impedimento membrorum ſolutam, infra breue tempus agnoſceret.

10 Catharina Velaſquez de Mombeltrano cruciabatur vehementi dolore cruris, quod ſpatio trium annorum mo-

uere nequiuerat. At verò ad ſepulchrum S. Petri de Alcantara delata, atque interceſſioni eius ſe deuotè commendans, dum ſe inſuper extendit, confeſtim ſine dolore reſurgit, & gaudens ad propria regreditur.

11 Adoleſcens quidam ſexdecim annorum, ex eodem Oppido Mombeltrani, adductus cruribus, fulcris ſuſtinebatur. Huic cum mirabilium S. Petri de Alcantara memoria obuerſaretur; ad eiuſdem ſepulchrum pergere non tardauit. Hìc dum humili ſupplicatione fauorem imploraſſet, ſtatim ſanus euadere ac ſine dolore recedere meruit.

12 Alphonſus Muñoz natiuus ex Oppido Sanctæ Crucis; viribus robuſtus, dum pondus centum octuaginta librarum brachijs geſtabat, crus ſibi ſiniſtrũ offendi ſentiebat; ita quòd dolore creſcente, in lecto decumbens, vltra viginti dies maximos dolores pateretur. His adactus, votum S. Petro de Alcantara fecit ſepulchrum eius ſe aditurum, atque crus cereum appenſurum; quo emiſſo pars offenſa obtorpuit, donec equo conſcenſo, vt Eccleſiam adiret: In via omnem dolorem ſopitum ſentiens, pedibus reliquum confecit; & Sancto gratias obtulit cum voto.

13 In Villa Parræ Vxor Simonis Gomez nomine Maria Martinez, dolore conficiebatur propter incurabilia, ac foetentia vlcera; quæ crus eius per decem annos, infecerant: Itaque fama ſepulchri S. Petri inducta, indè ſe ſanari ſperabat; vndè tot conualeſcentes redijſſe audierat. Meliori ergo modo (quo poterat) illuc tranſlata, poſt deuotam orationem, ac mentis in Deum eleuationem; firmare pedem cœpit, & mox obductis plagis fulcra appendit, & pedes ad ſua reuertitur.

14 In eodem loco Petrus Sanchez manibus, & pedibus impeditus, in lecto plurimis menſibus decumbebat: At quadam die memor miraculorum S. Petri ad Alcantara, ad eius ſepulchrum peregrinationem vouit. Nec fefellit effectus, dum ſtatim expeditum ſe ſentiens; lecto exurgere, & poſt biduum ad explendum votum pedeſter ire, cum ſummo ſtupore, ac Liberatoris gloria viſus fuit.

15 Ioannes Martinez Cauezudo decumbens ſuperiori corporis parte obtorpuerat; qua vti non poſſet: Hinc per integrum annum Medicis in vanum curantibus, recurrere ad S.Petri fauorem concludit; promittendo ſe eius ſepulchrum viſitaturum. Nec abnuit Sanctus, cùm mox offenſam partem reſtituens; ægro votum exſoluere, ac omnes ſuos deuotos ex tam mirabili ſucceſſu, Deum glorificare, ſua interceſſione obtinuit.

16 Maria Ximenez Vxor Ferdinandi Blaſquez, caſu quodam adeò grauiter offenſa fuit vt mortis quaſi periculum adiret. Dum clamorem fortè præ cruciatu attolleret, audita fuit à quodam Religioſo Diſcalceato, qui pro eleemoſyna ad eius oſtium acceſſerat; ad quam ipſe dixit, vt ſe S.Petro de Alcantara offerret, & cum voto ſepulchrum eius inuiſeret. Itaque morem gerens deuota mulier, conduci ſe fecit; & gratiam integræ valetudinis confeſtim obtinuit.

17 Antonius Màrtin filius Dominici, brachium ex quodam caſu fractum; Chirurgorum negligentia mancum retinebat. Itaque ſepulchrum Serui Dei accedere ſtatuit, poſt deuotam orationem, ex oleo lampadis brachium inunxit; moxque cum omnium ſtupore, moueri expeditè viſus fuit.

18 Ioſepha de Salamanca ancilla D. Alphonſi de Montaluo, ex Areualo Diœceſis Auilæ, in manu incurabile vulnus cùm dolore patiebatur. Eius Dominus pro deuotione erga S.Petrum de Alcantara, eam ſuis interceſſionibus commendabat: Vndè non multò poſt perfectam ancillæ ſalutem, ſuis precibus obtinuit.

19 Catharina de Sarauia, quæ habitabat Arenis, coxendi (ſeu ſciatica) laborabat, quam nullis medicamentis curare poterat. Conducta igitur ad ſepulchrum S.Petri, confeſtim ab omni dolore conualuit.

De

De quibuſdam cæcis, & ſurditate, alijſque grauiſſimis morbis affectis, per S. Petri inuocationem ſanatis. Cap. III.

1 CEcilia Velaſquez ex Oppido Mombeltrani, per octo menſes continuos oculorum ægritudine adeò grauiter afficiebatur, vt nec videret, vbi pedem poneret: Quæ cùm audiſſet ſepulchrum S. Petri de Alcantara apertum fuiſſe, iumento ſe ad Eccleſiam vehi fecit; quàmuis tempus rigidum, & niuibus imperuium iter eſſet. Ibi verò poſtquàm oculos aqua (quam reliquia Beati attigerat) lauiſſet, & ſepulchro adhuc aperto caput immiſiſſet; illicò viſum recepit, & laudans Deum in Sancto ſuo domum oculis integerrimis rediit.

2 Iſabella Gonzalez de Arenas vidua Sebaſtiani Moreno, graui quoque infirmitate oculorum vſum amiſerat; licet per tres menſes Medicorum ſcientiam fruſtrà exhauſiſſet. Itaque voto ad ſepulchrum S. Petri emiſſo, & illucà quadam vicina conducta, lauit ex eiuſdem aqua oculos; & orationis ſuæ feruore viſum à Beato confeſtim impetrauit, nec impoſterùm quicquam in illis mali ampliùs paſſa eſt.

3 Ioannes Velaſquez, filius Thomæ incolæ Oppidi Sanctæ Crucis, à quinque menſibus propter panniculum oculo obductum, cæcitatem ex eo patiebatur; nec aliquo remedio curari poterat. Quadam verò die, oculum prædictum baculo S. Petri de Alcantara contingens, viſum recepit; & perſpicacem poſteà habuit.

4 Domna Eleonora de Arias vxor Ioannis de Frias Madritenſis, dolore oculorum capta, poſt octo menſes vnius lumen omninò amiſit. Quadam die à D. Iſabella de Fonſeca viſitata, admonebatur, vt ſe S. Petro de Alcantara commendaret, & aquam quoque adhiberet, quam Sancti reliquia attigerat. Hac itaque accepta, oculum lauit offenſum, & confeſtim lumen recepit.

5 Franciſcus Nietus incola Guiſandi, extremum quaſi vitæ adierat, ex carbunculo oculo obducto. Eius Mater

ac

ac Soror, ambæ accenſa fide ac deuotione, ad S.Petri de Alcantara interceſſionem recurrunt: vouendo ſe cum infirmo ad eius ſacellum acceſſuras. Vix vouerant, cùm euaneſcens tumor, febrique ceſſante; infirmo ſanitas rediјt, & votum integrè ſoluit ſtupentibus plurimis.

6 Bartholomæus Garzia incola *Pagi Sanctæ Crucis*, à longo tempore ſurditatem patiebatur, quam nullo humano remedio recuperare poſſet. Ad cœleſtia tandem conuerſus, ſepulchrum S.Petri de Alcantara adiјt; vt deuotam ibi orationem faceret. Poſt aquæ guttas ex reliquia eiuſdem auribus inſtillans, incontinenti auditum mirabiliter recepit; & gratias reddidit.

7 Domna Maria Aluarez de Medrano Vxor Ioannis de Frias Carauaxal incolæ Arenis, ſpatio nouem menſium auditum amiſerat ex quodam capitis dolore intenſo. Quadam nocte ingraueſcente dolore, cor ad ſuum Patronum S.Petrum de Alcantara feruenter eleuat, vouetque ſe ſanam per integrum diem in eius Sacello, gratias redditurам. Expleta oratione, ſuauiter ſomnum cœpit; ex quo euigilans, & dolore, & ſurditate ita ſe liberam ſenſiјt, quaſi nunquàm graui aliquid paſſa fuiſſet.

8 Laurentius Segouia Medicinæ Doctor iuuenis, Ciuis Toletanus; angina grauiter laborans, diùque fruſtrà medicamentis vſus, mortem expectabat; dum ergo animam ageret, recordatus S.Petri de Alcantara, ſalutem eidem affectu cordis intimo deuouit. Indè aquam ex reliquia Sancti bibens, ſtatim ſanus euaſit.

9 Maria Velaſquez ex Oppido de las Cueuas, quadam nocte faucium dolore ita cum febri præoccupata fuit; vt vix verbum proferre poſſet: Vndè interno affectu ad S.Petrum de Alcantara cor attollens, promiſit Sacellum eius adire, ac eleemoſynam largiri. Mox febris receſſit, & loquela reſtituta faucibus; eam gratam Sancto præſtitit.

10 Dominicus Gonzalez Patris eiuſdem nominis filius, ex Oppido de las Cueuas; idem gutturis malum paſſus, à Genitoribus S.Petro offertur. Peracta oratione, mox ſanum

num factum, cum amicis deuotiùs congratulabantur.

11. D. Anna filia Ioannis de Medrano, & Antoniæ de Herrus habitantium Arenis, in extremis agebat propter anginam; quæ tunc multos extinguebat. Mater, quæ ex filiæ vice valdè cruciabatur, S. Petro de Alcantara illam commendat. Et quia illo die transferri ad nouum depoſitum corpus eius intellexerat, voluit contradicentibus Medicis, eam ad Eccleſiam deferri. Quò perdentæ, atquè infirmam ſuper ſepulchrum extendens, vidit illicò ſanam, ſaluamquè reſurgere.

12. Franciſcus Lopez del Picon habitans Arenis, anginæ doloribus ſuffocabatur; vt nec cibum caperet, nec verbum proferret: Hinc vxor Anna de Vargas pro ſalute mariti, ad ſepulchrum S. Petri votum fecit, ſimulque eius corda collum mariti cinxit. Qui poſtquàm obdormiſſet, paulò poſt obſtupente muliere, ſaluus euigilauit, ac gratias reddidit.

13. D. Iſabella de la Cruce nobilis Toletana, grauem anginam patiens cum ardente febri, à Matre S. Petro de Alcantara commendabatur teneriùs. Dein parte reliquiæ Serui Dei faucibus eius applicata, omni dolore liberam, Sanctique merita collaudantem vidit quam-citiſſimè.

14. Eliſabetha de Fonſeca Madritenſis, à duobus annis aſſiduam cordis palpitationem ſentiebat; ita quòd ſepties, vel ampliùs quotidiè vexata mortis periculum adiret. Vndè ab alijs perſuaſa, S. Petri de Alcantara intercœſſionibus cum voto ſeſe commendabat. Quod ei tam fœliciter quoque ſucceſſit, vt ſtatim notabilem mutationem agnoſcens; breui integram valetudinem recuperare mereretur.

15. Maria Gonzalez nata Arenis, per duodecim annos quotidiè ter, aut quater palpitationem cordis patiebatur; quæ illam ſenſibus priuabat, cum vehementi cruciatu. Vna vice ſpiritu, ac deuotione feruenti S. Petrum de Alcantara inuocat, & ſe cùm voto Sacellum eius inuiſuram promittit; Ab illo puncto omni paſſione libera, impoſterùm ſana perſeuerauit.

16. D. Iſabella de Carauaxal de Arenas, morbo quodam affecta, qui cum febri deliquia, & cordis paſſiones cauſabat; ita quòd extremo Vnctionis Sacramento recepto, mortem operiebatur. Acceſſit intereà filius eius Ioannes, & Matri ſe S. Petro de Alcantara vouere ſuadet, ſicut ille fecerat pro ſua ſalute. Quo facto obdormiuit ægrota, & poſt puſillum euigilans, à cunctis cum ſumma admiratione ab omni paſſione libera inuenta fuit.

17 D. Catharina Pacheca nata Oropeſæ, tertianam duplicem patiebatur; quæ alias paſſiones vehementiores inducebat cum vitæ periculo. Itaque offerendo ſe S. Petro de Alcantara, cui ſemper addicta fuerat; aquam miraculoſam Serui Dei hauriens, ſopore capiebatur: Poſt hunc euigilans, ſine febri ſanam ſe factam admirata, Sancto gratias reddidit. Idem quoque in alia infirmitate grauiſſima, experta fuit.

18 Maria filia Chriſtophori Martin, & Mariæ Sanchez del Arenal; infirmitate quadam ſingulari vltra annum torquebatur; dum paſſiones malanchonicæ eam à ſpiritibus vexari indicabant. Quod animaduertentes Genitores, poſtquàm varijs piorum hominum conſilijs, ac experientijs obtuliſſent; tandem ad Sacellum S. Petri de Alcantara conducunt, & facta oratione, integrè ab omni accidente liberam ad ſua reducunt.

De quibuſdam hernia, alijſque morbis laborantibus, qui aut viſitando ſepulchrum S. Petri de Alcantara, aut vouendo ſanati fuere. Cap. IV.

BAlthazar Rodriguez filius Thomæ habitantis Arenis, laborabat hernia, breui à Chirurgis inſcidendus: Eius Mater Franciſca Muñoz vouerat ſe per nouem dies, filium ad S. Petri de Alcantara ſepulchrum conducturam. Ideòque dum quadam die deuotioni ſuæ intenta, Eccleſiam (vbi corpus Sancti requieſcit) verreret; reſpexit ad ſe filium venientem, quem prope ſepulchrum, anteà depoſuerat:

rat: Et quia integrè ſanatum, expeditèque currentem, agnouit; præ gaudio miraculum, miraculum exclamans, humillimas Benefactori gratias reddidit, nec beneficium deprædicare ceſſauit.

2 Thomas Rodriguez eiuſdem loci incola, tam moleſta hernia cruciabatur; vt quotidiè gemitus, & clamores plurimos ederet, Mater quæ Diſcalceatis erat valdè affecta, meliori (quo potuit) modo ſecum ad ſepulchrum S.Petri filium portauit. Quò cùm perueniſſet, confeſtim omni defectu ac dolore liberatum, domum reduxit.

3 Maria Nuñez vxor Ioannis Sanchez Serrano, ex Pago Parra; filium habebat, cui inteſtinum diffluebat ſine aliquo remedio. Fide igitur accenſa, ad Sacellum S.Petri de Alcantara cum puero recurrit, & cæreum magnitudine eundem æquans ſecum attulit; poſt deuotam orationem puer integrè conualuit.

4 Filius cuiuſdam Thomæ Velaſquez, & Mariæ Gomez, per annos quatuor herniam ex vtraque parte miſerè patiebatur. Vndè Parentes, voto viſitandi ſepulchrum S.Petri de Alcantara pro gratiarum actione emiſſo; ſtatim perfectam eius ſanationem mirabiliter impetrarunt.

5 Petrus Hernandez de Herrera, ex Pago Candelera; cùm pro lucrando Iubileo, quadam vice ad Eccleſiam Roſarij Patrum Diſcalceatorum iuiſſet; inteſtina in ſcrotum defluxere, ita vt in terram proſternerent. Ipſe verò affectum cordis ad Sancti auxilium attollens, oratione facta à S.Petro obtinuit ſine dolore ſanus, liberque reſurgere.

6 Domna Catharina de Balde Nebro ex Oppido Arenarum filiam habebat hernia incurabili laborantem; quæ nocte quadam illam ad extrema conduxit. Tunc Mater coram Deo genuflexa, S. Petri de Alcantara fauorem, tanquàm Aduocati particularis, confidenter inuocat: Mox ægra ſomnum cœpit; & breui expergiſcens, ſine aliquo infirmitatis ſigno Matri ſe obtulit.

7 Filia quædam Balthazaris de Frias ex Oppido Are-

narum, adeò acuta febri opprimebatur; vt Medicorum iudicio, nulla ſpes ad vitam Patri relinqueretur: Quibus ille; *benedictus ſit Deus, ergo à Sanctis eius remedium quaramus*. Et ſtatim ad Eccleſiam S. Petri de Alcantara deportata filia, Sacrum fieri curauit cum ſpe certa filiæ ſalutem ſe impetraturum: Quod equidem euenit, cùm finita Miſſa, puellam pristinæ ſaluti integrè reſtitutam Medici, alijque noti ſummè admirarentur.

8 Maria Lopez ex Pago Sancti Stephani, aliquandiù magnis febribus tenebatur, quæ oppilationes quoque eidem creabant; ſic vt vicinam morti conſtituerent: Ex quo Matrē ſuam rogat, vt ſe portari faceret ad Sacellum S. Petri de Alcantara, pro ſalute recuperanda. Nec ſpes fefellit; dum eadem impoſita ſepulchro, confeſtim ſana reſurrexit collaudans Deum in Sancto ſuo.

9 Ioannes Blaſquez de Arenas, quadam die caſtaneam aſcenderat; ex qua ſub eius pede infractus ramus in terram proſtrauit; vbi inter ſaxa quædam prærupta totum corpus contudit. Accurrentes ſocij (quem mortuum credebant) erectum viderunt, & narrantem quomodò inuocatione S. Petri euidens mortis periculum euaſerat: Vndè eos rogabat ſecum ad Eccleſiam eiuſdem venire; vt pro liberatione gratias debitas redderent.

10 Sebaſtianum Garzia ex Pago de la Parra, febris vehemens inuaſit; cui medicamenta leuamen nullum afferebant. Ideò ad fauorem S. Petri de Alcantara cœleſtem recurrens, eius patrocinio confiſus ad Eccleſiam Diſcalceatorum deferri ſe iubet; vbi ferventi oratione aliquantulùm perſeuerans, breuì ſanus, liberque à febri domum ſuam reuerſus eſt.

11 Ioannes Garzia Ramos de Arenas, ligna ſecuri ſcindendo, pedem ægrè vulnerauit; vt præ dolore contabeſceret. Inuocato fauore S. Petri de Alcantara cum voto mittendi ad eius ſepulchrum pedem cereum; ſtatim tumor decreuit, & vulnus obductum fuit ſtupente Chirurgo, qui lethale iudicauerat.

12 Infans quidam duorum annorum Mariæ de Flores, febri ardentiſſima laborabat ab octo menſibus; nec Medicorum magna ſollicitudine liberari poterat. Hinc quadam die Matri piè in mentem venit, ſe cum filio S. Petro offerendi; quòd pro gratiarum actione Sacellum eius inuiſeret: Moxque hac promiſſione facta, infantem omninò febris reliquit, & ſanus euaſit.

13 Didacus Sanchez Arenis incola, per viginti quinque dies febri continua vexatus; tandem accedente quartana, viribus deſtituebatur: Itaque omni ope deſperata, ad S. Petrum de Alcantara cum voto viſitandi eius ſepulchrum quatuor diebus Veneris, recurrit. Vix vouerat, cùm ſe ſanitati, ac viribus integrè reſtitutum, Sancto acceptum meritò tulit.

14 Catharina de Atienza de Arenas, lecto tenebatur à febri continua; quæ etiam delirium ſuperadduxit: Eam quadam die accedens frater eius, hortabatur S. Petro ſe commendare; quemadmodùm ipſe cum alio fratre, ſæpè cum fructu expertos ſe fuiſſe affirmabat. *Exaudiat nos Deus*, reſpondit infirma, & inuocata Sancti interceſſione cum voto viſitandi eius ſepulchrum, & ieiunandi per tres ſextas ferias; ſequenti manè cum omnium ſtupore liberam, ſanamq; ſe oſtendit.

15 Filius quidam Petri Ximenez ætatis anno decimo octauo, vehementi capitis dolore vexabatur; adeò vt requiem impediret; Quarè Mater S. Petri de Alcantara deuotiſſima, filium ei ſeriò commendabat, promittendo eum diſcalceatum per tres ſextas ferias ſepulchrum eius inuiſurum. Qua facta promiſſione, Adoleſcens è lecto conſurgit, & Matris votum rectiſſimè adimpleuit.

16 Bartholomæus filius Franciſci Martinez, & Mariæ Sanchez incolæ del Arenal, tam moleſta hernia laborabat; vt ex ea mori crederetur. Igitur Parentes eius vouendo ſe S. Petri ſepulchrum cum infirmo inuiſuros; confeſtim conualuiſſe cognouerunt, & ad præſtandum promiſſa, ad Conuentum Sancti Andreæ Diſcalceatorum conduxerunt. Hoc

ſibi contigiſſe anno ætatis tertio decimo, iam annum trigeſimum agens infirmus depoſuit; nequè vltra quid ſe paſſum aſſeruit in illa parte. Ita quòd ex hinc ſemper S. Petro de Alcantara addictiſſimus, vlteriùs in quodam naufragio (vbi ſeptem naues perierunt) ipſe cum ſua ſaluum auaſiſſe, eiuſdem fauori confidentiùs adſcriberet.

17 Chriſtophorus Lopez Arenis incola, per annum & medium inteſtinum rectum adeò extra ſuum locum prominens gerebat; vt etiam Matri ſuæ cruciatus ex ſuis doloribus adderet. Hæc ergo omni remedio humano deſperato, ex conſilio cuiuſdam Religioſi Diſcalceati filium ad ſepulchrum S. Petri de Alcantara conducit: Vbi cùm feruenti oratione eumdem ſubſidere feciſſet, diuina virtute ſtatim inteſtinum ad interiora rediјt; & æger tam mirabiliter ſanatus, diuinam Beneficentiam, & Serui ſui gloriam altiùs vbiquè deprædicauit.

18 Puerulus Aethiops inutilis penitùs, atque contractus, ad S. Petri ſepulchrum ab eius hera, vxore quondam Martini de Frias, Oppidi Arenarum accolæ, adductus; meritis eiuſdem Serui Dei integræ ſoſpitati reſtituitur.

19 Leonora Gonzalua eiuſdem Oppidi Arenarum inquilina, à paralyſi, qua grauiſſimè laborabat, ad eius quoque ſepulchrum integrè liberata fuit.

De quibuſdam infirmitatibus inflammationum, & ſuppurationum curatis ſolo contactu alicuius reliquiæ S. Petri de Alcantara. Cap. V.

1 ISabellæ Gonzalez vxoris Franciſci Godinez de Arenas, faciem eryſipolæ inflammatio ſic occupauerat, vt intra octo dies quaſi cæcam redderet. Huic allata corda S. Petri de Alcantara, ac faciei applicata; ſtatim tumorem ſuppreſſit, ac ſanam præſtitit.

2 Ioannes Lopez filius Aegidij de Mombeltran, annorum duorum ac medij magnam ſuppurationem in crure habebat cum dolore intenſo, ac nulla ſanandi ſpe. At Paren-

tes ad cæleſtia remedia confugiendo, faſcias quaſdam intinctas aquæ ex reliquia S.Petri de Alcantara, cruri obuoluunt, cùm ſomnum petebat. Sequenti manè puer omni infirmitate liber, Parentibus offertur.

3 Maria Aluarez de Soto vxor Simonis Guttierrez de Mobeltran, cruciabatur valdè in vna manu ex quodam vulnere; quo intumuerat. Sed poſtquàm baculum S. Petri reuerenter, ac cum deuotione contrectauit, non dolore modò; ſed & vulneris ſigno omninò liberata fuit.

4 Illuſtris quidam Vir in Caſtellæ Regno vxorem habebat in magno periculo verſantem, ex faucium inflammatione irremediabili. Hinc ambo auxilium S. Petri de Alcantara implorando, quadam eiuſdem reliquia offenſam partē contingunt; ex qua paulatim meliorata, infra ſex horas integram ſanitatem recepit.

5 Ioanni Baptiſtæ Muñoz Arenis habitanti, cum inflāmatione quadam ſecreta, febris ingens per octo dies continuos requiem turbabat. Ideò ex auditu miraculorum S. Petri de Alcantara, ad eius Sacellum deportari feſtinans ibidem poſt deuotam orationem, perfectam ſalutem à Deo obtinuit.

6 Ioanni de Soto Architriclino Octauij Centurionis, Marchionis de Monaſterio; ex inflammatione quadam cum ardente febri, maxilla intumeſcebat. Vndè eius filia D. Clara eandem oleo lampadis S. Petri iniungens, ſtatim aperiri vidit, & ſaniem effluere; ita vt poſt tres dies Pater ſanus extiterit.

7 Ioannes Martinez Spinoſa de Arenas, habebat guttur inflammatum cum interiori ſuppuratione; quæ cum febri continua ingens ei tormentum afferebat. Itaque à Medicis derelictus, perceptiſque Sacramentis cum morte luctari videbatur: At recordatus beneficiorum S.Petri de Alcantara, ei ſe affectuoſiùs commendabat. Mox guttur aqua ex Sancti reliquia aſpergens, ſenſit ſuppurationem rumpi, marcorem diffluere, febrim ceſſare, ſequè priſtinæ ſanitati iam optimè reſtitutum eſſe.

8 Al-

8 Alphonſus de Arias ex Oppido de Arenas, ex apoſtemate gutturi inhærente cum ardenti febre, periclitabatur de vita; cùm duo Fratres Diſcalceati ædes eius accederent, eleemoſynæ cauſa: Hi promittendo ſe ad Conuentum reuerſos eum Deo precibus oblaturos; ſimulque miſſuros aquam ex S. Petri reliquia, qua vti poſſet. Vix bibit infirmus, cùm obdormiſſet; & aliquantulùm poſt euigilans, ſenſit ruptum apoſtema, ac febrim ceſſaſſe.

9 Andreas Ximenez incola Pagi de las Cueuas, propter ſuppurationem in crure moueri è lecto non poterat. Itaque auditis mirabilibus S. Petri de Alcantara ei ſe diligentiùs commendans, aqua ex reliquia eiuſdem vlcus lauit, & breui conualuit.

10 Doctor Laurentius Pinel de Soſa, Medicus Arenis propter apoſtema in gutture à Medicis relictus, Sacramenta Eccleſiæ acceperat; vt mortem expectaret. Huic applicata corda S. Petri de Alcantara apoſtema dirupit, & ad ſalutem profuit; ſic vt ex hoc miraculo, omnium deuotio in Sanctum mirum in modum exindè creuerit.

11 D. Rodericus de Mendoza & Sandoual, Dux del Infantado; apoſtema in aure oui magnitudine habebat, quo vehementer torquebatur, nec requiem capiebat. Accepta igitur reliquia quadam S. Petri de Alcantara, cuius ſingularis deuotus erat, éam auri applicuit, & ceſſante dolore ſomnum cœpit: De hinc reſurgens à ſomno, tumorem receſſiſſe, & ſe ſanum agnouit; quod Medicis, ac Chirurgis pro miraculo habitum fuit.

12 D. Thomas Lopez Præfectus Arenis, hydropiſi laborans in parte ſiniſtra ventriculi, magnum tumorem ſentiebat; qui dolores, & inquietudines cauſabat vehementes, ita quòd de remedio deſperans, vxori diceret omninò ſibi mortem inſtare: Cui Nobilis mulier confidendum ſibi meritis S. Petri de Alcantara, eique feriò ſe commendandum reſtare; ſi ſalutem cuperet. Hinc cum magno pietatis affectu Sancti cordam parti offenſæ applicando; illicò experiebatur dolores minui, appetitum cibi redire, quem hactenùs

nauſea-

Digitized by Google

nauſeauerat: Tandemque infra paucos dies, totum ſe conualuiſſe; cum omnium admiratione, & Sancti gloria.

13 Catharinæ Rodriguez viduæ Ioannis Rodriguez habitanti in Oppido Guiſando, pectus occupauerat ſuppuratio maligna, quæ ſub brachio ad ſiniſtrum latus protendebatur; vt neceſſariò à Chirurgis inſcidenda iudicaretur. Hinc cum miſera mulier inſtrumenta expaueſceret, è lecto exiliens in terram ſe proſtrauit, exclamando. *O Sancte Petre de Alcantara, tibi dico Sancte benedicte; vt mihi faueas in hac anguſtia, nec permittas me ab iſtis inſtrumentis attingi.* Mox reliquiam Sancti cum deuotione applicans, vlcus aperiri vidit, & fruſtula carnis marcidæ exire; atque breui integrè agnouit ſe ſanam euaſiſſe.

14 D. Catharina de Medrano incola Arenis, per tres menſes continuos dentium dolore cruciabatur atrociter, cũ totius vultus inflammatione. Accepit itaque cordam S. Petri Alcantaræ, & cum ea faciem in crucis modum ſignauit: Statim dolor ceſſauit, & infra quadrantem horæ omnis tumor euanuit; quaſi nihil paſſa fuiſſet.

15 Aloyſa Centeno ciuis Toletana, fauces tumore quodam inflammatas habebat tali modo, quòd acutiſſimos cruciatus afferret; & tandem caput in ſiniſtrum humerum, cum deformitate detorqueret. Vndè memor ipſa alterius beneficij à S. Petro de Alcantara accepti, miſit ad Conuentum pro eiuſdem reliquia: Cum ea accedens Guardianus, & tumorem ſignans obſtupeſcentibus cunctis, viſum fuit guttur detumeſcere incontinenti, & caput ad locum ſuum redire, ſine vllo infirmitatis veſtigio.

16 Filius quidam Ludouici Gomez, & Mariæ Lopez de Arenas, cruciabatur valdè à vulnere in crure accepto; cui à Chirurgis ferrum applicandum parabatur: Tunc Mater ad S. Petrum lachrymando confugiens, promiſit ſe crus cereum ad ſepulchrum eius allaturam, & tribus ſextis ferijs viſitaturam. Poſteà ad filium accedens, inuenit rupto apoſtemate benè valere, vt ſimul cum ipſa ſtatim votum Sancto perſoluere poſſet.

Digitized by Google

17 Doctori Zauallos Prætori Toletano, ex quadam confuſione crura adeò intumuerunt, vt lecto inhærere cogeretur, & poſt varia tentata remedia, ferro tumorem aperire. Dum ergo quadam nocte recogitando imminens periculum, cui ſe exponebat, ad S. Petrum de Alcantara ſingulari affectu deuotionis conuerſus, ſupplicabat ſibi opem ferre, ne inciſionem probaret, certiſque exercitijs pietatis ſe ei pro gratiarum actione obſtrinxit. Sequenti manè inuentus fuit mirabiliter ſine omni inflammatione, aut ſigno lecto egreſſus; vt incedere poſſet.

18 Simon Gomez dum in ſylua quadam ligna ſecabat, ex arbore in terram cadens duo oſſa in dorſo confregit; quæ maximos ei dolores, & triſtitias afferebant: Tandem ſumma fiducia ad auxilium ſui ſingularis Aduocati S. Petri de Alcantara confugit, promittendo ſe ceræ quantitatem ad eius Altare delaturum. Quo facto ſtatim dolores euaneſcere, ipſe quietem capere, atque die ſequenti è lecto ſurgere, & ad prius exercitium in ſyluam reuerti.

Gratia miraculoſè operata per cordam S. Petri de Alcantara, per terram ex eius ſepulchro, aliaſque ſuas reliquias. Cap. VI.

1 HAbitabat in Oppido de Arenas Rodericus Arias Godinez, Vir ſatis conſpicuus; qui febri continua periculum adierat. Hinc ſe commendans quadam vice S. Petro de Alcantara, cui ſingulariter deuotus erat; cordam eiuſdem ſibi adferri inſtanter petijt: Cum ergo illa collum cinxiſſet, atque aquæ hauſtum bibiſſet; compellando Sancti intercesſionem obdormire viſus eſt, cum à multis diebus id non feciſſet. Ex quo ſomno euigilans, omni febri liber gratiam à Sancto iuxta deſiderium impetrauit.

2 Antonio Gonzalez de Arenas filia erat, cui grauis morbus loquelam abſtulerat; & cum accidentibus mortalibus tremores mirandos, in omnibus membris efficiebat. Statim ac illam corda S. Petri attigiſſet, ſine mora loquelam recepit

recepit, & in toto corpore conualuit; ac Sancto perpetuas gratias reddidit.

3 D. Ioanna de Auila habitans Arenis, per triginta dies à continua febri vexata, proxima morti conſtituebatur. At recordata mirabilium S. Petri de Alcantara, ad eius fauorem confugit, cingendo ſe eius corda, & vouendo ſe eius ſepulchrum pro gratiarum actione adituram; confeſtim febris receſſit, & ſana votum adimpleuit.

4 Filia quædam Bartholomæi Sanchez, & Annæ Gonzalez, ſine vllo remedio febri continua laborabat: Vndè Pater ad Conuentum Fratrum Diſcalceatorum accedens, reliquiam quandam S. Petri aſportauit, & pectori filiæ impoſuit cum fiducia reddendæ eidem ſalutis. Nec fefellit ſpes, cum ſtatim omni morbo liberam, non ſine omnium ſtupore; ipſe quoque mirabundus conſpexit.

5 Petrus Velez incola Pagi de las Cueuas, tertiana duplici vſque delirium tenebatur. Itaque conſilio amicorum, S. Petro de Alcantara ſe commendans, quandam eius reliquiam applicari ſibi cum deuotione procurauit: Ex qua, mox omni infirmitate liberatus, pro accepto beneficio humillimas gratias egit.

6 Ignis vehemens in quadam ſylua D. Antoniæ de Herruz fortè accenſus, venti incremento contiguas ſyluas depopulabatur. Vndè vicinæ mulieres clamores in Cœlum extollentes, auxilium S. Petri de Alcantara inuocabant. Venit tunc in mentem prædictæ D. Antoniæ, ſe aliquid de terra Sepulchri eiuſdem Sancti habere; quàm citò prolatam, flammis iniecit. At mirum dictu, quòd ſtatim extingui viſæ, maiores in omnium cordibus deuotionis ardores relinquerent; vt Deum in Sancto ſuo magnificarent.

7 D. Agnes de Cepeda nobilis Toletana filiam habebat, propter grauem morbum à Medicis derelictam; ita vt animam ageret. Dùm igitur ſpiranti miniſtrantur ſpiritualia ſubſidia; eidem parum aquæ cum terra ex ſepulchro S. Petri miſſa fuit à D. Maria de Paramo: Hanc cùm deuotè hauſiſſet, illicò febrem ceſſaſſe, atque in ſe reuerſam ægro-

tam omnibus ſummæ admirationis cauſa fuit, ac Deum laudarunt.

8 D. Ioanna Valeriano Arenis nata, febri peſtifera poſt aliquot dies ad extremum redacta erat: Animo tamen erecta ex conſideratione miraculorum S. Petri, eius fauorem cum fiducia implorat. Mox aliquantulum terræ ex ſepulchro eiuſdem aquæ commixtum bibendo, liberam ſe, & rectè valentem mirabiliter agnouit.

9 Franciſcus Fernandez de Fonte Toletanus, morti proximus à Matre S. Petri de Alcantara interceſſionibus offerebatur. Et cùm tangi eum à reliquia eiuſdem procuraſſet, confeſtim incolumem recepit.

10 Franciſcus Godinez de Arenas, duo olei dolia habebat, ita colore, odore, ac ſapore corrupta; vt prorsùs inutilia æſtimarentur, nulliuſque pretij. Quod animaduertens eiuſdem vxor, aliquantum terræ ex ſepulchro S. Petri oleo immiſcuit, & ſtatim extrahens paruam quantitatem, adeò purgatum totum inuenit; vt admiratione confuſa, miraculum vbique deprædicaret.

11 Iſabella Gomez vxor Petri Ximenez, ex Pago Arenal; per duos menſes lecto detinebatur à febri continua, quam arte expellere in vanum tentarat. Ergo ad S. Petrum de Alcantara toto corde conuerſa, quandam reliquiam ex Conuentu Diſcalceatorum obtentam, collò impoſuit; & illicò ſurrexit incolumis.

12 Fr. Ioames de Leganez Religioſus Conuentus Sancti Andreæ, cùm vehementer ſe à febri moleſtari ſentiret, cũ magna fiducia ſe reliquia B. Patris ſui tangi expetijt, & ſtatim benè habuit.

13 Marchioniſſa de Malpica ex vlcere faucibus inhærente, de vita periclitabatur: Indè interceſſionem S. Petri de Alcantara compellando, eius reliquiam collo appendit. Ex quo, cùm breuem ſomnum cœpiſſet, expergiſcens ſana abſque vllo offenſionis ſigno Sanctum glorificauit.

14 D. Catharina Mexia vxor Didaci Ximenez, ex Ciuitate Toleti; febri peſtilentiali mortis periculum Medico-

rum

rum iudicio timebat. Sed applicando reliquiam S. Petri de Alcantara, poſt modicum ſomnum libera euaſit.

15 Franciſcus Martinez Arenis incola, digitum in manu ſiniſtra adeò ægrum habebat; vt abſcindendum Chirurgi iudicarent: Infirmus itaque ſeipſum cum certa eleemoſyna S. Petro deuouens; reuerenter quandam eius reliquiam deoſculabatur. Tota ſequenti nocte ſopore refectus, quem per triginta dies ob doloris vehementiam amiſerat, proximo manè obſtupentibus Chirurgis, ſine vlla læſione inuentus eſt ſanus.

16 Sebaſtianus de Medina Ephœbus Comitiſſæ de Garzias, nauigando in Flandriam ingenti maris procella iactabatur in mari, ſic vt omnes præſens naufragium pertimeſcerent: Ipſe verò ſocios ad inuocandum patrocinium S. Petri de Alcantara prouocans, ſumma in Sanctum ſuum fiducia reliquiam quandam ex eius veſtimentis in mare proiecit. Vix vndas tetigerat, cùm detumeſcere videbantur, & tempeſtas ceſſare; vt ad agendas gratias omnes incitarentur.

17 In Ciuitate Toletana D. Hieronyma de Rios cruciata per duos annos à febri ethyca, vitæ ſpem amiſerat. Cum ſoror eius parum aquæ (cui reliquia S. Petri intincta fuerat) propinaſſet, eamque cum magna fide hauſiſſet, defecit febris acceſſio, poſt etiam paucas horas, optima valetudine ſe omnibus exhibuit, cum Sancti glorificatione.

18 Dominus Franciſcus Gratianus Berrugere Secretarius linguarum apud Regem Catholicum, ab improuiſo accidente omnibus ſenſibus priuatus fuit: Ille verò interna cordis eleuatione, coram quadā S. Petri de Alcantara imagine, ſe eidem feriò commendat. Satimque in ſe reuerſus, infra breuiſſimum tempus integrè conualuit.

19 Licentiatus Vargas ex Oppido Areualo, bis febri ſyncopali præoccupatus, cordam S. Petri ex eiuſdem loci Conuentu poſtulauit. Inſuper voto nouenam offerens, breuì poſt ſalutem recepit, & prò gratia nihil ſe poſſibile negaturum, quod nomine S. Petri de Alcantara à ſe peteretur, liberè ſpopondit.

De

De quibuſdam ſanatis ex oleo lampadis, & aqua miraculoſa S. Petri de Alcantara. Cap. VII.

1. Alphonſus de Frias inflammatione quadam gutturis per octo dies nimiùm oppreſſus, quæ iam in faciem protendebatur cum imminenti vitæ periculo: Animatus autem fiducia patrocinij, ſingularis ſui Aduocati S. Petri de Alcantara, ad eius Sacellum adijt, & oleo lampadis guttur inungi fecit. Ex quo ſtatim omnis tumor euanuit, & ipſe meliùs habuit.

2 Maria Lopez vxor Blaſij de Ponte habitantis Arenis, filiam habebat annorum duorum, nomine Catharinam. Hęc infracta ceruice ex graui quodam caſu, caput ſemper in ſiniſtram partem pendens geſtabat. Et quia curari arte humana non poterat, Mater eam ad S. Petri per tres ſextas ferias conduxit; ibique vngendo oleo lampadis obtortum filiæ collum, mox in priſtinum locum caput reſtitui, atq; erectum ſtare vidit.

3 Catharina Lopez vxor Alphonſi Palomeri habitantis Arenis, cruciabatur continuò in genu à quodam carbunculo, qui acutos dolores cauſabat. Commendabat itaque ſe ardenter S. Petro de Alcantara; & oleo lampadis inunxit, ſic vt illicò ſana euaderet.

4 Maria de Atienza vxor Petri Steuano Arenis incolæ, filiū habebat Nicolaum, cui poſt diuturnam infirmitatem inflammatio gutturis acceſſerat cum febri ardente. Hic quadam die lecto conſurgens, decidit in terram; & Mater accurrens, oleo (quod ſeruabat ex lampade S. Petri) filium inunxit, & Sancto precibus commendauit; ſtatim inflammatione ac febri remittente, Adoleſcens conualuit.

5 Anna de Arenas vxor Didaci Gomez Bezino, genu inflammato ab omni opere impediebatur. Itaque die quadam auxilium S. Petri inuocans, oleo eius lampadis partem inunxit, & liberata fuit.

6 Ioannes Garzia filius Dominici Garziæ Palomero, & Stepha-

Stephaniæ Gomez, ætate quinquennis catharro ita contractus remanſit in neruis; vt nec pedes, nec manus mouere, aut ſtare, aut ſedere valeret. Mater conſilijs amicorum perſuaſa filium ad Sacellum S. Petri de Alcantara conduxit, ſuper ſepulchrum collocauit, & oleo lampadis inunxit, dũ Sacrum fieri curaret; quo ritè expleto, puer ſpontè ſurrexit, nec impoſterum tale quid amplius paſſus eſt.

7 Puella octo menſium filia Mariæ Munoz de Mombeltran, à medio corpore ſurſum lepra operiebatur; præter alia quædam vlcera foetentia, & horrida, quæ curationem reſpuebant. Poſt ſexdecim dierum medicamina infructuoſa, Parentes ad diuina remedia recurrendum ſtatuerunt: Ideòque ex vera pietate S. Petri patrocinium implorando, aqua (quam reliquia eius attigerat) puellam lauant. Vndè mox cruſtæ vlcerum deciderunt, lepra exſiccata, nullum vltra ſui veſtigium in cute puellæ reliquit.

8 Iſabellæ Lopez habitanti Arenis, oleum (quod conſeruabat in propria domo) ita corruptum erat; vt nulla induſtria purgari poſſet: Ad cæleſte igitur remedium confugiens S. Petri miraculis ſtimulata, ex aqua eius reliquiæ oleo ſuperfudit, cuius partem pro lampade eiuſdem largiendam vouit. Et ecce quòd eodem puncto oleum ad priſtinam puritatem reuerſum, mulieri deuotionis præmium rependit.

9 Petrus Sanchez Vſero poſt grauem morbum ad vltimum vitæ terminum peruenerat, ipſis Medicis de ſalute deſperantibus: Circa mediam verò noctem, quaſi à lethargo quodam excitatus, filio præcepit; vt ex Conuentu Fratrum Diſcalceatorum, parum aquæ miraculoſæ protinùs afferret: Quod cùm filius cum omni diligentia præſtitiſſet, bibendamquè Patri anhelanti propinaſſet; vidit eidem febrim declinare, & intra paucos dies integrè ſanum è lecto reſurgere.

10 Petrus Rama habitans in Arenal; vxorem habebat infirmitate incurabili oppreſſam: Cui poſt varia remedia fruſtrà adhibita, aquam S. Petri potandam exhibuit. Ex

qua

Digitized by Google

qua poſt modicum ſomnum, infirma integrè ſanata euigilauit.

11 Ioanna de Medina Arenis nata, proſtrata iacebat à febri continua; cui per triginta dies medicinæ exhibitæ prodeſſe non valebant. Igitur S.Petrum de Alcantara inuocando, eius aquam hauſit; & breuì conualuit.

12 Dominicus Ximenez incola Pagi de Mombeltran, varijs acceſſionibus febris continuæ, ad extrema redactus: Quadam die lecto exurgens, ſepulchrum S.Petri adijt, orationem fudit, atque ex aqua reliquiæ bibit; totuſque incolumis ad ſua redijt: vt gloriam Dei, ac merita Serui ſui altiùs deprædicaret.

13 Beatrix filia Andreæ Manſo ſupradicti loci, febris continuæ agitationibus perducta erat ad mortis confinia. Quamobrem Pater S.Petro de Alcantara deuotus, ex eius aqua febricitanti propinauit; qua hauſta ſtatim eam febris deſeruit, & benè habuit.

14 Ioannes de Fonte Ciuis Toletanus, peſſimè habebat à tertiana duplici, qua miſerè torquebatur. Hinc quadam die ad Conuentum Patrum Diſcalceatorum miſit, pro aqua ex reliquia S.Petri de Alcantara, quam afferens Guardianus, & ægrotum reliquia ſignans; febri totaliter liberauit.

15 Ioannes Ximenez Nieto habitans in Pago Hornillo, habebat vxorem, & filium ſexennem ambos grauiter laborantes tertiana. Adijt Conuentum S.Andreæ del Monte; & allata infirmis aqua S.Petri de Alcantara, quam potando ſanati fuere.

16 Chriſtophorus Martinez Salzedo incola Mombeltrani, grauia tormenta paſſus erat per multos dies à tertiana duplici: Vndè ſecum deliberabat, priuſquàm vltimam medicinam caperet à Medico præſcriptam, de accipienda aqua ex reliquia S.Petri de Alcantara; licet ab eodem Medico valdè contradiceretur. At inſtante conſtantiùs ægroto, vas allatum in principio paroxiſmi manibus tenens, dicebat: *Sancte mi Aduocate Petre de Alcantara,*

tibi

tibi me commendo, & aquam hanc in tuo nomine haurio; vt me tam longa infirmitate promptiùs liberes. Vix dum aquam hauſerat, cùm tota febris ceſſauit, & Medico præſenti ſummum ſtuporem incuſſit.

17 Petrus Velaſquez de Arenas fluxum ſanguinis per aliquot dies paſſus; alijs periculoſis acceſſionibus vitæ periculum adierat: Hinc memor beneficiorum S. Petri de Alcantara, ad Guardianum Conuentus pro aqua ex S. Petri reliquia miſit, qua hauſta, dolor omnis & fluxus receſſit; vt lecto ſtatim ex ſurgere potuiſſet, ni debilitas prohiberet. Qua non obſtante Sacellum Serui Dei inuiſere voluit, & votum fecit, ſe quotannis die eiuſdem tranſitus mendicum aliquem cibaturum; moxque iterùm de præfata aqua bibens, perfectè conualuit.

18 Ioannes Sanchez de Mombeltran vulnus in manum recepit, à quo nerui inſciſi periculoſum vitæ eius ſtatum ex inflammatione fecerunt. Vxor itaque Franciſca Gomez, de caſu mariti afflicta, pro eius ſalute S. Petro de Alcantara ſe vouit, velle cum marito ſepulchrum Sancti adire: Inſuper cum aqua ex eius reliquia manum lauit, & ſtatim eandem mouere vidit, nec cicatricem aliquam vulneris remanere. Quo inſigni ſucceſſu valdè in illo loco, deuotio Serui Dei promulgata fuit.

19 Alphonſus Sanchez de Xara, qui morabatur in Pago Guiſando; gregem ingentem caprarum alebat, quarum occulta infectione plurimæ peribant cum magno Domini detrimento, ac dolore. Die quadam occurrerunt ei duo Fratres Diſcalceati, qui authores fuerunt; vt ad Conuentum mitteret pro aqua illa miraculoſa reliquiæ S. Petri de Alcantara, qua aſpergeret infectas: Promptiſſimè obedijt Alphonſus, & cum fiducia in Sanctum, aſperſit ſic; vt ceſſante morbo, impoſterùm gregem ampliùs non infeſtaret.

Digitized by Google

De miraculoſis ſucceſſibus, qui ex apparitione S. Petri euenerunt; aut eius ſola interceſſione. Item ex ficu, quam plantarat, eiuſque fructibus. Cap. VIII.

1 D. Auguſtinus Nauarrus Burena Eques Ordinis Militiæ Sancti Iacobi, ex Ciuitate Calatayud; graui morbo in Germania affectus, valdè periclitabatur. Hinc quadam nocte S. Petrum de Alcantara ſuum ſingularem Aduocatum deuotè inuocans; ab ipſo ſibi apparente certior factus fuit, ſe ex hac infirmitate nequaquàm moriturum: Quod quidem ſic euenit, cùm contra omnium expectationem, ipſe intra breuiſsimum tempus integerrimè conualuit. Non longo poſt tempore, idem à Rege Catholico Philippo IV. piæ mem. Medio lanum miſſus; indè Secretarius Status, & Belli apud Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ Leopoldum deſtinatur: Dum autem in quadam nauigatione verſus Hiſpaniam, ipſe ex naui horribili tempeſtate concuſſa, in mare eijcitur, intima cordis deuotione ſe S. Petro commendabat. Qui viſibiliter apparens illi per brachia ex vndis in ſaluum extrahit, vlteriùſque ſecurum reddit neminem ex ſuis periturum; ſed conditionem addidit, vt pro accepta gratia, ſolemne feſtum in perpetuum dedicaret celebrandum in aliquo Conuentu ſui Inſtituti: Monuit inſuper, ipſum moriturum quadam die infra ſui feſti Octauam, quemadmodùm ſucceſſit Anno 1656. Madriti, vbi diem extremum clauſit. Hoc miraculo inductus, Capellam Sancto dicauit in Calatayud, & dotauit tantis ſumptibus, quot ſufficerent celebrando feſto eiuſdem cum magnificentiſſima pompa.

2 In vita Venerabilis Serui Dei Patris Didaci de Vera Prouinciæ S. Pauli Diſcalceatorum olim Miniſtri, & totius Ordinis Minorum Diffinitoris generalis refertur; quòd cùm Romam aliquando pergeret timens, nè addita pedum nuditati, & infirmæ ſuæ valitudini grauiſſima (qua laborabat) febris ipſum à tanta peregrinatione retardaret; à

Sanctis

Sanctis Petro de Alcantara, & Thereſia de Ieſu (quibus deuotiſſimus erat) humiliter petijt, vt ipſi à Deo ſufficientes tam longo itineri, vires impetrarent. Exauditus pro ſua deuotione Didacus, eos ſibi viſibili ſpecie apparentes inſpexit, ſibique benignè dicentes audiuit; nihil timendum eſſe; non defuturum ipſi Dei auxilium, fœlicem itineris ſui finem conſecuturum; licet non penitùs reſtituta eius corpori ſanitate. Diuinæ namquè voluntatis eſſe, vt impoſitam obedientiæ legem, in doloribus, & infirmitatibus adimpleret.

3 Maria Velaſquez febri peſtilentiali ad agoniam redacta, à Medicis derelicta, & Sacramentis Eccleſiæ receptis, mortem operiebatur: Cùm repentè lecto exiliens, ſtupentibus omnibus adſtantibus dixit; vt recederent ad quietem, quia per Dei gratiam, & interceſſionem S. Petri de Alcantara benè habebat. Sed vlteriùs de modo interrogata reſpondit; dum animam ageret, ex corde Seruo Dei ſe commendaſſe, qui apparens ſibi os aridum quadam aqua miraculoſa repleuiſſe, qua non ſitim modò; ſed & febris ardorem extinxiſſet. Vocati igitur Medici miraculi experientiam comprobando, latè famam rei, ac Sancti gloriam ſparſerunt.

4 Catharina Rodriguez de Arenas, inflammatione faucium anguſtiata, nec cibum capere poterat, nec quietem: Vndè quadam nocte vehementiùs oppreſſa, domeſticorum auxilio fruſtrà adhibito, ſola S. Petro de Alcantara inſtantiùs ſe commendat; vt ſuccurreret. In oratione igitur obdormiens, per viſum ſibi apparuit S. Petrus cum S. Franciſco, ingenti ſplendore cubiculum illuſtrantes: Illi verò quærentes quid à ſe peteret; reſpondit, *ſalutem*: At ipſe, *à Patre Sancto Franciſco petas; vt certò tibi à Domino impetret*: Nec mora quin in eodem puncto mulier perfectè ſanata, omnibus notis ſuis admirationem maximam afferret.

5 Ioannes Rodriguez Monteſinos de Arenas, iter faciens per quaſdam anguſtias, quas de Arenas nuncupant; vbi nebula, vento, ac niuibus infeſtatus, ęgrè ad culmen

montis penetrabat. Hic iterùm vtrimque niuibus obſeſſus, pro auxilio Sanctum ſuum Aduocatum S. Petrum de Alcantara ardentiùs compellat: Et ecce quòd vidit eundem præcedentem ſibi, per medium niuium, ſemita quadam nuper aperta; dum per tres menſes, nullus illàc hactenùs tranſijſſet. Ipſe verò nullo aut ventus, aut nebulæ incommodo, viam perficiens: beneficij magnitudinem, gratijs humillimis ſemper recoluit.

6 Bernauela de Figeroa vxor Ioannis Rodriguez Ciuis Toletani, ex febri maligna vitam deſperabat: Vndè Sacramentis perceptis, duos Religioſos ex Conuentu Diſcalceatorum aduocari fecit; qui animam Deo commendarent. Hi itaque cùm aduenissent, monuerunt ægrotam; vt S. Petro ſe in corde commendaret, & aquam ex eius reliquia bibendam propinarunt: Hac autem accepta obdormiens mulier, poſt horæ quadrantem euigilans, vocauit Matrem, ac materteram voce ſonora, dicens; *D. Mater, Sanctus Religioſus (cuius hæc eſt reliquia) mihi adſtitit prope hunc lectum eo ſplendore, ac pulchritudine, quam optaſſem, quod vidiſſes.* Indè accurrentes cæteri omnes, clamare cœperunt miraculum, miraculum; ægramque ſudore aſperſam, ac à febri liberam inuenerunt.

7 Franciſca Ponze vxor Ioannis Ximenez Oppidi Algarobillas, Anno 1628. febrem malignam patiebatur, cum acceſſionibus mortalibus: Seruabat autem fruſtulum ligni ex ficu, quam S. Petrus de Alcantara plantauerat in Conuentu Pedroſi, quod aquæ ciato intingere iubens, ſtatim magna cum fiducia, ac deuotione ebibit. Quo facto mulier incolumis euaſit; & quod admirandum videbatur: aridum illud lignum reuireſcens, globulum fici inſtar produxit, plurimique ex eius aqua ſalutem hauſerunt.

8 Maria à Sancto Ioſepho Tertij Ordinis Sancti Franciſci, apud ſe ſeruabat partem ficus S. Petri longitudinis vnius palmi, ſed ſubtilem. Hanc rogauit ipſa, vt villicus quidam en area domus ſuæ plantare vellet; quia confidebat in ficũ uaſuram: At villicus ligni conditionem, ac hyberni temporis

poris importunitatem adducens, impoſſibilem & ineptam plantationem arguebat; mulier verò ſpei ſuæ, ac deſiderij cauſas replicans, tantùm effecit, vt particula illa defoderetur; quam ſequenti Martio menſe radices egiſſe, folia emittere, atque vt cæteras ficus creſcere non immeritò obſtupuit. Hæc poſteà in Conuentum Diſcalceatorum transplantata, eiuſque fructus, multorum infirmitatibus ſalubres adhuc, continua experientia celebres, omnium deuotioni exibentùr.

9 Religioſus quidam Prædicator in Conuentu Diſcalceatorum B. Virginis de Cardillexo, febribus magnis vltra duos menſes tenebatur, ex quibus inter alias acceſſiones, hoc patiebatur; quòd poſt multas horas, cibum indigeſtum regurgitaret, & quòd Medicus perperàm curando, malum cum periculo vitæ augeret: Hinc conuenientiùs ſibi ducens, pulueres quoſdã ex ficu S. Petri ſumere, eoſdem à Guardiano petijt, ac Sancto ſe deuotè commendauit, vouens ſe eiuſdem imaginem ſemper habiturum prope lectum; & aliquot preces quotidiè recitaturum; ſi ſalutem ſibi redderet; aut bonam mortem, prout expediret magis; concederet. Indè ſumpta aqua cum immixto puluere, cœpit intra ſe hecce ruminari; *vtinam Deus vellet me pro ſuo ſeruitio iterùm ſanitate donare: Vtinam talem euacuationem habere poſſem, vt nihil humoris maligni, ex quo patior, remaneat.* Alia inſuper multa mente reuoluebat, quæ infra breues horas omnia ſibi proſperè eueniſſe, poſteà Religioſis narrauit cum ſumma Sancti veneratione; cui id acceptum ferre, ſe ingenuè fatebatur.

10 In Ciuitate Legionis deuotiſſima S. Petri de Alcantara infirmabatur benefactrix quædam Fratrum, cognomine Bayarda; cui mors finem accelerabat. Quod cùm à duobus Fratribus Guardiano nunciatum fuiſſet, remiſit eidem ex puluere fici; quibus illa acceptis, integrè conualuit.

11 Benedictus Ximenez Ponze ex Opido Garouillas; digitum habebat vlcere peſſimo infectum; vt Chirurgi inſcidendum iudicarent: Sed infirmus inſciſionem expaueſcens,

facilio-

faciliorem à S. Petro de Alcantara curationem expectabat. Itaque Conuentum Pedroſi accedens, ſuper Altare, quod in cella (quam habitarat Sanctus) erectum erat, digitum poſuit orando deuotè; vt ſe à Chirurgorum manibus liberaret: Poſteà domum reuerſus, Medico, & Chirurgo digitum faſcijs obligatum præbens curandum; ab ijſdem ſine vlla cicatrice inuentus eſt ſanus, ex ſolo illo contactu Altaris, quem fecerat.

12 Licentiatus Michael Hernandez de Valuerde, ex quadam infirmitate extrema patiebatur; cùm ei Clericus quidam amicus, medium ficum ex arbore S. Petri de Alcantara comedendum offerret: Quo accepto meliùs ſe habere ſentiens, pro gratijs feſtum in Conuentu Manxarretes celebrādum, magnificè parauit. Illùc itaque Patrem, ac propinquos conducens, tantos vltrò conueniſſe inuenit; vt vix tertiæ parti ſufficere cibaria præparata viderentur, prout iuramento firmauit: At nè cœleſtia priùs quærentibus, temporalia deeſſent, prouidit Sanctus; vt multiplicando præparata, multæ reliquiæ ſupereſſent, quæ omnium deuotionem, & admirationem elicerent.

13 Martinus Carrero ex Pago de la Deheſa, benefactor Fratrum S. P. Franciſci, decumbebat febri, & gutturis inflammatione, propter quàm duobus diebus vix ſputū emittere poterat, aut aquam bibere: Ideòque ſummo ardore conſumebatur. Acceſſit intereà Religioſus quidam ex Conuentu de Areualo, qui infirmum percontatus; an deuotionem aliquam ad S. Petrum de Alcantara haberet? Cui ille nunquàm tali Sancto ſe commendaſſe reſpondens, admonitus fuit; vt ſe eidem ſeriò nunc commendaret, & nouenam cum fiducia ſalutis voueret, quò citiùs interceſſionis beneficium obtineret. Indè vas aquæ expoſtulans Religioſus, crucem quandam ex ficu S. Petri de Alcantara immittens, bibendam ęgroto exhibuit: Qua hauſta ſine difficultate, ouum etiam ſorbuit, & cætera omnia (quæ guſtanda dabantur) facilè inglutiebat; ita quòd ex illa hora tam gutturis inflammatio, quàm febris ardor infirmum penitùs deſeren-

ferendo, ad reddendas Liberatori ſuo gratias, liberum, ſanumque relinquerent.

14 Incolæ Oppidi de Arenas afflicti, valdè mœrebant de pluuia continua quinquaginta dierum; quæ à camporum cultura, cætterarumque ſuarum rerum cura eos domi inutiles detinebat. Super quo conuocato conſilio, decretum fuit; vt Proceſſio fieret geſtando corpus S. Petri de Alcantara, quò Deum placarent: Vix in publico comparuit ſacrum pignus, quòd viſæ ſunt nubes aquis grauidæ diſſipari, & Sol ſerenus vniuerſi Populi mentes ſerenare; quò confidentiùs laudes Serui Dei, eiuſque fauores ſonoris vocibus decantarent; cui miraculo ſubſequentis diſparitas decorem augebit.

15 Anno 1664. idem Oppidum Arenarum, eiuſque vicinos campos diuturna ſiccitas affligebat; ita vt aruis, paſcuiſq; ſterilitatem indixiſſe videretur. Vndè Ciues natiua, patriaque deuotione, ac fiducia S. Petrum acclamando, eius auxilium tam ingenti neceſſitati opportunum exiſtimantes implorandum, deliberant; ſtatuuntque die Dominica infra Aſcenſionem Domini, ſacra oſſa (quæ apud ſe ſeruari magna veneratione gaudebant) in publicum deferre, quò eius patrocinio diuina Clementia ſolemnius exorari valeret: Itaque deſtinata die mirandum contigit, cùm ſacrum pignus reuerenter ſuper primorum humeros in publicum delatum, obſcurari cuncta nubibus videbantur; quæ priuſquàm Proceſſio deſtinata loca circumijſſet, ingentem imbrem emiſiſſe, atque vltra octingentos homines (qui illuc conuenerant) tã ſingularis beneficij participes, ac teſtes fuiſſe publico Inſtrumento innotuit. Exaudiente Domino preces Seruorum ſuorum, quibus poteſtatem etiam dedit Cœlos clauſos aperire, & terram fructibus ſuis fœcundare.

16 Fr. Didacus de Arenas, adhuc puer vndecim annorum, de nuce in terram cadens, ægrè corpus contudit; & femur ligno quodam præacuto transfixit: Timens itaque de morte, ex corde auxilium S. Petri inuocauit; & per tres horas, ſine alicuius ope, in terra remanſit. Poſt has à qui-

buſdam

buſdam aduenientibus domum reductus, à Chirurgo ſine læſione inuentus fuit; nec ipſe dolorem aliquem exindè ſentijt.

17 Idem quaſi euenit Ioanni Ximenez, qui ex arbore (quam aſcenderat pro ramis quibuſdam ſecandis) non pronus in ſubiecta ſaxa, ſed rectus in terràm ſine offenſa decidit, idquè inuocando auxilium S. Petri de Alcantara, cui beneficium acceptum tulit, gratias reddendo;

18 D. Aloyſa de Villagra, quæ habitabat in Pago Mõbeltran febribus agitata, nullo remedio curari poterat. Memor itaque alterius gratiæ à S. Petro de Alcantara receptæ, eidem ſe vouit; ac viſitando eius ſepulchrum, ibi confeſtim ſanitati reſtituitur.

19 Maria Gonzalez de Arenas, vltra annum quartanam duplicem patiebatur, ſine aliquo leuamine; vndè quadem die fiducia erga S. Petrum excitata, nudis pedibus ad Eccleſiam Sancti Andreæ Diſcalceatorum, viam ingreditur. Erat tunc frigus intentius, & eunti dolores cum difficultatibus augebat; ita vt media quaſi via ſubſiſteret. At ſpe animata proſequebatur, quodcumque incommodum patientia ſuperare; vſque dum ad Sacellum Sancti poſt breuem orationem, ſanam ſe, ac vegetem mirabiliter inueniſſet.

20 In Conuentu Patrum Diſcalceatorum Ciuitatis Legionenſis, laborabat per aliquot dies quidam murator ex montibus. Hic à febribus impeditus, operis ſui lucrum familiæ ſuæ ſuſtentationi afferre vlteriùs, propter debilitatem nequibat: Itaque rediens ad Fr. Martinum à S. Ioſepho tunc Guardianum illius Conuentus, Miſſam in Sacello S. Petri de Alcantara celebrari expetijt, cui ipſe intereſſet, commendans ſe iuſdem ſolitis fauoribus, quos à plurimis audierat. Poſt auditum Sacrum acceſſit ipſe ad Guardianum, quem cum Nobili quodam in Clauſtro inuenit; præ gaudio exultans dixit; *Pater, ſcias me, dum in Sacello Sancti orarem, acutum quendam dolorem in vno humero ſenſiſſe; mox in me reuerſum, nunc ſanum, optimèque habentem, gratias tibi maximas pro charitate reddere.* De

De nonnullis laborantibus dolore lateris, vrinæ, canceris, & ſimilibus; qui interceſſione S. Petri de Alcantara ſanitati reſtituuntur. Cap. IX.

1 IOannes Martinez Spina, captus fuit adeò vehementi lateris dolore; vt deliquium pateretur. Quod aduertens eius frater, reliquiam quandam S.Petri (quam penes ſe habebat) appoſuit patienti; ex quo obdormijt; indèque euigilans, ſanatum ſe agnouit.

2 D.Menzia Daza eodem morbo fortiter vexabatur; vndè dum maritus eius quadam die S.Petri de Alcantara miranda legeret, ſpem concipiens aliquam etiam ſibi gratiam largiturum; genua flectit, & viua fide Sancti interceſſionem apud Deum pro vxoris ſalute expoſcit. Statim obſeruauit eam ſuauiter obdormijſſe, & paulò poſt expergefactam, nullum vltra dolorem, aut incommodum pati.

3 Gabriel Lopez Arenis incola, quadam nocte acutis doloribus lateris percuſſus fuit; quibus inguinarum inflammatio acceſſit, quæ requiem auferebant. Poſtquàm verò varijs medicinis fruſtrà adhibitis, S.Petro de Alcantara ſe cum voto viſitandi eius ſepulchrum, obtuliſſet; ſtatim dolores euanuerunt cum inflammatione, & ipſe liberè officio ſuo perfunctus eſt.

4 Ioannes Sanchez Vaquero habitans in Pago Guiſando, dum quadam hyberna nocte inter ſuos prope ignem ſe calefaceret; doloribus intenſis, in terram vix non inanimis concidit. Quamobrem vxor cuiuſcunque remedij neſcia, magna fiducia, interceſſionem S.Petri de Alcantara compellat; factaque breui, ſed intenſa oratione, vidit maritum ſe erigere, & ſine vllo doloris ſenſu ſummas Sancto ſuo Patrono gratias agere; quem vxor inuocauerat.

5 Ioannes de Olmedo ijſdem doloribus per aliquot dies fortiter vexabatur, nec leuamen aliquod ex remedijs ſentiebat. Hinc applicans lateri quandam reliquiam S.Petri de Alcantara; quam vxor ſeruabat, ſanus confeſtim euaſit.

Digitized by Google

6 Maria Ximenez præ graui morbo, ac doloribus oppreſſa, per tres menſes ſui mouendi etiam in lecto impotens facta erat: Vndè emiſſo voto adeundi ſepulchrum S.Petri de Alcantara, ſtatim meliùs habere cœpit; & poſt quatuor dies baculo, ac filiæ innixa, ad Conuentum ſe tranſtulit. Vbi in Sacello Serui Dei orans, integrè liberata; vegetior nullo iuuante domum reuerſa eſt.

7 Chriſtophorus Martinez Salzedo incola Mombeltrani, varijs corporis doloribus agitabatur, quibus per octo dies fruſtrà remedia quærebat; vſque quò ſecum ſtatueret, quo poſſet meliori modo, ad Conuentum Diſcalceatorum ſe transferendi. Illuc cùm ægrè perueniſſet, orationem aliquandiù in Capella S.Petri fecit, & tangi ſe reliquia eiuſdem deuotè expetijt: Quibus ritè expletis, in eodem puncto ſine dolore, aut alio impedimento; ſanus domum regreſſus eſt, & omnibus notis admirationem attulit.

8 Eliſabetha Morena vxor Iuliani Garzia, ex Oppido Alcolea, Diœceſis Toletanæ; per ſex annos ſine remedio, vrinæ difficultates patiebatur. Quadam die ab amica ſua perſuaſa; vt S.Petro de Alcantara ſe commendaret, & oleo lampadis eius ſe inungeret: Itaque ter ſymbolum recitans, promiſit ſe pedibus nudis Sacellum Sancti viſitaturam, & Miſſam celebrari curaturam ſequenti manè; dolores vltrà non ſenſit, ſed inter magnam ſanguinis copiam calculum magnitudinis oui anſerini emiſit; quem mediæ libræ pondere in manu geſtans, excurrit ad vicinos, & miraculum Serui Dei cunctis deuotè publicauit. Quod quidem id magis confirmari fecit, quod Chirurgi hanc petram naturæ viribus egeri non potuiſſe, conſtanter aſſeuerarent; ſicque infirma ſimul cum marito, voti debitum magna cum lætitia, Sancto perſoluere non diſtulerunt.

9 Maria Blaſquez filium habebat vndecim annorum, calculis laborantem; cui per ſex annos medicamina ſtudiosè adhibuit: Ipſe tamen moræ, ac infirmitatis pertæſus, cum magna fiducia ad S.Petri de Alcantara auxilium confugit, offerendo Miſſam, & peregrinationem ad eius ſepulchrum.

pulchrum. Mirum remedium, ſtatim ac ſe cum reliquia quadam eiuſdem contigiſſet; ſanus euadens, ad ſoluendum votum viæ ſe commiſit.

10 Franciſcus Gomez, qui habitabat in Oppido Sanctæ Crucis, Diœceſis Auilæ; per quatuor annos vrinæ moleſtijs torquebatur: Vndè Amita eius Iſabella Lopez commiſerando eidem, ſalutem eius S.Petro de Alcantara anxiè commendabat; vouendo ſe eiuſdem Sacellum cum munere viſitaturam. Domum ergo rediens, inuenit Nepotem doloribus liberatum, nec ampliùs ijſdem afflictum vnquàm vidit.

11 Hieronyma Garzia filia Ioannis Sanchez Garziæ, & Catharinæ Blaſquez; cancrum in ore alebat, qui maxillam quaſi corroſerat, & ideò à Chirurgis incurabilis habebatur: Quare Parentes eam interceſſioni S.Petri de Alcantara commendabant, cum voto viſitandi eius ſepulchrum. Mox cancer deſiccatus, infra breues dies ex toto iuuenem liberam reliquit.

12 D.Franciſcus filius D.Ioannis Benegaſi de Arenas, quatuor annorum; eodem morbo laborans, deſperabat de remedio. Quamobrem D.Maria de Meſcua eius Amita, pro ſalute Nepotis S.Petro de Alcantara votum fecit de portanda ad eius ſepulchum imagine cerea; & exaudita fuit.

13 Maria Sanchez, vxor Chriſtophori Martin Salſero ex Pago Mombeltrani, continuo dolore mamillæ ſiniſtræ torquebatur; ita quòd Chirurgi timerent, nè ſerpendo ad pectus, cancrum generaret: Vndè periculo exterrita, S.Petro de Alcantara anxiè ſe commendabat, cum voto. Quo quidem emiſſo; confeſtim liberam ſe, ac ſanam inuenit.

14 Ioannes de Cepeda, & D. Catharina de Baldenebro inconſolabiliter deflebant proximam mortem filiæ Mariæ duorum annorum: Itaque dum hæc in agone erat, Mater S.Petro de Alcantara votum faciebat de offerendo eius Conuentui tantum grani, quantum filia ponderis habe-

bat; ſi ſalutem recuperaſſet. Ex quo agonizans oculos aperire, & cibum guſtare cœpit, breuìque perfectæ ſanitati reſtituta fuit.

15 Franciſcus Montero, & Catharina Pezel filiam Mariam annorum quatuor, à longo tempore ægrotam habebant; cui Medicus vix dimidiæ horæ terminum viuendi prædixit. Vndè in planctum diffuſi Parentes, altioribus vocibus patrocinium S.Petri de Alcantara confidentiùs inuocant, & peregrinationem ad eius ſepulchrum vouent; ſtatim puella meliùs habere, & breuì integrè conualeſcere viſa, Liberatori pro gratijs oblata, Parentum mœrorem in gaudia conuertit.

16 D.Maria de Frias ex Oppido Arenarum, annorum quatuordecim; per ſex annos febri ethyca conſummata, mori credebatur. At voto à Parentibus S.Petro de Alcantara oblato, tum à febri libera in inſtanti, tum ab omni morbi affectione poſt breue tempus immunis remanſit.

17 Franciſcus Gomez Guadalupe ex Mombeltrano, dentium cruciatu Eccleſiam Matris Dei accedere coactus fuit: Hic per integrum diem, ſine leuamine perſeuerans, S.Petri de Alcantara memor; oculos, ac voces in Cœlum extollens; *O Sancte Fr.Petre de Alcantara, ora pro me Deum*, exclamauit. Quo dicto, ſtatim dolor ceſſauit, paulò poſt ſanus domum reuertitur.

18 Catharina Sarauia de Arenas, coxendi in latere ſiniſtro ægrotabat, nec curari poterat. Quapropter remedium à S.Petro requirens, voto ſe viſitandi eius ſepulchrum obſtrinxit, ac confeſtim conualuit.

19 D.Anna de Salazar habitans in Mombeltrano, graui morbo ad mortem properabat, dum omnia funeri ducendo præparabantur, eius famula Dominæ ſortem commiſerans, ad Conuentum Fratrum Diſcalceatorum miſit, vt in Sacello S.Petri Miſſam pro infirma celebrarent. Itaque redeunte domum nuncio, cum ſumma lætitia, & admiratione agnouit ægrotam iuxta durationem Miſſæ, ſalutis etiam gradus recuperaſſe; & tandem optimè valere.

20 In

20 In Oppido de Areualo D.Barbara vxor Licentiati Vargas, à Medicis deſerebatur ob febrem malignam, quæ ipſam opprimebat. Acceſſerat fortè Guardianus Diſcalceatorum viſitandi vrbanitate, & vt S. Petro de Alcantara ſe commẽdaret ſuadebat: Ipſa autem de aliqua Sancti reliquia exquirente, protulit particulam baculi, & aquæ immiſit; vt ipſa biberet. Tam fauſto hoc omine ſucceſſit, vt infirma, obſtupeſcentibus Medicis, hauſta aqua; ſtatim omni febri, ac periculo liberata conſurgeret, & maritum pro reddendis Sancto gratijs ad Conuentum comitaretur.

De illis, qui per inuocationem S. Petri de Alcantara prolem obtinuerunt; & de alijs, qua ex partu periculoſo liberata fuerunt. Cap. X.

1 D. Clara Centuriona filia Marchionis de Monaſterio, per ſex annos prolem non habuit; propter quandam infirmitatem iudicatam incurabilem: Quadam vice acceſſit ſepulchrum S. Petri de Alcantara, & nouenam abſoluit. Ab hinc paucis diebus grauida facta, ſuo tempore fœliciter filiam peperit; quæ poſteà Marchioniſſa Monaſterij fuit, & propter gratiæ memoriam, filia S. Petri de Alcantara nuncupabatur.

2 Comes Pignorandæ, quia prolem non habebat, cum coniuge per viam longam nudis pedibus adijt ſepulchrum S.Petri Arenis exiſtẽs, ſupplicando; vt filios ſibi apud Deum impetraret. Nec diù, quòd vxor concipiens, maſculum fœliciter in lucem edidit; cuius effigiem, pro gratia ad Conuentum ambo detulerunt.

3 D. Petrus de Vega & Loayſa, & D. Maria Tuſiño Coniuges habitantes in Mombeltran; à ſexdecim annis ſine prole viuebant in magna mœſtitia. Ideò quadam vice, ſepulchrum S. Petri de Alcantara cum magna deuotione viſitarunt, & poſt nouem menſes filium maſculum obtinuerunt; cui pro beneficio, Petri nomen impoſitum fuit.

4 Ioannes à Ponte, & Angela à Palazios Coniuges nobili-

bilitate, & opibus conſpicui, in Oppido Corral de Almaguer; cùm per duodecim annos nullam prolem habuiſſent, S. Petro de Alcantara ſe vouerunt Altare erecturos, ſi liberos impetraſſent. Itaque expleto voto, prædicta Angela concipiens, debito tempore maſculum peperit; cui ob beneficium, Petri nomen inditum fuit.

5 In Oppido Empudia morabatur D. Alphonſus Gonzalez, Nepos Archiepiſcopi Sancti Iacobi, & de Burgos; quem accedens Religioſus quidam Diſcalceatus Prædicator, ob viri amicitiam de rebus familiaribus confidentiùs ſiſcitabatur. Ille omnium fœlicem ſtatum enarrans, de prolis carentia poſt octennij coniugium, vehementiùs conquerebatur: Ad quæ promptiùs reſpondendo idem Religioſus, tanquàm facile remedium ſuggerens, voto vtrumque Coniugem S. Petro de Alcantara obſtrinxit; videlicet vt qualibet die decima nona menſis Miſſam eidem offerrent, in eius feſto confitendo, ac comunicando, aliquibus egenis cibum, & eleemoſynam largirentur. Quod quidem cùm prædicti ſpontè præſtitiſſent, primum deuotionis ſuæ fructũ D. Alphonſus percepit; cùm in eiuſdem Sancti feſto à quodam catharro grauiſſimo liberaretur, à quo per aliquot mẽſes vehementes dolores paſſus erat: Dein cùm vxor eiuſdem poſt nouem menſes filiam pareret, quam ſæpè tanquàm ſuam S. Petro offerre ſolebat; & ipſa licet adhuc tenella, ſingulari deuotione Sanctum colebat. Vndè aliquando quartana laborans in die feſto eiuſdem Sancti ritè à Parentibus celebrato, ſanitatem recuperauit; & impoſterùm Sanctum domus ſuæ tutelam ſingularem gerere agnouit: Nam vltra præterita beneficia, alio anno eiſdem Parentibus filiũ maſculum Sanctus conceſſit; vt voti liberalitati, præmij munificentia reſponderet.

6 In Oppido Areualo Licentiatus Vargas cum vxore D. Barbara, ſummo ſtudio S. Petrum de Alcantara colebant; & ideò varios ab eo fauores impetrarunt: Inter alios autem afflicti de importuno deceſſu filiorum, qui quaſi omnes in faſcijs moriebantur; vouerunt ſe velle eos ex deuotione

Reli-

Religionis habitu induere, quàmprimùm annos pueritiæ attigiſſent. Quod poſtquàm ritè præſtitiſſent; impoſterùm nullus filiorum, immaturæ ſortis præda extitit.

7 D. Anna de Bazan Comitiſſa de Garzias, quatuor filios mortuos peperat; ideòque de altero (quem gerebat in vtero) valdè eandem ſortem prætimeſcebat. Quadam die viſitando Comitiſſam de Oropeſa, ab eadem perſuaſa fuit; vt confidendo meritis S. Petri de Alcantara, eiuſdem patrocinio ſe deuoueret integrius: Vndè deuota Domina conſilio ritè obediens, opportuno tempore, filium maſculum in lucem edidit. Hic poſt biennium infirmitate quadam ad extrema redactus, Parentibus nouæ deuotionis occaſionem, & Sancto noui beneficij materiam obtulit: Mater enim ad conſuetum patrocinium ſui Aduocati feriò confugiens, dum in Eccleſia Miſſam celebrari faciebat, nuncium accepit puerum contra omnium ſpem ſomnum cœpiſſe; & poſtquàm domum redijſſet, vidit integrè ab omni morbo ſanatum. Vndè adeò deuota ſemper S. Petro de Alcantara permanſit; vt deuotionis eius propagatrix ſtudioſiſſima fuerit, & poſt mortem corpus ſuum ab Aula Madritenſi, ad Conuentum Arenarum deferri, atque in Sacello Sancti ſepeliri teſtamento legauerit.

8 Gratia de Villalobos vxor Petri Gomez Macotela, habitans Arenis; in quodam partu difficili, de vita periclitabatur. Quare ad S. Petrum de Alcantara affectum eleuãs, eius cordam expetijt; vt periculo ſuccurreret. Hac itaque præcincta, facilè filium maſculum enixa eſt; qui ab omnibus pro mortuo habebatur: At vbi eum quoque eadem reliquia attigiſſet, in ſe reuerſus; Matri duplicis gaudij, & gratiæ motiuum attulit.

9 Idem contigit Petronillæ del Valle eiuſdem loci, quæ per quindecim dies doloribus partus anguſtiata, à vicino mortis periculo per contactum cordæ S. Petri de Alcantara liberata fuit.

10 Maria Blaſquez vxor Ioannis Gonzalez ex conſilio cuiuſdam amici corda S. Petri præcincta, fœliciter peperit; cùm

cùm periculoſa iudicaretur, & à Chirurgis aperienda. Vndè alia vice huius beneficij memor, S.Petrum de Alcantara inuocando; difficilem partum expeditiùs exonerauit.

11. D. Beatrici de Olmedo vxori Ioannis de Xuberaç, & Petronillæ del Valle coniugi Ioannis Martinez de Olmedo; ſicut & Mariæ Flores vxori Franciſci Gomez; omnibus in partu periclitantibus, S.Petri corda ac deuota inuocatio, & vitam, & prolem miraculosè donauit.

12 Maria Lopez vxor Didaci Gomez, & Catharina Ramos, diù cum morte pariendo luctabantur; cùm allata illis corda S. Petri, & parturientes fiducia interceſſionis eiuſdem animauit, & adhibita fœtu faciliùs expediuit.

13 Filia quædam Franciſcæ Blaſquez de las Cueuas, incipiendo fœtum eniti, vix animam exhalabat; cùm in tanta anguſtia, varios Sanctos inuocaſſet, & eius Mater nudis pedibus varias Eccleſias viſitaſſet: Tandem filiæ ſuaſit, vt ſe S. Petro de Alcantara ex corde commendaret; eò quòd hoc tempore varias ſuis deuotis beneficia præſtaret. Itaque dum parturiens affectu, Mater opere Sanctum inuocant: ſtatim ambæ exaudiri viſæ, deſiderij ſui effectum impetrarunt.

14 Mulier quædam Arenis; dum partui vicina febri acceſſione aggrauaretur; audito quodam beneficio per aquam ex reliquia S.Petri de Alcantara cuidam moribundo ex Arroio Caſtaño conceſſo, pro ea ad Conuentum citiùs miſit. Hac itaque ſumpta, mulieri Sanctum cum magna fiducia inuocanti, febris extincta eſt; & præſens periculum euaſit.

15 D.Anna de Buſtos & Zepeda in Oppido Tordeſillas, Caſtellæ Veteris degens; Anno 1631. maritum amiſerat, & paucis ab hinc diebus partus doloribus premebatur: Propter quos ex inuocatione cuiuſdam imaginis Beatiſſimæ Virginis de la Peña nuncupatæ, ab imminenti periculo liberata, fœtum edidit ſanum, & integrum; ſed cum tanta ſanguinis effuſione, & totius corporis commotione, vt quaſi viribus deſtituta periret ex Medicorum iudicio. Acceſſerat ad eam fortè conſolandam Guardianus Sancti Franciſci Diſcal-

ceatorum

ceatorum eiuſdem Oppidi, qui ſortis eius miſertus, varia pietatis conſilia ſuggerebat: Inter cætera verò ſuaſit, vt quolibet die decimo nono menſis, in honorem S.Petri de Alcantara Sacrum fieri curaret, & in eius feſto Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſe muniret; inſuper vt pauperes aliquos cibaret, & tandem aquam biberet, cui ipſe reliquiam Sancti intinxiſſet. Quibus cunctis ſummo affectu à deuota muliere approbatis, & aquam bibens, materiam quandam albam euomuit; quæ Medico præſenti, optimum indicium ſalutis miniſtrauit: Nec feſellit euentus, cùm ab illo puncto ceſſarent vomitus, cæteraque incommoda; vſque dum ægrota, intra paucos dies integrè conualuiſſet. Quadam igitur die cùm pro eadem viſitandà, fortè Medicus vnà cum Guardiano conueniſſet, à priori dictum fuit illam ſalutem ſuam meritò B.Virgini de Peña adſcribere debere; ab altero autem Dei Matri omnium Sanctorum interceſſiones adſcribi: Sed in illa occaſione videri eam voluiſſe Seruo ſuo S.Petro de Alcantara reſtaurandæ ſanitatis iſtius infirmæ gloriam relinquere; cùm à puncto acceptæ aquæ, & facti voti, illa morbi ſui integram mutationem experta fuerit. Ad quæ ipſa Domina, plurimùm ſe B.Virgini debere confeſſa, nullam de S.Petro mentionem faciebat; & ſic aliquantulùm Guardiano prædicto ingratitudinis ſuſpicionem concitauit: Vndè ipſe tunc ad Conuentum ſuum recedens, vix à ſe obtinere poterat; vt culpæ huius memoriam abſtergeret. Sequenti manè, cùm fortè ad prædicandum properaret, accedens quidam nuncius prædictæ Dominæ inſtabat; vt ſine mora ad eandem veniret, eò quòd priores vomitus, & ſanguinis profluuium ægrotanti redijſſent: Ad quæ hæſitans aliquantiſper Guardianus, quid factu opus; nuncium tamen celeri paſſu comitari elegit. Cùm ergo infirmam valdè afflictam inueniſſet, admiratus nimis cauſam exquæſiuit tam repentinæ mutationis: Illa verò, ingratitudinis ſuæ erga S. Petrum de Alcantara culpam liberè aſſignans, nouoque voto viſitandi eius ſepulchri ſpontè ſe obſtringens; aquam (qua priùs

 ſalu-

Digitized by Google

ſalutem impetrarat) iterùm dari ſibi obnixè ſupplicauit. Quibus auditis Guardianus infirmæ aquam ex reliquia exhibuit, & deuotionis feruorem rationum igniculis, aptiùs accendit. Hinc ægrota mox ad meliorem ſtatum reuerti; breuì poſt exoluendo voto, debilem ſe adhuc ad Conuentum deferri curauit. At verò vbi expleta nouena, perfectam ſanitatem recuperauit; ex tunc maximè Serui Dei præco feruentiſſima, & alijs ſalutis occaſio fuit promptiſſima, cùm multis ægrotis ſui remedij experimentum ſuggeſſiſſet efficaciſſimum.

De quibuſdam ægrotis à febre maligna ſanatis per S. Petri de Alcantara interceſſionem. Cap. XI.

1 D. Mariæ de Paramo habitanti Toleti, poſt febrem ſeptem menſium cum intenſis doloribus, puſtulæ quædam eruperunt; ex quibus Medici ægrotæ mortem præſagiebant. Eaprõpter de remedijs humanis deſperans, magnaque fiducia S. Petri auxilium implorans, aquam cum terra ex eius ſepulchro commixtam ebibit; & ſanitatem recuperauit.

2 Catharina de Strada Arenis habitans, febri maligna per viginti dies conſumpta, ex indicijs puſtularum mortem timebat; eò magis quòd Medicis deſerentibus, Sacramentis ſe munierat. Ideò affectuoſiùs ſe S. Petro de Alcantara deuouens de viſitando eius ſepulchro cum Miſſa; mox febri minutam, & poſt paucas horas perfectè ſanam ſe inuenit.

3 Ludouicus de Frias Arenis incola, poſt aliquot dies febri maligna aggrauatus, puſtulas emiſit; quæ periculoſum indicarunt. Eius Matertera D. Catharina de Frias, cum deuotione corda S. Petri de Alcantara cinxit eum; ex quo ſtatim puſtulæ euanuerunt, & febris eum totaliter reliquit.

4 Didaco Caluo annorum quindecim, habitanti Toleti; lethargo & febri oppreſſo, aqua ex reliquia S. Petri

ad bibendum oblata fuit; quæ eum febri liberatum, poſt tres dies perfectæ ſaluti reſtituit.

5 Ferdinandus Ochoa ex Mombeltrano, filium habebat eiuſdem nominis, quem poſt quintum diem febris maligna ex vomitu, & puſtulis, mortalem declarabat. Ideò Parentes ardentiùs S. Petri de Alcantara interceſſionem ſollicitando, obtinuerunt; vt die ſequenti infirmus ſine febri, & integrè ſanus illis redderetur miraculoſiùs.

6 Catharina Gomez de Mombeltrano, maritum Ioannem Fernandez Montero, febri maligna ad extrema redactum habebat propter plurimos vomitus, deliria, ac cordis palpitationes. Quamobrem Medicorum conſilijs deſtituta, interceſſioni B.Patris ſe commiſit; & ex aqua eiuſdem marito propinauit, cui idem votum de viſitando eius ſepulchro emiſit. Confeſtim igitur febris eum dimiſit, & breuì reddendo voto exurrexit. Simile beneficium S.Petrus filio eorumdem Ioanni præſtitit; cui poſt ſeptem menſium ardentiſſimam febrem, ſalutem contulit ſalutaris aqua.

7 Filius D.Marianæ de Fonte, ex febri maligna mori videbatur; cum Mater omni humana ope neglecta, ad S.Petri patrocinium confugit: Nam quadam eius reliquia aquam benedicens, filio cum fiducia bibendam exhibuit. Qua in multorum præſentia hauſta, infirmus ijſdem obſtupeſcentibus, ſanus ſurrexit.

8 Quædam filia Mariæ Romanæ, & Alphonſi Gomez de Pago Sancti Stephani, annorum duodecim; febri acutiſſima grauiter affligebatur. Vndè poſt aliquot dies præ dolore lachrymas fundens, Matrem ad has voces prouocauit: *Filia quid à me vis? Vnicum tibi remedium ſperandum reſtat à glorioſo Patre Petro de Alcantara; cui ex intimo cordis te commenda.* Mox aquam ex Sancti reliquia porrigens, reliquit puellam ſuaui ſomno ſopitam; vt ad duos alios plangentes paruulos accurreret: Euigilans verò infirma, cognouit ſe ſine febri meliùs habere; & Medici iudicio, gratia S.Petri mirè ſanatam.

9 Doctor Andreas Herrera Toletanus, diù febri con-

tinua vexatus; tandem à Medicis iudicatus fuit, à maligna liberari non poſſe: Tunc D. Ludouica eius ſoror, pro reliquia S. Petri de Alcantara ad Conuentum Patrum Diſcalceatorum miſit: & cum ea fratrem, & aquam ſignans, agonizantem quoque aſperſit. Mirum dictu, quòd ſtatim oculos aperuit, loqui cœpit; & ſenſim, quaſi nunquàm ægrotaſſet, inuentus eſt ſanus.

10 Maria de la Xara, ardenti febri laborans, aquam è reliquia S. Petri de Alcantara auidè ac deuotè hauriens, incontinenti libera, incolumiſque ſurrexit.

11 Filia quædam Iſabellæ Gonzalez de Arenas, annos tres nata; ex ardentiſſima febri, etiam nauſeam omnis nutrimenti contraxerat ſic, vt Parentes de ſalute filiæ deſperantes, ad præſidium S. Petri de Alcantara confugerent, promittendo illam ad eius ſepulchrum conducere. Oratione peracta, viderunt moribundam ad ſe reuerti, & paucis poſt diebus cum Matre, voti ſoluendi cauſa exurgere.

12 Franciſcus, & Ludouica Zenteño, habitantes Toleti; ambo febri peſtilentiali ad vitæ vltimum redacti fuerunt: Acceſſerat tunc fortè Guardianus Patrum Diſcalceatorum, qui partem baculi S. Petri de Alcantara ſecum afferebat, qua vtrumquè tangendo ſuaſit; vt ſe B. Patris interceſſionibus commendarent, & vlteriùs aquam (quam eadem reliquia ſignauerat) confidentiùs biberent. Admirabile omnibus viſu, poſt aquam hauſtam febris defecit, & virtutis Sancti gloria quàm maxime aucta fuit.

13 Maria Rodriguez de Mombeltrano, filium ſeptennem habebat; quem febris peſtilentialis in extremis conſtituerat. Et Mater fide, ac animo conſtantior, voto ad S. Petrum de Alcantara emiſſo, obtinuit illum à præſenti periculo expeditiùs cum omnium admiratione liberari.

14 Didacus Caluo in Ciuitate Toleti, in extremis propter febrem peſtilentialem laborabat; ita quòd dum illi animæ officia præſtarentur, Guardianus Diſcalceatorum cubiculum ingrederetur, & reliquiam S. Petri afferret; Hanc agonizans manibus premens, ſe deuoto animo eidem

offere-

offerebat, & aquam eius contactu benedictam auidiùs bibit. Ex tũc viſus eſt per totum corpus ſudor copioſus erumpere, per duas horas continuas, ex quo valdè declinans morbus, breui integrè cum omnium congratulatione receſſit; qui mortuum iam deflebant.

15 In Oppido Sanctæ Crucis Thomas Velaſquez poſt quindecim dierum febrem grauiſſimam, quadam die præſente Medico, acceſſione quadam mortali expirare iudicabatur. Quapropter ægrotus apud ſe votum faciens S. Petro, ſpiritum recepit; & non longè poſt, ſanus ad ſepulchrũ eius gratias exſoluit.

16 Didacus Lopez barbitonſor, habitans in Pago Arenal; cum febri acuta, delirium patiebatur. Vndè eius Parentes aquam ex reliquia S. Petri de Alcantara offerendo, & à delirio ſtatim, & à febri poſt paucas horas integrè liberarunt.

17 Ioannes Baptiſta Pagnoncellus Faber lignarius Romę, febri maligna correptus, ſeptima die morbi erat morti proximus, etiam ad obitũ irreuocabili conſtantia currebat; ideòq; poſt tres dies manſit cadaueri ſimilis ſine vllo pabulo, ſic ab omnibus deploratus. Deindè ſine vlla ſenſibili euacuatione præmiſſa à natura in tali ſtatu, ex inuocatione S. Petri de Alcantata petijt alimentum, & inuentus eſt ſine febre, ac alio ſyntomate, frui meliori valetudine quàm anteà. Atteſtante hoc ipſum huius patientis Medico ordinario, Ioanne Antonio Anconello Anno 1668.

18 P. Didacus Romanus Religioſus Sancti Franciſci, Diffinitor & Commiſſarius Prouincialis Romanæ Prouinciæ in Conuentu Ara-cœlitano ętatis annorum 45. adeò ſe viſcerum palpitatione torqueri ſentiebat; vt nec cibum, nec ſomnum, nec in lecto quietem capere valeret. Vndè videns ſe in vigilia S. Petri die 18. Octobris vltra ſolitum his cruciatibus grauari; quos Infirmarij iudicio ægrotum ad mortem cogere poſſe, ſi ſequenti nocte continuarent, omnes pertimeſcebant: Vocatis itaque quibuſdam Religioſis amicis, rogabat eos inſtantiſſimè; vt ipſum S. Petro de Alcantara

tara

tarā commendarent. Dum autem illi in Sacello Serui Dei orationi inſtant, ægrotus ſuper lectum muro acclinatus, & ſenſim obdormiens, tota nocte ſuauiter requieuit: Manè verò proximo totum extenſum ſe videns, mirabatur omni dolore liberatum fuiſſe; ita vt conſurgens, ad Sacellum Sācti pro Sacro faciendo, gratulabundus accedere poſſet.

Ex Proceſſu facto pro Beatificatioue, & Canonizatione S. Petri de Alcantara plurimæ gratiæ cōſtāt;quę factæ fuiſſe legūtur plurimis,qui patrocinij eius pro diuerſis beneficijs impetrādis exquæſierūt,& in ſignū gratitudinis vota ad eius Sacellum appenderunt, quarum hic mentionem omiſimus.Vndè ex ijſdem, alijſque multis miraculis à Seruo Dei patratis, Gregorius XV. Anno ſalutis 1622. ad inſtantiam Regū Catholicorum Philippi III. & IV. ritè peracto ſolito examine; Beatorum numero S. Petrum de Alcantara adſcripſit, & tanquàm de Confeſſore non Pontifice, Miſſam quotannis celebrari pro die eiuſdem obitus, benignè indulſit.

19 Panormi in Sicilia Anno 1633. feſtum Sancti Petri de Alcantara cum ſumma pompa per octo dies à Prorege, & Illuſtribus Regni celebrabatur. In quo vltra apparatuū, & eleemoſynarum magnificentiam, ac largitionem, quam ſinguli Procerum magnis ſumptibus exhibebant;Sancti quoque virtus (diuina operante gratia) illuxit in eo, quòd aliquot beneficia tunc præſtitiſſe obſeruatum fuerit.

Imprimis quidam Eccleſiam adornans, ſcalæ gradu ſub pondere infracto, ab alto in terram præcipitabatur; ni miraculosè tali alteri gradui adhærens, vſque dum ſuccurri poſſet, in aere remanſiſſet.

Dein infra Octauam cæcus quidam miſerabilis diligenter Sacra frequentans, ac Sancto ſe commendans, cum omnium ſtupore, agnitus fuit viſum recepiſſe.

Puerulus quidam fortè ſub curru conculcatus; mirabiliter ab omni periculo præſenti euaſit.

Filius Secretarij Antonij de Herrera omni humano remedio deſtitutus,à Matre deuotiſſimè S.Petro de Alcantara cōmenda-

mendabatur.Indè quadam eius reliquia puerum tangens,& aquam intinctam propinãs; breui ad optimam valetudinem ex imminenti morte reuocatus videbatur, vt Sanctum glorificaret notabiliùs.

20 In Aula Madritenſi quotannis dies S. Petri de Alcantara ſolemni pompa per octiduum celebrari ſolitus, totius Nobilitatis concurſu, ipſarumque Regiarum Maieſtatum præſentia, auguſtior redditur. Ibi enim in Conuentu Regali S.Aegidij Diſcalceatorum ſanctiſſimo Sacramẽto patente, Muſica, ac panegyricis Oratorum inſignium S. Petri laudibus magnificè lætatur; Deo interdum etiam propter Serui ſui merita, beneficia ſingularia deuotis largiente.

Eundem quoque ſolemnem cultum prędicto Sancto in ſuo die quotannis exhibere conſueuit præclara Ciuitas Calataiud; vbi Clerus, ac Populus cum Regijs Miniſtris publica proceſſione ad Conuentum Fratrum Obſeruantum Sãcti Franciſci eiuſdem Ciuitatis numeroſior conuenire ſolet. Tunc in Capella S. Petri de Alcantara à Doctore Auguſtino Nauarro Burena Equite Sancti Iacobi ad hunc effectum dotata, eiuſdem Sancti feſtiuitas sũptuosè peragitur in memoriam perpetuam cuiuſdam beneficij, eidem Fundatori præſtiti; cuius mentionem fecimus copioſam hoc libro cap.8. num.1.

Beati-

Beatificatio Serui Dei Fratris PETRI DE ALCANTARA

Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Diſcalceatorum, Fundatoris Prouinciæ S. Ioſephi in Regno Caſtellæ.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei Memoriam.

IN Sede Principis Apoſtolorum nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis à Domino conſtituti, pijs fidelium votis, quibus virtutum Dominus in Seruis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimur opportunis. Cùm itaque inſtantibus non ſolùm claræ memoriæ Philippo III. & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo IV. Hiſpaniarum Regibus Catholicis; ſed etiam ferè omnibus Hiſpaniæ Regnis, Venerabiles Fratres noſtri S R.B. Cardinales ſacris Ritibus Præpoſiti; de mandato noſtro cauſam Serui Dei Petri de Alcantara, Ordinis Minorum ſtrictioris Obſeruantiæ Diſcalceatorum nuncupatorum, ac Prouinciæ Sancti Ioſephi eiuſdem Ordinis Fundatoris, iuxta ſeriem relationis trium cauſarum Palatij Apoſtolici Auditorum ad affectum Canonizationis pluriès examinauerint, ac multis deſuper habitis ſeſſionibus; referente dilecto filio noſtro Marco Antonio tituli Sancti Euſebij, Presbytero Cardinale Gozzadino nuncupato, pleniſſimè conſtare de validitate proceſſuum, fama ſanctitatis, fidei puritate, cæteriſque virtutibus non ingenere ſolùm, ſed etiam in ſpecie reliquiarum, ac ſepulchri veneratione, plurimiſque tandem miraculis pronunciauerint, cenſuerintque poſſe Nos quandocùnque voluerimus, eundem Dei Seruum iuxta Catholicæ Eccleſiæ ritum, Sanctum, atque in Cælis regnantem declarare, omnibuſque fidelibus

Digitized by Google

delibus ſolemni Canonizatione proponere venerandum: Prædictus verò Philippus IV. Rex, & dilecti filij Miniſter generalis, & Fratres Ordinis prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerint; vt donec ad Canonizationem dicti Petri deueniatur, idem Petrus Beatus nuncupari, ac de eo tanquàm de Confeſſore non Pontifice, Miſſam, ac Officium (vt infra) celebrari, & recitari reſpectiuè poſſit, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ſupplicationibus huiuſmodi inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio; vt idem Dei Seruus Petrus de Alcantara impoſterùm Beatus nuncupari, atque de eo tanquàm de Confeſſore non Pontifice die xix. Octobris, qua ipſius obitus memoria celebrabitur, vbique Terrarum ab vniuerſa Religione Minorum Obſeruantum vtriuſque ſexus reſpectiuè Miſſa celebrari, atque Officium recitari poſſit: In Oppido verò de Alcantara illius Diæceſis, vbi natus; atque in altero de Arena i Abulenſis Diæceſis, vbi corpus eiuſdem requieſcere accepimus, omnibus tàm Regularibus, quàm ſecularibus Clericis, ſub ritu tamen ſemiduplici, idem omninò liceat; ac demùm in Prouincia prædicti S. Ioſephi, cuius Auctor extitit, ab ipſis dicti Ordinis Diſcalceatorum Fratribus etiam cum octaua (veluti de Patrono) Officium pariter, ac Miſſa iuxta Breuiarij, ac Miſſalis Romani rubricas celebrari poſſint Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem; vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die xviij. Aprilis 1622. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

De his, quæ Beatificationem S. Petri conſecuta ſunt.
Cap. XII.

POſtquàm S. Petri merita non humano tantùm iudicio, ſed & Diuino Sedis Apoſtolicæ oraculo, Beatitudinis laureola condecorari meruiſſent; creuit adeò continua Populorum deuotio non ſolùm in celebranda feſtiuitatum eiuſdem ſolemnitate cum magnificentia: Sed & propter percepta à Beato quotidiana non minùs quàm notabiliora beneficia, feruore ſingulari accendebatur ad promouendam eiuſdem ſolemnem Canonizationem. Hinc imprimis Epiſcoporum, Principum, Ciuitatumque totius Hiſpaniæ iteratæ ſupplicationes ab Apoſtolica Sede Proceſſus formationem elicuerunt ſuper his, quæ poſt Sancti Beatificationem publico teſtimonio contigiſſe vulgabantur; ita quòd ſuper Proceſſu quodam Madriti, ac Arenis compilato Anno 1647. Romæ à Sacra Rituum Congregatione præuio ſolito examine ad Sanctiſs. tunc Dominum Papam Innocentium X. relatum fuerit conſtare de quibuſdam miraculis, quorum fides à Decreto etiam coram Sanctiſſimo die 8. Martij 1650. ſtabilita fuit.

Intereà coruſcantibus in dies Sancti meritis nouo prodigiorum ſucceſſu, inſtantiùs apud Innocentij Succeſſorem Alexandrum VII. piæ mem. de totius Cauſæ determinatione repetitæ ſupplicationes perſeuerarunt: Propter quas reaſſumptis iterùm omnibus ac maturè expenſis, pro grauitate negotij, ac fidelium pietate, atque deliberando peruentum fuit; vt annuente præfato Summo Pontifice Alexandro, ab eadem Sacra Rituum Congregatione aliud Decretum emanarit die 12. Aprilis Anno 1660. In hoc videlicet declaratum vnanimi plurimorum Theologorum, & Iuriſperitorum eiuſdem Sacræ Congregationis Conſultorum; ſubindè verò Eminentiſſimorum & Reuerendiſsimorum DD. Cardinalium ſuffragio: *Quòd nedùm inoffenſo pede proce-*

procedi poſſet ad ſolemnem B.Petri Canonizationem; immò in Domino plurimùm expedire, vt diuturnæ mortificationis aſſiduus labor planè ad prodigij genus accedens, argumentum inſigne perfectiſſimæ Charitatis in Deum cum ſalubri animarum profectu ſanè admirabili, Chriſti fidelibus colendus & imitandus omninò proponatur.

At intercedente inſperato præfati Pontificis Alexandri VII. fel.rec. ex hac vita tranſitu, ſuſpenſoque huius Beati ſolemnis Canonizationis actu, fœliciùs ad SS. D.N. Clementem IX. Sancti Petri gloria celebranda tranſiuit. Igitur repetitis prioribus diligentijs, & accedentibus nouis Principum Catholicorũ inſtantijs, maximè Regis Catholici Caroli II.præfatus Pontifex in Conſiſtorio ſecreto habito die 18.Martij Anno 1669. referente Em.Cardinali Ginetto ſtatum Cauſſæ B.Petri, omnium Eminentiſſimorum Cardinalium Vota pro Canonizationis effectu experiri voluit: Quibus ſub verbo *Placet* ſufficienter declaratis die 21.Martij in Conſiſtorio publico ab eodem Sanctiſſimo ſancitum fuit; quòd orationibus, ac ieiunijs publicè indictis Diuinæ voluntatis beneplacitum, ac inſpiratio deuotè ſollicitari deberet; veluti ſtatim conceſſam pro hoc fidelibus Indulgentiam edicto publicari iuſſit. Indè die octaua Aprilis habito Conſiſtorio ſemipublico Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſcripta ſuffragia, Canonizationis ſolemnitati approbante Summo Pontifice diem Dominicum in Albis vnanimiter indixerunt; quo omnia ritè pro feſtiuitatis decore diſponi poſſent, ac deberent.

Tandem indicta die,nec non inſtructa magnifico ac pretioſo cultu Baſilica Principis Apoſtolorum Supremus Eccleſiæ Rector & D.N.Clemens Nonus Eminentiſſimorum Cardinalium, ac Prælatorum, totiuſque Cleri corona ſtipatus, cum ingenti tùm Principum, tùm Nobilium, ac vniuerſi Populi applauſu, inter Miſſarum ſolemnia B.Petrum de Alcantara virtutibus Heroicis, ac miraculis

quamplurimis illuſtrem Sanctorum Albo inſcribens, Hiſpaniæ, totiuſque Orbis fidelibus venerandum imitandumque propoſuit; quò illuſtriùs Chriſtianam pietatem ad glorioſæ Pœnitentiæ imitationem excitando, glorificetur ampliùs in Sanctis ſuis Deus, in ſecula benedictus.

LAVS DEO.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Rerum Notabilium.

A

ABſtinentia S. Petri à teneris annis pag. 4. vſque ad extremum vitæ 242 eius rigor. 23. 190. 191. 192. 193. præmiata à Deo 59. eius Fratrum. 64. interdũ remittenda ex charitate & diſcretione. 109.

Admonitiones circa paupertatem. 185. 187. 248. 249. in extremo vitæ Petri. 238. 246. & ſeqq.

AmorDei magnus in corde S. Petri. 171. 172. Ad eius vocem nihil negabat. 23. eius prædicatione alios inflammat. 173. 174.

Amor proximi Petrũ cogit relinquere ſolitudinem. 175. benè cogitare, & nunquàm malè de aliorum actionibus. ibid. amare iniurias. ibid. inſeruire pauperibus, ac infirmis. 176. poſtponere propria commoda alienis. 175. 176. 177. ſuccurrere etiam remotis 177

Angeli ſuccurrunt Petro cum alimento. 39. & eius Fratribus 124. cantant in eius cella. 255.

Animalia reuerentiam exhibent nomini S. Petri. 99. 100.

Antonius S. de Padua aſſiſtit in Miſſa S. Petro. 147.

Apparitiones S. Petri apud S. Thereſiã. 120. 255. 258, 260. apud alios. 260.

B

BAculus S. Petri in ficum miraculosè conuerſus. 88.

Brachijs extenſis orabat. 198.

C

CHaritas S. Petri vſque in finẽ. 241. & ſequen.

Caput S. Petri ſemper diſcoopertum. 59. 191.

Carolus V. illum deſiderat pro Confeſſario. 82.

Cella S Petri anguſta. 185.

Chriſtus aſſiſtit lateri Petri. 59, 109. 122.

Cibus miraculosè mittitur Fratribus. 92. 93. 94. 106. 119. 125.

Columba circumuolat caput S. Petri. 31.

Collationes ſpirituales Religioſorum. 13.

Colloquia ſpiritualia S. Petri cum S. Thereſia. 108 109.

Contemptus honoris. 41. ſui ipſius. 8.

Conuentus Pedroſi prima planta Reformationis. 61. viſitatus à S. Petro in fine vitæ. 149.

Conuerſatio S Petri quantùm deſiderata Nobilibus. 11. 23. 27. 32. 33. 40. 55. 64. proficua animarum conuerſioni. 110. 222. 223. 224.

Conuerſiones factæ à Sancto Petro mirabiles. 18. 20. 21. 23. 49. 110.

Corda S. Petri operatur miracula. 116. 117.

Corpus S. Petri habitum in veneratione. 256. 262. & ſeqq.

Crucis deuotio à S. Petro aucta, 25.

Cuſtodia S. Io. Baptiſtæ in Regno Valentiæ 134.

Cuſtodia S. Simonis in Galitia. 135.

D

DÆmonium tentat horribiliter S. Petrum ab oratione 8. 16. 200. à vocatione. 8. perſequitur ſuos Fratres. 131. fugatur à S. Petro. 50.

Diſcalceati, & eorum Inſtitutum. 5. 64. 149. 150. 151. 152. 239.

Diſciplinæ factæ a S Petro paruulo. 4. adulto crudeliſſimæ. 10. 13. 61. 93. 191.

Diſcipuli S. Petri magnæ virtutis. 153. & ſeqq.

Doctrina Chriſtiana a S. Petro pauperibus inculcatur. 9 25. 61

E

EVangelium S. Ioannis defendit a tempeſtate. 125.

S 1 3 Eucha-

Euchariſtiæ deuotio. 216.
Examen quotidianum conſcientiæ. 4.
Exempli efficacia. 30. 33. 43. 223.

F

FEſta ab eo deuotè celebrantur. 4.
Ficus mirabilis. 87.
Fides magna S. Petri. 165. 166.
Fiducia in Deum. 44. 48.
Flumina tranſit S. Petrus miraculosè. 7. 49. 62. 77. 78. 106.
S. Franciſcus apparet S. Petro. 59. aſſiſtit in Miſſa. 147.
Fratres Diſcalceati S. Ioſephi ſubiecti Generali Obſeruantium. 134. quomodò viuebant tempore S. Petri. 149. & ſeqq.
Frigus magnum ſuſtinet S. Petrus. 193.

G

GAlitia viſitatur a S. Petro. 66.
Gratitudo S. Petri 140.

H

HAbitus S. Petri. 185. 192. 252.
Honores exhibiti S. Petro. 44. 64. a Magnatibus. 73. 83. 119. a Populis. 112. 113. vitat eoſdem. 181. 182. videbantur ei graues. 242.
Humilitas S. Petri. 14. 81. & ſeqq. 242. in abſcondendis donis cœleſtibus. 11. 15. 113. in ſui deſpectione. 8. 14. vſque ad mortem. 181. 241. 249. inter honores. 32. 181. in recuſando oblationes Caroli V. & D. Ioannæ de Auſtria. 182. in exercendis officijs vilioribus. 184. in eligendo loco quietus 183. in cedendo alijs commoda. 184.

I

IGnis miraculosè extinctus a S. Petro. 83.
Incarnatio Chriſti meditatio S. Petri frequens. 166. 167. 196.
Infirmis S. Petrus inſeruit. 9. 35. etiam ſecularibus. 12.
Infirmitas toleratur a S. Petro cum magna cõſtantia. 181. non intermittit eius rigores. 62. non impedit ab operatione. 141. 145. mortalis & vltima. 241. & ſeqq.
Iniuriæ a S. Petro toleratæ. 77. 179. 180. 242.
Inſtitutum Diſcalceatorum S. Thereſiæ a S. Petro promotum. 89. 95. 97. 112. 121. 128. 130. 135. 139. 14. . & ſeqq.
Ira apud ipſum nunquam viſa. 2.
Iter quomodò faciebat. 35.

L

LIteræ S. Petri ad Epiſcopum Auilæ 129. Principum ad Petrum. 119. eius ad Sanctã Thereſiam. 136. 137.
Ludouicus a Granata conſulit S. Petrum 119.
Lumen oculorum miraculosè reſtitutum a S. Petro. 115.

M

MAriæ Deiparæ deuotio. 2. 16. 17. coram imagine in extaſim rapitur. 238. apparet S. Petro. 148. Eccleſiæ in eius honorem dicatæ. 63. 67.
Martyres ex Diſcalceatis. 162. 163. 164.
Martyres plurimi ex Diſcalceatis in Iaponio. Vide fructus poſthumos S. Petri
Merita S. Petri manifeſtata S. Thereſiæ 120. 121.
Miracula S. Petri poſt mortem. 256. & ſeqq. & lib. 6.
Miſſæ celebratio S. Petri alios ad deuotionem mouebat. 74. 75. 210. cum in extaſim rapit. 96. aſſiſtunt in ea S. Franciſcus, & S. Antonius de Padua 147. modus ad eam ſe præparandi. 210. celebrandi. ibid.
Mors fœliciſſima S. Petri. 255.
Mortificatio eiuſdem continua. 247.
Mortuus reſuſcitatus a S. Petro adhuc viuente. 68.
Murmuratio a S. Petro caſtigata. 222. 223.

N

NAtiuitas Saluatoris apud S. Petrũ in ſumma veneratione. 17.
Niues non offendunt S. Petrum 125.
Noctes integræ in oratione traducuntur a S. Petro. 16. 45. 55. 62. 200.
Nomen S. Petri etiam ab animalibus reueritum. 101.

O

OBedientia S. Petri vſque in finem. 242. 244.

Ocu-

Oculorum mortificatio ſeruata a S.Petro 4.9.10.188. curantur miraculosè ab eodem 115.
Odor mirabilis in eius cella poſt mortem. 255.
Officia vilia libenter exercitata a S.Petro. 13.40.182.
Officium diuinum a S. Petro perſoluitur genibus flexis. 10. vſque ad mortem. 249 aſſiſtunt in eodem cum luminaribus Deipara, & Angeli. 2.
Oratio frequentata a S. Petro in pueritia. ibid attentè 3. quaſi continua. 16.21.45.62.69 196. & ſeqq. in omni loco & tempore. 200. pro eadem motiuum capiebat ex omni re. 15.23. 196. Tractatum de ea conſcripſit. 27. laudatum a S. Thereſia. 29. eius efficacia conuertit animas. 110. 111. cibum miraculose impetrat. Vide Cibus. faciebat noctu, & ſubdio 200. rapiebatur in extaſim. 98. non intermittebat in Palatijs Magnatum. 200 eiuſdem efficacia & fructus. 206. cõmendata ſuis Diſcipulis dum moritur. 249.
Ordines ſacri a S. Petro per humilitatẽ ſuſcepti 244.

P

PApa benignè admittit S. Petrum. 56.86 87.
Paſſio Dominica auditoribus inculcata 25.26 meditata ab eodem. 210, 211. adiunctis proprijs cruciatibus 212.
Patientia eius in perſecutionibus, vide Perſecutio.
Patria ab inuito S.Petro inuiſitur. 30.
Paupertas exculta in acceptatione neceſſariorum. 13. in Conuentuum fabrica. 16 43.54.63.98. commendata S. Thereſiæ. 127.136. eadem extrema in ipſo, & demonſtrata ad finem vſq; P 252. con ducit ad Paradiſum. 255. ax reconſiliata a S.Petro inter diſcordes. 34.36.
Perſecutio mirabilis. 178.180 181.242.
Perſecutiones contra S. Petrum. 57.60. 85.
Pluuia non offendit S. Petrum in via. 32. nec eius auſcultatores. 75. impetrata in magna quadam ſiccitate. 114. 115, 303.
Poenitentia S. Petri. 16.187. & ſeqq. deſcripta a S. Thereſia 194. continuata vſque in finem. 239. 241. in Coelis a Deo præmiata. 255.
Poenitentes S. Petri. 230. & ſeqq.
Prandium cui aſſiſtit Chriſtus. 109. 122.
Prædicationis S. Petri efficacia, & fructus. 18. & ſeqq. 213. & ſeqq.
Præparatio S. Petri ad Ordines ſuſcipiendos. 14.
Prophetiæ S. Petri. 22.45.51.52.96.97. 117.125.275. & ſeqq.
Prouidentia Dei miraculosè ſubuenit. 17.34.38.39.
Prouincia S. Gabrielis defenſa a S. Petro. 29. reformata ab eodem. 37 S Ioſephi initiata 65. eius ſtabilimentum. 101.
Puritas virginalis à S. Petro conſeruata. 186. & ſeqq. 252.

R

REformatio S. Petri quam vtilis. vide fructus poſthumos. introducta in Prouincia S. Gabrielis. 37. ampliata in Portugallia. 42. 43. 47. in Galitia. 65.
Regulæ præſcriptæ a S.Petro ſuis Diſcipulis. 101.102.103,
Religionis ingreſſus primó examinandus. 7.
Repræhenſiones aliorum diſplicebant S Petro. 222. factæ tamen cum ſuauitate ibid
Roma viſitatur a S.Petro. 56.86.

S

SAnitas a S.Petro miraculosè reſtituta. 22. 30. 115. 116.
Scientia S. Petri. 213. & ſeqq.
Scriptura ſacra habita in ſumma veneratione a S Petro. 166.
Serenitas a S.Petro impetrata. 303.
Silentium S.Petri mirabile. 189.
Solitudo ab ipſo dilecta. 10.40.41.53. 54.
Somnus S. Petri breuiſſimus. 240. maxima ex illis poenitentijs. 108.
Status ſecularis approbatur a S. Petro. 30.

Subdi-

Digitized by Google

Subditi benignè tractandi . 13.
Superioris charitas explicata , ibid. eiuſdem humilitas: 17.35.

T

S. THereſia ſuccurritur a S.Petro . 70. eius teſtimonia de prudẽtia & ſanctitate S.Petri. 71. recurrit ad ipſum anguſtiata. 79, eius ſanctitas a Diuo Petro publicata. 79.80. conſuliat cum S.Petro de ſua fundatione. 89.90.95.108.148. teſtatur, quôd ipſius opera ad finem perduxerit ſuam Reformationem. 95.139. 145. 149. ad eam conſolandam S Petrus in duobus locis apparet . 120. ipſa teſtatur de eius orationis efficacia. 209. eius Inſtitutum ad mortem vſque deſendit S Petrus. 145.149.245.
Tempeſtas non offendit recitantem Euangelium S.Ioannis . 125.
Trinitas ſanctiſſima aſiſtit morti S.Petri . 254.

V

VEneratio vniuerſalis erga S.Petrum . 224. & ſeqq.
Vocatio quomodò citò ſequenda . 6. non eget conſilijs Parentum ibid. S.Petri fuit miraculis confirmata . 7.

Z

ZElus animarum S.Petri. 24.[illegible].55. facit eum præſentem in duobus locis vno inſtanti. 84.85.106.

FINIS.

VITA

VITA S. PETRI DE ALCANTARA
Scripturæ ſacræ ſententijs,& Chriſtianæ Poeſeos floſculis delineatur.

Sancti Petri pueritia.

PVer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam, Sapien.8. verſ.19.

Epigramma.

Ingenioſe puer mentis das ſigna ſagacis,
Falſa videns Mundi gaudia, vera Poli.

Receptio in Religionem.

Quicunque receperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit. Luc.9.verſ 48,

Epigramma.

In puero Petro Chriſtum Minor Ordo recepit;
Egit enim pueri initia facta Dei.

Vltra fluuium mirabiliter portatur.

Appræhendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui. Daniel cap.14. verſ.35.

Epigramma.

Qui Mundi, ſortiſque fugit diſcrimina vana;
Ille volat; fluuidas præteriturus aquas.

Habitu indutus vitam ſanctiſſimam ducit.

Fecit quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Patris ſui; non declinauit ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram. 4 Reg.cap.22.verſ.2.

Epigramma.

Ambulat in medio, dextrum latus atque ſiniſtrum;
Neſcit Euangelicis mens regulata vijs.

Factus eſt Exemplar Pœnitentiæ.

Ipſe eſt directus diuinitùs in Pœnitentiam gentis. Eccleſiaſt. cap.49.verſ.3.

Epigramma.

Petrus, vt in ſocijs ſit nomen, reſque Minorum;
Membra facit modicis extenuare cibis.

Vocatus eſt à Deo ad Reformationem promouendam.

Scio enim, quòd præcepturus ſit filijs ſuis & domui ſuæ poſt ſe; vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & Iuſtitiam. Gen.18. verſ.19.

Epigramma.

Pauperiem ſequitur, Franciſci legibus hæret;
Hocque docet Fratres pergere ad aſtra gradu.

A Regibus honoratur.

In conſpectu Potentum admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me. Sapien.9. verſ.12.

Epi-

Epigramma.

Cœli Rex humilem Petrum cernebat ab alto:
Quid ni regali lumine cernet homo?

Super flumina ambulat.

Cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Iſa 43. ver. 2.

Epigramma.

Terrena de fæce nihil cum Petrus haberet,
Ecce quòd ignito ſubditur unda pedi.

Nix in aere mirabiliter ſuſpenditur.

Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ. Pſalm. 106.

Epigramma.

Nũm tu diuino cùm totus amore caleres, } *ideſt per Antiperiſteſin.*
Feciſti oppoſitas Petre rigere niues.

Baculus plantatus creuit in ficum.

Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron; & ſurgentibus gemmis, eruperant flores, & folijs dilatatis in amagdalas deformati ſunt. Num. 17. verſ. 48.

Epigramma.

Summus in Hebræis hoc ſigno cernitur Aaron,
Cerneris in coetu Petre minore Minor.

Cibi propter niues impediti, in Conuentum mirabiliter deferuntur:

Serue Dei tolle prandium, quod miſit tibi Deus; & ait recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. Daniel. 14. verſ. 37.

Epigramma.

Igne Dei plenus flammis alimenta requirit,
Dat Deus; in niueis non patiuntur aquis.

Cibus et in deſerto prouidetur.

Pane Cœli ſaturauit eos Pſalm. 104. Reſpicite volatilia Cœli. Math. cap. 6.

Epigramma.

Petrus aui ſimilis penna precis æthera ſcandens,
Sæpè fuit Cœli munere dignus ali.

Orationi deditiſſimus erat.

Noſtra conuerſatio in Cœlis eſt. Ad Philippen. cap. 3. verſ. 20.

Teſtimonium Caroli V. Imper.

Vere iſte non eſt homo huius ſeculi, manet ſemper abſorptus in Deo, & conuerſatur cum beatis Spiritibus Cœli.

Epigramma.

Debet homo terræ, vel celſi fœdera Cœli
Quærere; ſi Mundum reſpuat, aſtra petet:
Ergo quid mirum, ſi Petrus mortuus Orbi
Vixerit in veris vita, preceſque bonis.

Efficacia ſuæ orationis pluuiam impetrat.

Viuit Dominus Deus in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. 3 Reg. cap. 17. verſ. 1.

Cum-

Cumquè ſe verteret huc atquè illuc, ecce Cœli contenebræ ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis. 3.Reg. cap.18. verſ.45.

Epigramma.

Heu toties Domino lachrymarum ſudarat vndas,
Et ſe mœroris ſæpè rigarat aquis.
Nunc quia Sanctorum centeno dona coronat
Munere, pro lachrymis larga fluenta luit.

Efficacia interceſſionis S. Petri.

Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus. Ioan.11. verſ.22.

Teſtimonio S. Thereſiæ. Vitæ ſuæ cap.27.

Mihi aliquando a Domino dictum eſt, quód quidquid ab eo quicunque petierit in nomine Sancti iſtius Viri, ei concedet. Quæ autem ipſa rogaui eum, vt a Domino poſtularet; omnia vidi impleri.

Iacob. Non dimittam te, donec benedixeris mihi. Gen.cap.32. verſ.14.

Epigramma.

Noctis in vnius lucta benedictio Cæli
Hebræi generis, linquitur ampla Patri.
Hic quaterdeni noctes pertranſiit anni;
Vt ſibi deuota poſſit adeſſe preci.

Puerum corpore ſuo cadaueri eius aplicato ſuſcitauit.

Incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. 4.Reg. cap.4. verſ.34.

Epigramma.

Carmeli ſobolem fouit ſucceſſor Eliæ,
Vndè par in geſtis Sanctus vterque fuit.
Petræ reformantis Thereſa quia vota ſecundas,
Ecce quod in ſignis vere Eliſæus eris.

Apparet multis licet abſens.

Illi autem dicebant Angelus eius eſt, Petrus autem perſeuerabat pulſans; cum autem aperuiſſent, viderunt eum, & obſtupuerunt. Act.12. verſ.14.

Teſtimonium S. Thereſiæ vitæ ſuæ. cap.27.

Vno anno antequam moreretur, mihi abſens apparuit.

Epigramma.

Spiritus obſtrinxit legi terreſtria membra,
Non ſecus ac carnis depoſuiſſet onus.
Sic loca dum quærit mentis dilecta multa
Oblito proprio pondere, corpus adeſt.

Morienti ſanctiſſima Trinitas apparuit.

Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Ioan.cap.14 verſ.23

Epigramma.

Feruidus empireas tentauit tangere ſedes:
Namque volans medium ſæpè peregit iter.
Nunc quia membra iacent caro diſtantia Cœlo,
Obtinet in noſtro Numen adeſſe ſolo.

Mor.

Digitized by Google

Mortui Sancti gloria eius pœnitentiæ meritis data.

Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. Pſalm. 29.

Teſtimonium S. Thereſiæ.

Quando expirauit, apparuit mihi dicendo ſe ad æternam requiem pergere; & quadam vice mihi apparens dixit: O fœlix pœnitentia, per quam mihi iam ſublimem gloriam comparaui. Vitæ ſuæ cap. 27.

Epigramma.

Extingunt ſpinæ diuini ſemina verbi.
Hic tamen in ſpinis fructificauit ager,
Pungit amor nummi, pungit Crucifixio carnis:
Iſta parit vitam; germinat ille necem.

Imitatio S. Petri proponitur.

Mementote propoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem. Ad Hebr. 13. verſ. 7.

Epigramma.

In Crucis amplexu quòd ſit poſſeſſio noſtra;
Tu Franciſce probas, tu quoque Petre doces.
Vndè ad Seraphicum Crucifixus ab athere pergit;
Ad Crucis aſpectum Petrus ad aſtra volat.

Aliud.

Quiſquis ad empireum vult tramite currere recto;
Quæ Chriſtus docuit, quæque peregit, agat.
Si tam perfectos deſperat tangere greſſus,
Franciſci ſanctam debet inire viam.
Iſtius ſi priſca nimis veſtigia dicat,
En vetus à Petro nunc renouatur iter.
Nam veluti Chriſti vera eſt Franciſcus imago;
Petrus Seraphici eſt vera figura Patris.

FRVCTVS POSTHVMI
SANCTI PETRI
DE
ALCANTARA.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. PETRVS
DE ALCANTARA
POST MORTEM REDIVIVVS,
SIVE
FRVCTVS POSTHVMI,

Quos Eccleſia Catholica ex fundata ab ipſo Prouincia S. Ioſephi Diſcalceatorum & ab alijs ex iſta emanatis percepit.

Compendioſè in vnicum librum collecti

Per FR. TIBVRTIVM NAVARRVM
Minorem Recollectum Prouinciæ Immaculatæ
Conceptionis in Aquitania Alumnum.

Laudemus Viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua. Eccleſ. cap. xliiij. verſ. 1.

ROMÆ, Typis Angeli Bernabò M.DC.LXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIVNCVLA
AD LECTOREM.

C*VM Audiuiſſem vehementer optari à R.* P. *Fr.Gregorio à* S. *Bonauentura* Prouinciȩ S. *Ioſephi Diſcalceatorum* Prȩdicatore, *&* in *Romana Curia* Canonizationis S.Petri de Alcantara Procuratore; *vt Fructus poſthumi ab eodem* Sancto *Fundatore, &* Patre *Eccleſiȩ* Catholicȩ *collati, & ex* Sancti *Ioſephi* Prouincia, *aliiſque ab ea productis emanati fidelium deuotioni exponantur. Mecum ſtatui tam pio illius deſiderio pro viribus ſatisfacere, & ex Chronicis*, Proceſſibus, *ac Relationibus authenticis* prȩclara S.Petri, *& filiorum eius in* Prouincijs *ab eo exortis geſta, & in Catholicȩ Religionis gloriam tolerata educere; eaque in vnum veluti floſculum collecta, videnda, odoranda, & guſtanda Chriſtianis ſenſibus exhibere: Quamobrem iſtum libellum prȩdicti* Patris *curȩ remiſi; vt eum vitȩ eiuſdem* Sancti *diſertiſſimis & piiſſimis verbis à R.P.Fr.Laurentio à* S.Paulo *deſcriptȩ ſubiungere facias. Vbi te monitum velim (Chiſtiane, ſed tu prȩſertim Religioſe Lector) quòd ſi Dominus* S *Thereſiæ*

Digitized by Google

reſię reuelauit, ſe omnes in S.Petri *de Alcantara nomine petentes exauditurum; nunquid non eum exaudiet? qui tam ſedulò Serui ſui Canonizationem promouit; vt tandem illam (ipſo fauente diuino Numine, & annuente* Summo Pontifice *) ad optatum ab omnibus complementum fæliciter perduxit; Vale.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER VNICVS
DE
S. PETRI DE ALCANTARA
Poſt mortem Rediuiui
FRVCTIBVS POSTHVMIS,
Quos Eccleſia Catholica ex fundata ab ipſo Prouincia Sancti Ioſephi, & ab alijs ab iſta emanatis percepit.

De fœcunda Sancti Petri de Alcantara Sanctitate, & de fundatione Prouinciæ Diſcalceatorum S. Ioſephi.
Caput Primum.

QVoniam Dominus, & Saluator Noſter Ieſus Chriſtus, vt Eccleſiam ſuam in Miniſtrorum fidelium cognitione inſtrueret, & acceptos ſibi famulos peculiari nobis argumento demonſtraret; dixit: *Ex operibus eorum cognoſcetis eos.* Et alio in loco diſpenſatorem prouidum, ob reportatum de commiſſis ſibi talētis lucrum commendat: Nè cognitam diuinæ Maieſtatis Sācti Petri de Alcantara excellentiam Populus Chriſtianus ignoret, & nè eum vnum ex Viris eximia quidem, ſed ſterili ſanctitate ornatis exiſtimet; & nè tandem illum vnum ex illis reputet, qui ſibi cumulandis coronis vacantes, & propriam animæ ſuæ vineam excolentes, ſulcandis Chriſtiano-

rum

Digitized by Google

rum agris, & producendis extra ſe fructibus parum attenderunt. Ideò operę pretium duxi mirabili ipſius vitæ breuē iſtum libellum adiungere; vt fideles vitam legentes ad tanti Viri imitationem accendantur, & iſtum librum percurrentes, ad illius amorem & ad filiorum eius beneuolentiã prouocentur: Dein vt omnes cognoſcant Sanctum Petrum ſpeciali prouidentia Ordini Seraphico, & Eccleſiæ à Deo fuiſſe conceſſum, vt & illum fœtu nouæ prolis amplificaret; & iſtam conuerſione Gentilium augeret, & Martyrum ſanguine purpuraret. Vno verbo: *Ex operibus eius cognoſcetis eum*; & quiſquis vitam illius & annexum ei compendium attendet, videbit Sanctum Minorum Diſcalceatorum Patrem cũ Religionum Fundatoribus eſſe comparandum: Quis enim negabit eum certo modo dicendum eſſe Patriarcham? non vt noui Ordinis Inſtitutorem; ſed vt antiqui Inſtituti Ordinatorem. Qui deindè hoc cum Sanctiſſimis Patribus Benedicto, Bernardo, Dominico, & Seraphico noſtro Franciſco, commune habet; quòd Eccleſiæ Catholicæ, Viros Apoſtolicos, Martyres,& puriſſimos Confeſſores è ſuæ Diſcalceatæ Reformationis gremio peperit, vt infrà patebit.

Religionis Seraphicæ incrementa recenſens iuſtiſſimus ipſius æſtimator Clemens V. Pont.Opt.Max. illam in ſua Clement. quæ incipit,*Exiui de Paradiſo*, eſtque in corpore Iuris inſerta, vocat hortum amœniſſimum ſuauiſſimis floribus plenum,in Eccleſiæ militantis ſolo plantatum;& quidem Seraphici Patris Franciſci manu extructus, Sanctorum Antonij, Bonauenturæ, Bernardini cura, & multorum cruore Martyrum irrigatus,& diuinis quoque influxibus auctus,fructus viſu pulcherrimos, & guſtu dulciſſimos protulit. Deſcendit perſæpè in hortum illum filius Dei, & collecta in eo poma Sponſæ ſuæ guſtanda porrexit: Quanquàm autem nullo tempore horti illius cultura ceſſauerit; & licet amplos Domino Deo ſuo redditus omni ætate protulerit; tamen ſpecialis auxilij rore perfuſus, propenſiorique labore ſulcatus inter nouæ Minorum Diſcalceatorũ familiæ curas,menſuram mãdati ſeminis in centuplum dedit, & in vno S. Petro de Alcantara

cantara

cantara, ejuſque Alumnis Sancta Mater Eccleſia ſeruatos ſibi nouos, & veteres prouentus mirata eſt, à Prouincijs ſcilicet Sanctorum Ioſephi, Ioannis Baptiſtæ, Gregorij, Pauli, Didaci, Beatiſſimæ Matris Dei, & Petri de Alcantara.

Prima Sacræ Diſalceatorum Prouinciæ Sancti Ioſephi fũdamenta iecit S. Petrus de Alcantara, quippè cùm eo igne arderet, quem olim Chriſtus Redemptor tulit in terram, quo nexus amoris carnalis diſſoluuntur; vt corda fidelium vinculo diuinæ charitatis vniantur: Cùm inquam dilatari Reformationem, & Seraphici Patris imitationem vbique vigere deſideraret, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-quinto, ex Prouincia Sancti Gabrielis (ſuo nuper miniſterio gubernata) cum Superioris Prouincialis licentia exiuit, & annuente Iulio III. Summo tunc Pontifice ſeſe Magiſtri Generalis Conuentualium obedientiæ ſubmiſit pro faciliori Reformationis dilatatione. Quàm paruis initijs tantæ molis incrementa ſuſceperit, quot ad Deum preces effuderit, quot lachrymis plantam nouam rigauerit, quot ſe diſciplinis, ieiunijs, vigilijſque afflixerit, quot perſecutiones (ſub ſpecie intentatæ nouitatis) pertulerit, ſatis amplè declarat ipſius vita, fuſiùſque Ordinis monimenta demonſtrant; vnum dicam, quòd cùm in deſerto Cañauerallenſi, in quo prope Pedroſum admirabilis (ad noſtra vſque tempora) paruitatis, & paupertatis Conuentum extruxerat, cum duodecim ſocijs vitam planè Angelicam duceret; tantæ fama ſanctitatis ad Reuerendiſſimi Patris Iulij Magnani Magiſtri Generalis Conuentualium aures peruenit, qui tam inſigne lumen ſub modio inferioritatis abſcondere nolens, ipſum ad montem ſuperioritatis erexit, ipſique Fratrum Minorum Diſcalceatorum Conuentualium curam demandauit, ac Commiſſarium Generalem inſtituit per Literas patentes Anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi-ſexti, ſic incipientes: *In Chriſto ſibi cariſſimo Fratri Petro de Alcantara, reformatæ vitæ Ordinis Minorum Conuentualium Frater Iulius Magnanus Plaſentinus, Doctor Theologus, ac totius Ordinis*

Minorum Conuentualium Generalis Magiſter, ſalutem & pacem à Domino æternam. His Literis munitus Vir Dei Petrus manum admouit operi, & erectæ de nouo Cuſtodiæ ſub Sancti Ioſephi titulo gubernacula ſumpſit, prorogatoque ſibi ad aliud triennium Officio per eiuſdem Generalis reſcriptum, Anno 1559. emanatum; vt ſupra firmam petram ædificaret confirmationem delegatæ ſibi auctoritatis à Paulo IV. Petri Apoſtoli ſucceſſore obtinuit: Cùmque non obſtante ſolemni Pontificis declaratione, noua Diſcalceatorum planta graues ventorum, & turbinum è regione Fratrum eiuſdem ortorum motus pateretur, filijque Matris eius pugnarent contra ipſam; exijt nouum ab eodem Papa Breue menſe Iunio Anno 1559. quo doctiſſimis Viris Priori Magacellæ, & Archidiacono de Valdeminorum Tudenſis Diœceſis cauſam Sancti Petri tuendam commiſit. Quibus reſcriptis ſolidatus Cuſtodiam ſibi demandatam Conuentibus, & Fratribus auctā Anno Domini 1561. in Prouinciam erexit, ipſi Sancti Ioſephi nomine reſeruato: Quomodò autem prædicta Prouincia ad Obſeruantiæ obedientiam venerit, in eius fundatoris vita reperitur; vnum tamen monere velim, quòd cùm feruentiſſimus Reformator die decima octaua Octobris Anni 1562. vitam Mundi labilem cum immortali commutauerit, veritati hiſtoriæ repugnat aſſerere Viro Sancto adhuc viuenti Romæ compromiſſam Obſeruantiæ obedientiam fuiſſe ab eius Procuratoribus relatam; cùm Patres Chriſtophorus Brauò Prouinciæ S. Ioſephi Miniſter, & Bartholomæus à Sanctà Anna eiuſdem Diffinitor à Sancto Commiſſario Romam miſſi pro rebus Reformationis tractandis, in Conuentum Arenarum non aduenerint, niſi menſe Februario Anni 1563. quatuor circiter menſibus à cariſſimi eorum Patris morte tranſactis.

De

De Viris, pietate, doctrina, & miraculis illuſtribus à Prouincia Sancti Ioſephi productis. Cap. II.

QVæ nouæ Prouinciæ ſtatuta Sapientiſſimus ipſius Pater præſcripſerit, quoniam in eius vitæ decurſu legenti patere potuit, non iterùm exiſtimo memorandum; ſufficiat hic Viros virtutibus, ſcientia, & gratuitis donis illuſtres ex Regulæ Sancti Franciſci, & ex conſtitutionum Sancti Petri exactiſſima obſeruatione effectos recenſere: Nullum enim maius optimæ legis indicium eſt, quàm cùm fructus ex ipſius executione percepti monſtrantur. Non eſt tamen inſtituti mei omnia tam Sanctæ Prouinciæ bona enumerare; ſed ſolummodò dicam poſt Illuſtriſſimum, pijſſimunque Gonſagam, quòd quicumque Conuentuum tenuitatem, & vitæ communis auſteritatem attendet, fidem omnibus de ea narratis incunctanter adijciet; licet mira, & ſtupenda legentibus, & audientibus appareant.

Conſtat hæc Sancta Prouincia quadragînta Conuentibus & in eo (qui Arenis extructus eſt) corpus pretioſiſſimum ſui Fundatoris Sancti Petri de Alcantara; magna Fratrum ſollicitudine ſeruat, & ſummæ Populorum venerationi exponit: Ipſa autem vbique vt ſuum Fundatorem honorat; quippè quem Gregorius XV. in Bulla Beatificationis ipſius talem aſſerit, & dictæ Prouinciæ concedit; vt de eo tanquàm de Patrono, & Fundatore Officium quotannis celebret per octauam.

Eſt alius eiuſdem Prouinciæ Conuentus Sancti Michaelis à victoria, iſte vt in loco arduo & difficili ſitus; ita arduis, & difficilibus magnarum virtutum exercitijs aptus, plurimos Dei Seruos Religioſis dotibus illuſtres educauit. Fuit autem inter alios quaſi Sol inter Planetas Frater Georgius de la Calzada Laicus, Vir ſingulari pœnitentia, humilitate, & paupertate ornatus, magnorum operarius miraculorum; quibus ſibi celebrem virtutis famam comparauit apud Hiſpanos, actumque eſt Romæ de eo Beatis annumerando

commendatitijs literis à Ferdinando III. Imperatore Auguſto,& à Philippo IV. Rege Catholico ſuper hoc miſſis: Iſtius Venerabilis Fratris corpus ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Conchenſi deuotioni publicæ fuit expoſitũ;ſed vt Beatificationis Proceſſui locus daretur, in ſubterraneo ſepulchro conditum eſt.Eius vitam mirabilem Dominus Chriſtophorus Ruiz Eccleſiæ Toletanæ Canonicus, egregio ſtylo deſcripſit.

Iacet in eodem Conuentu deuotus Frater Iuniperus, qui à Sancto Petro ad habitum Religionis admiſſus, ipſius imitationi eximia diligentia vacauit, tantuſque effectus eſt; vt miraculorum gloria coruſcauerit, & Dæmoni terribilis euaſerit: Ideò vt caſtra Inferorum non timeret, ſolebat noctes ſingulas in infima ſcala Altari proxima tranſigere, vbi Ducis præſentia animatus, omnes inimici artes prouocabat, ipſique verbis contemptiuis improperabat non minori confidentia motus, quàm ille, qui olim canebat: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebo mala; quoniam tu mecum es*. Nec mirum, ſi communi Generis humani inimico formidabilis extiterit; quippè qui ſumma humilitate, & paupertate ornatus, ſuperbum, & diuitem Mundi Principem gemina illa armatura debellabat. Adeò poſt mortem virtutum eius fama percrebuit; vt auctoritate Epiſcopi Conchenſis de eius præclarè geſtis amplè fuerit informatum. Omitto quamplurimos alios fideles Dei Seruos in ſingulis eiuſdem Prouinciæ Conuentibus defunctos; habet enim Complutenſis ſuum Seraphicum Fratrem Sebaſtianum à Sancta Maria Laicum, donis gratuitis miraculorum & prophetiæ excellentem: Poſſidet Madritenſis Sancto Aegidio dicatus Virum extaticum Fratrem Franciſcum à Cogolludo, eximiæ apud Deum æſtimationis ſignũ reddit corporis eius à corruptione præſeruatio, ad noſtra vſque tempora perſeuerans. Iacet etiam in Conuentu Coralli ab Almaguer Frater Balthazar à Regibus in ſignis, & prodigijs portentoſus, prophetiæ lumine exornatus; quo in Confeſſionibus audiendis adiutus, dignos in Populis fructus pœnitentiæ produxit: Sed quanquàm horum, aliorumque in Chronicis dictæ

Digitized by Google

ctæ Prouinciæ, cæteriſque Ordinis Seraphici libris narratorum, ſingulares excellentiæ ſint, tantæque extiterint; vt deuotos Hiſpaniæ Populos impulerint ad proſequendum ipſis Beatificationis honorem. Quia tamen decreui ſolùm vtilitatem à S.Petro de Alcantara per ſe, aut Diſcipulos ſuos Eccleſiæ collatam demonſtrare; ad Viros aut doctrina conſpicuos, aut prædicatione inſignes, aut miſſionum Apoſtolicarum exercitio claros, deſcendemus.

Omnium primus occurrit Venerandus Pater Ioannes Romero, qui cùm in Vniuerſitate Complutenſi lauream Doctoris fuiſſet aſſecutus, & in concurſu generali Eccleſiaſticorum Candidatorum inſignem Diœceſis Toletanæ Parochiam fuiſſet adeptus, diuino lumine illuſtratus cognouit portam Cœli arctam eſſe, & difficilè Virum ſcientia inflatum per eam intrare: Quamobrem intelligens paruis & humilibus patere ianuæ cœleſtis ingreſſum, fieri Minor decreuit, & Diſcalceati habitum induere, vbi iacto humilitatis, & paupertatis Euangelicæ fundamento, doctrinam (quam ex Academiæ fontibus hauſerat) cœpit eructare tanto zelo; vt ſæpè tribus in die prædicationibus vacans, totius ferè Hiſpaniæ Populos quaſi alter Paulus Apoſtolus ad viam ſalutis aduocauerit, tamque fœlici ſucceſſu, vt (ſicut ſocij eius relatione fide digna compertum eſt) pluſquàm ſexcenta animarium millia ſuis ſermonibus à vitiorum voragine ad rectam virtutis ſemitam perduxerit; tam clarum autem Hiſpaniæ lumen in Conuentu Corralli ab Almaguer ſepultum iacet.

Magnam etiam dictæ Prouinciæ gloriam contulit cariſſimus eius Alumnus Pater Ildephonſus Lobo, Prædicator verè Apoſtolicus, de quo narrat Illuſtriſſimus Gonzaga; quòd cùm Sancti Bernardini Conuentus fundationem Ciuium Madritenſium oppoſitio pertinax impediret, & ſalutis humanæ hoſtis à longè proſpiciens ex eius ædificatione amplum Ciuitati imminere prouentum, totis viribus ac fraudibus adhibitis obſtaret: Ingreſſus Madritum eloquentiſſimus Concionator Ildephonſus, ſuis prædicationi-
bus

bus omnia Aduerſarij impedimenta diſſoluit; & conciliatis ſibi Populi animis, eos ſuæ Religioni deuotiſſimos fecit, & ad optandam, iuuandamque fundationem adduxit. Vniuerſam ferè Hiſpaniam prædicando peragrauit, & quamplurimos ad pœnitentiam conuertit; factus autem Prouinciæ ſuæ Cuſtos ad Capitulum generale (pro Officij ſui debito) Romam venit, vbique Chriſtum & præcepta eius annuncians: Regebat tunc temporis Apoſtolicam Nauem Pius V, qui velut auctoritate ſummus, ita religione pijſſimus; cùm tantùm operarium in Italiam tranſiſſe intelligeret, volens ipſum in Romanæ vineæ cultura occupare, ex Italia ampliùs recedere non permiſit. Ille verò, qui ſe Romano Pontifici obedientiam ex Regula Seraphica promiſiſſe meminerat, obtemperauit; & Romam, Neapolim, Mediolanum, ac in totam illam Regionem Verbum Dei cum tanto fructu diſſeminauit; vt Virum toto Orbe celeberrimum pietate, miraculis, & doctrina, Patrem Angelum del Paz dicere compulerit, & ipſimet Reuerendiſſimo S.P.A. Magiſtro tunc exiſtenti annunciare, tam eximium Euangelij Præconem Romam fuiſſe à Deo miſſum eo intento, eoque fine; quo Deus olim Ionam Prophetam ad Niniues conuerſionem delegauit, ſicque ei à Domino fuiſſe reuelatum.

Tanti Viri Diſcipulus & imitator extitit Frater Ioannes Baptiſta Madrigal, à quo dum in Salmanticenſi Academia ſtuderet, conuerſus fuit; & ipſe in breui multarum animarum conuerſor, Homilias Prædicatoribus vtiliſſimas ſcripſit. Floruit in eadem Prouincia Venerabilis Dei famulus Frater Ludouicus à Sancto Ioanne (Paulo V. Pont. Max. Eccleſiam gubernante) Ordinis in Romana Curia Commiſſarius, & eiuſdem Diffinitor Generalis, virtutibus & Prophetia ab Excellentiſſimo Domino Petro de Aragonia Neapolitano Prorege probatis, & publicè commendatis eximius: Caſuum conſcientiæ Summam compoſuit; aliumque librum Caſuum repentinorum adminiſtrandis Sacramentis aptiſſimum explorauit.

Humil-

Digitized by Google

Humillimus corde, nobiliſſimus ſanguine, virtute & ſcientia clariſſimus Pater Ioannes à S. Maria in ea Prouincia vixit, in eo notatur eius humilitas; quòd oblatos ſibi à Philippo III. tres Epiſcopatus conſtantiſſimè reſpuit, & vocatus ad Confeſſiones Sereniſſimæ Dominæ Infantis Margaritæ, & Regij Conuentus Diſcalceatarum audiendas vrbaniter recuſauit, nè mundanæ dignitatis flatu ſuperbiret. In eo autem eximia eius doctrina declaratur, quòd præ cæteris libris, vnum Politicæ Chriſtianæ in lucem edidit, omnibus Europæ linguis, & Populis earum, & à Paulo V. Sapientiſſimo Pontifice ita laudatum, vt eius Auctorem de Eccleſia Catholica benè meritum affirmauerit; eò quòd Principibus Chriſtianis oſtenderit, tamdiù eorum Regna perenniter manſura, quandiù ipſi debitam S. Matri Eccleſiæ reuerentiam exhiberent. Deceſſit è viuis 18. Nouembris Anno 1621. & Madriti in Sancti Bernardini æde tumulatus eſt. Quot Martyres hæc fælix Prouincia Chriſto pepererit, ſermo Prouinciæ Sancti Gregorij deſtinatus aperiet; vbi labores perpeſſi à Fratribus Miſſionarijs è Prouincijs Hiſpaniæ Diſcalceatis, ad Philippinas tranſmiſſis, deſcribentur.

De Prouincia Sancti Ioannis Baptiſtæ Diſcalceata, & de fructibus ab ea emanatis. Cap. III.

QVi mirabilem Sancti Petri de Alcàntara vitam perlegerit, dubitare non poteſt ipſum Anno 1560. Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ in Regno Valentiæ auſpicatum dediſſe principium: Cùm enim legitimus iſte Seraphici Patris S. Frãciſci filius ſtabilitã in Regno Caſtellæ Diſcalceatorum Reformationem in vniuerſam Hiſpaniã extẽdi percuperet, miſit duos ex Diſcipulis ſuis, nempè Fratrem Antonium à Conceptione, & Fratrem Bartholomæum à Sancta Anna; vt Valentiæ terram explorarent, & an recipiendæ nouæ Franciſcani germinis plantæ eſſet idonea, conſiderarent. Retulerunt fideles nuncij, non vt olim Ioſue &

Coleb,

Caleb, terram illam eſſe lacte & melle conſolationum temporalium fluentem; ſed operarijs cœleſtibus indigentem, iiſque excipiendis anhelantem: Iam enim omnes Hiſpaniæ plagas rumor impleuerat, ſurrexiſſe in Caſtella homines Mundo mortuos, confixos Cruci, pios, humiles, gloriæ Dei zelatores, ſalutis animarum cupidos, pauperes, diſcalceatis pedibus terrena calcantes; quamobrem vndequàque Oratores veniebant, qui Conuentus optarent, qui Fratres peterent, qui bonorum ſuorum ſubſidium offerrent. Itaque congregato Prouinciæ Capitulo in Cõuentu Pedroſi, die ſecunda Februarij Anno 1561. inter alia decretum eſt, mittendos illicò octo Religioſos, qui duobus Conuentibus in Regno Valentiæ poſitis initia darent, annoque ſequenti Sanctiſſimus Commiſſarius vtrumque in Cuſtodiam, ſub nomine, & patrocinio Sancti Chriſti Præcurſoris erexit: quam erectionem poſteà Pius IV. auctoritate Apoſtolica confirmauit, conceſſitque, vt cùm ad decem Conuentus attingeret, Prouinciæ titulo frueretur: Iuxta quam conceſſionem Anno Domini 1577. in Capitulo apud Sanctum Ioannem de la Ribera, vndecima menſis Auguſti Celebrato, annuente Gregorio XIII. Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtę nomen, & honorem fœliciter conſecuta eſt.

Quot ergo Sancta Præcurſoris Prouincia Viros eximios peperit, quot fructus Eccleſiæ dedit, hos Sancti Petri ſollicitudini debet; hæc eſt Prouinciç Sancti Ioſephi primo-genita, quæ ſanctitatis ſuæ radijs orbem illuſtrauit? hæc eſt, quæ tria Hiſpaniarum Regna, Valentiæ ſcilicet, Murciæ, & Granatæ impleuit; in quibus mirè propagata, ex ſui diuiſione neptem Matri genuit, & vt cariſſimo Fundatori ſuo gratitudinis vices rependeret, filiæ ſuæ Prouinciæ Sancti Petri de Alcantara nomen dedit; ſibi & illi patrocinium commune fecit.

Prouincia autem Sancti Ioannis Baptiſtæ ex tempore ſuæ diuiſionis viginti octo Conuentibus gaudet, quorum præcipuus eſt eidem S. Ioanni Baptiſtæ dicatus in Ciuitate Valentiæ, vulgò Sancti Ioannis de la Ribera nominatus. Iſte virtutis

Digitized by Google

tatis religioſæ Seminarium eſt toti Regno notiſſimum, peperit, ſeu educauit plurimos Viros virtute & perfectione conſpicuos; quorum vitæ, factaque Seraphica in Chronicis ſumma cum voluptate leguntur. Habet etiam quamplures apud ſe tumulatos, & inter alios Venerabilem Patrem Antonium Sobrinum; Virum ſcientijs, & virtutibus perinſignem, altiſſimæ orationis dono illuſtrem, qua non paruam ſibi apud Populum famam conciliauit, fuitque præcipuè Illuſtriſſimo Patriarchæ D. Ioanni de Riuera pretioſiſſimus, cuius familiaritate, & conſilio perſæpè gaudebat: In vita, & poſt mortem multa patrauit miracula; quibus permotus D. Nũcius Iulius Sacchettus, mox Eminẽtiſſimus S.R.E. Cardinalis, per epiſtolas mandauit Domino Balthazari Borxa Archidiacono Xatiuenſi, vt de ipſis diligenter perquireret, ad cauſam Beatificationis ipſius Romæ tractandam.

Quid de Beato Paſquali Baylon referam neſcio, tãta mihi obſtat rerum multitudo, vt inopem me copia faciat; pleni ſunt ipſius laudibus, & operibus libri, nec adhuc dictum eſt, quòd ſufficiat: Si virtutes ipſius ſpectem, Sancti Petri viuã imaginem intueor; ſi miracula perpendam, alterum Thaumaturgum appellabo. Iacet eius venerabile corpus integrũ in Conuentu Villæ-Regiæ, magna Populorum affluentia honoratum; de quo illud perenni memoria dignum ex continua experientia refertur, quòd perſæpè (etiam ad vſque noſtra tempora) ictum & percuſſum edit vehementem in arca, in qua ſacrum illius depoſitum aſſeruatur; notauitque pia Fratrum, & ſecularium obſeruatio hoc ſtrepitu (etiam aliquando in eius imaginibus audito) deſignari Deum in breuì prodigioſum aliquem effectum Viri Sancti interceſſione, & meritis operaturum. A Paulo V. Chriſti Vicario Beatorum faſtis adſcriptus eſt, & nunc quotidiè expectatur, vt creſcentibus eius miraculis, in Sanctorum Confeſſorum Cathalogo annumeretur.

Conuentum Gandiæ in dicta Prouincia ſitum honorant reliquiæ pijſſimi Viri Fratris Andreæ Hybernon, qui adeò virtutibus & ſignis claruit; vt auctoritate Ordinarij ipſorum

inueſtigatio facta fuerit, cauſamque Romam delata, corpus (quod Valentini Archiepiſcopi zelus, & poteſtas erexerat, & publicæ venerationi expoſuerat) in ſubterraneo loculo poſitum eſt; vt iuxta Vrbani VIII. præſcriptum Proceſſus Beatificationis ageretur.

Fuit etiam hæc Prouincia Virorum Doctorum fœcunda, qui vel ſcriptis, aut prædicationibus ſuis exempli ſale conditis, plurimùm profecerunt; quos eorum amantiſſimus Frater Antonius Panes dictæ Prouinciæ alumnus in ſuis Chronicis eleganter, & fideliter commemorat.

De Prouincia S. Gregorij in Inſulis Philippinis fũdatione. Cap. IV.

DEus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire; vndè Viro Apoſtolico onus incumbit conſilium Dei (quantùm ad ſe pertinet) adimplere, quare Gentium Apoſtolus omnia omnibus fiebat, vt omnes Chriſto lucrifaceret. Hæc eſt vera Religioſi perfectio, nihil omittere eorum, quæ totius generis humani ſaluationi conducunt: Eius enim officium eſt, legatione pro Chriſto fungi, & Dei gloriam libero, & conſtanti animo vbique promouere. Mouerat ſanè debitum profeſſionis ſuæ Fr. Antonius à Sancto Gregorio, Prouinciæ duodecim Apoſtolorum in Regno Peruano profeſſus Laicus, cùm audiens Inſulas Salomonis gentili ſuperſtitione obcæcatas, à Regis Catholici Militibus fuiſſe detectas, & ſubactas; grauiter doluit, priùs in eas Regis terreni, quàm cœleſtis fuiſſe nomen inuectum, priùſque Catholico Monarchæ ſubditas eſſe, quàm Catholicas: Sciens tamen non alio, quàm conuerſionis illarum Gentium deſiderio, ad eas Inſulas Chriſtianos acceſſiſſe, magiſque placere Philippo Regi eorum animos Chriſto acquiri, quàm bona ſibi, ſolamque operariorum metuendam eſſe penuriam; decreuit pro poſſe ſuo Populorum illorum ſaluti conſulere, nec aliud medium opportunius inuenit, quàm ſi annuente Summo Pontifice, volente & adiuuante Catholico Rege, ibi Fratrum Minorum Cuſtodia erigeretur, ex

qua

Digitized by Google

qua exeuntes operarij, nouæ illi vineæ excolendæ vacarent. Itaque ægrè obtenta Superiorum licentia, in Hiſpaniam traiecit, & Madritum iuit; vbi aliquo tempore in Conuentu Sancti Bernardini Fratrum Minorum Diſcalceatorum Prouinciæ Sancti Ioſephi commoratus, intellexit ex eorum virtute, zelo, & doctrina illos eſſe operarios, quibus Deus eius ore dicebat: *Ite & vos in vineam meam*. Perſpiciens enim Vir Deo plenus, Gentium conuerſionem faciliùs induci factis, quàm ſolùm verbis, & Prædicatori Apoſtolico non minus neceſſarium eſſe operis exemplum, quàm oris ſermonem; non dubitauit ex Fratribus recentis Prouinciæ Sancti ſui Fundatoris Petri præcepta, & mores redolentis, Deum ſibi peculiares elegiſſe Miniſtros: Quamobrem Romam pergens à Gregorio XIII. benignè exceptus, ad Reuerendiſſimum Ordinis Seraphici Generalem, Patrem Chriſtophorum à Capite-fontiũ remiſſus, Literas ab eo patentes accepit; quarum virtute Fratres Prouinciæ Sancti Ioſephi eligeret, cum eis ad Inſulas Salomonis traijceret, & Cuſtodiam ſub Sancti Gregorij nomine, à Papa Gregorio ſic deſignato; erigeret.

Reuerſus in Hiſpaniam, multos tanto operi paratos dictæ Prouinciæ Fratres inuenit; ſed cùm eodem tempore epiſtola à Prorege Philippinarum Inſularum in Indico occidentali mari poſitarum, ad Regem Catholicum veniſſet, qua (pro facili Gentis illius idololatræ conuerſione) Fratres Minores ad eas promptiſſimè mitti poſtulabat. Re maturiùs in ſecreto Conſilio tractata, viſum eſt expedire deſtinatos Salomonis Inſulis Miſſionarios, ad Philippinas deferri: Propoſita autem Conſilij deliberatione (quoniam ad maiorem Dei gloriam vergebat) Fr. Antonius à Sancto Gregorio libenter acquieuit, & acceptis Regijs literis ſe Hiſpalim contulit; vbi à viginti dictæ Prouinciæ Sancti Ioſephi Fratribus expectabatur. Antequàm è Portu Hiſpalenſi ſoluerent, electus eſt in primum Cuſtodem fundandæ Cuſtodiæ P. Petrus ab Alpharo eiuſdem Sancti Ioſephi Prouinciæ filius, Vir pietate & doctrina clariſſimus; & communi omnium voto Anno

 1575. no-

1575. nouæ miſſionis Commiſſarius inſtitutus eſt.

Itaque Hiſpali Mexicum appulere, vbi per aliquot tempus non ſine ſpirituali Populorum conſolatione,& bono conuerſati ſunt; indè Romam reuerſus eſt Fr.Antonius à Sancto Gregorio; ob Dei negocia apud eius Vicarium peragenda: Pater autem Petrus de Alpharo Cuſtos è portu de Acapulco ad Philippinas tranſiuit, & in eas fœliciter intrauit Anno 1578. à Gubernatore tanquàm nouus Apoſtolus exceptus, ab eo locum Conuentui aptum accepit, & in eo Eccleſiam Beatæ Mariæ de Angelis dicatam ædificauit; tuncque primùm in Aede Fratrum Minorum Diſcalceatorum, Sanctiſſimum corporis Dominici Sacramentum cœpit aſſeruari,licet enim ibi Auguſtiniani Ordinis Eccleſia præceſſiſſet; præ timore tamen inquieti Populi non fuerat in ea collocatum. Condidit quoque Domum hoſpitalem glorioſiſſimę Dei Genitricis Parenti deuotam, ſtatim autem omnes manum admouentes operi, tam fructuosè laborarunt; vt (teſtante Illuſtriſſimo Gonzaga)trecenta millia Gentilium indorum ab Idolorum ſeruitute auerſa, ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium conuerterint: Nec contentus his fructibus Cuſtos, ſed Seraphici Patris zelo animatus, ſuos in forma crucis filios ad quatuor Regionum illarum angulos delegauit; vt numeroſiſſimas gentes, & vaſtiſſima Regna, Chriſti Saluatoris ouili aggregarent. Quatuor in Orientalem Prouinciæ Camerinæ Plagam abierunt, in qua Eccleſiam conſtruxerūt & copioſam multitudinem Chriſtianis inſtitutis imbuerunt; tres ad Prouincias Ilocos, & Pangarinam nominatas in Occaſu ſitas intrarunt: Tres alij Meridionalium Zibu, & Panai Regionum curam ſuſceperunt; & quoniam incolæ in montibus degunt, vt eorum conuerſio facilior euaderet, Dei tépla ædificarunt, ad quæ Populi conuenientes à fidelibus Chriſti Miniſtris inſtruebantur, & baptizabantur.

2 His ita ſapienter diſpoſitis, P. Petrus ab Alpharo volens ampliùs Patri ſuo S. Franciſco aſſimilari, in longinquas terras Fidem ſeminaturus ire meditatur: Suffecto igitur in locum ſuum P.Fr. Ioanne à Plaſentia Prædicatore, ad Regnū

Sinen-

Sinenſe cum tribus ſocijs, ſcilicet Fr. Ioanne Baptiſta à Peſaro; Fr. Auguſtino de Tordeſillas, & Fr. Sebaſtiano de Baeza profectus eſt. Ingreſſi primi omnium Fratrum Minorum quattuor Miſſionarij Sinenſes agros, meſſem quidem plurimam, ſed operarios paucos inuenerunt; vndè vt paucitatē Prædicatorum ſuo feruore compenſarent, non ceſſauerunt die, noctùque indeſinenter operari, nec labor inutilis fuit, multas enim & mirabiles conuerſiones conſecutus eſt: Cùm autem grauia pro Chriſto mala æquo animo paterentur, ecce quòd gentis prophanæ Sacerdotes illos è Sinenſi Imperio expelli curauerunt, iſti autem excuſſo pedum ſuorum puluere, in Ciuitates Malaca, & Macao tranſeuntes, duobus ibi Conuentibus exordia dederunt; ex quibus deindè Prouincia Beatiſſimæ Matris Dei nomine, confecta eſt. Horum ſucceſſuum Annus fuit 1580. quo laboribus, pœniſque oppreſſus Venerabilis Dei Seruus Petrus ab Alpharo ad cęleſtis Patriæ requiem tranſmeauit.

Eodem anno præfatus Fr. Antonius à Sancto Gregorio Breue aliud à Summo Pontifice Gregorio XIII. obtinuit, quo cauebatur; vt Prouincia Sancti Ioſephi nouam Sancti Gregorij Cuſtodiam filiam ſuam foueret, & in eam Superiores, & ſubditos tranſmitteret. Cui Pontificis ordinationi, & Catholici Monarchæ mandato obediens P. Franciſcus ab Ynoxoſa dictæ Prouinciæ Miniſter, triginta duos è filijs ſuis ad Cuſtodiæ Philippinarum conſeruationem deputauit; quorum equidem notabilis, & deuota profectio fuit, ipſis enim Madrito exeuntibus adſtitit Illuſtriſſimus Nuncius D. Sega, qui benedixit eis, & vexillum Crucis ſigno, & crucifixi Domini Noſtri Ieſu Chriſti effigie decoratum porrexit, hæc dicens: *Accipite vexillum Sanctæ Crucis, in quo poſſitis vincere inimicos Fidei*: Illi autem proceſſionaliter egredientes, relictis omnibus patriæ rebus, ſecuti ſunt Crucem, & tam Sancto Religioſorum cœtui Præfectus fuit P. Fr. Michael à Talauera, doctrina, & pietate ſingulari ornatus; erat autē inter ſubditos eius feruentiſſimus P. Fr. Petrus Baptiſta, Iaponiæ Protomartyr mox futurus.

Pro-

Prouidit filiæ ſuæ Cuſtodiæ Philippinarum caritatiuè eius Mater Sancti Ioſephi Prouincia, & ab eius ſuſtentatione nunquàm deſtitit. Cùm autem illa maximos in Dei Domo prouentus gigneret, peruenit eorum fama ad aures Patris-familias Papę Sixti V. qui eam in Prouinciam erexit Anno 1586. edito ſuper hoc Breui, cuius initium (quia Fratrum Diſcalceatorum labores enarrat) hìc ſubiungere placuit: *Dum ad vberes fructus, quos Religioſæ perſonæ, præſertim verò Fratres Minores de Obſeruantia Diſcalceati nuncupati, Cuſtodia Sancti Gregorij in Inſulis Philippinis Indiarum Occidentalium, quaſi in agro Dominico ſeduli operarij ad Dei gloriam, & ſpiritualem ſalutem Populorum &c.* Addidit huic conceſſioni multas gratias & priuilegia, & in terris Sinenſibus, alijſque Indiarum Regnis, ac Inſulis fundandi Conuentus facultatem largitus eſt: Præerat eo tempore dictæ Cuſtodiæ P.Fr.Petrus Baptiſta, à quo conuocato Capitulo, primus nouæ Prouinciæ Miniſter P.Fr.Paulus à Ieſu, Prouinciæ Sancti Ioſephi filius, inſtitutus eſt; inceperunt ex tunc Fratres ad albentes vicinorum agrorum meſſes oculos conuertere, & apertam in eis Euangelij portam videntes, ſedulò ſtuduerunt linguis Iaponicæ, Sinenſi, & Indicæ addiſcendis; vt detentos Idolorum ſuperſtitione Populos, ad Chriſti Fidem (quæ ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei) perducere poſſent.

De ingreſſu Fratrum Minorum Diſcalceatorum à Prouincia Sancti Gregorij in Iaponium. Cap. V.

IN remotiſſimo Aſiatici maris confinio Orientalis Regio pluribus Inſulis conſtans, cui nomen Iaponium depræhenditur; ſolum eſt illi fœcundum & ſanum, omnique alimentorum genere perabundans, paulò ante Saluatoris noſtri Natiuitatem à Sinenſibus incolis cœpit habitari. Subtili quidem & acuto ingenio, ſed ſuperbo & honoris cupido natura Iapones effecit, ſuperſtitioni & Idololatriæ dediti ſunt; duo præſertim Idola *Xacam, & Amidam* nomi-

nominata venerantur: Sacerdotes ſuos (quos communi vocabulo *Bonças* appellant) è Senioribus Populi electos ſummè reuerentur; omnes ſcribendi, & legendi artem callent, eorum autem linguam curioſam eſſe, & compendioſam paucis multa comprehendentem noſtri Europæi affirmant. Totum illud vaſtum Dominium vni ſummo Imperatori ſubeſt, cui variorum Regnorum Reges, vel meliùs dixerim Tetrarchæ, ad nutum obediunt.

Cùm igitur in hanc latiſſimam Regionem reſpicerent Minores Diſcalceati Philippinenſes, & in eam aut Euangelij ſemen inferre, aut ab alijs ſeminatum ad maturitatem perducere vehementer optarent. Ecce quòd ille, cuius conſilia inſcrutabilia ſunt, eo tempore eis ingreſſum aperuit, quo difficilior humanis mentibus videbatur; ad ſupremum Gentis illius Imperium poſt diuerſos Fortunæ caſus aſcenderat quidam Faxiua obſcuro & humili loco oriundus, & prima profeſſione faber lignarius; ſed tam forti & generoſo præditus animo, vt ſibi ſexaginta Regna ſubiecerit, & totam Sinam ſibi adhuc ſubmittere meditaretur: Affectabat quoque Philippinarum obſequium; quare vt belli occaſionem quæreret, Pharandam domeſticum ſuum cum alijs Legatis ad Philippinas tranſmiſit; vt ab eis tanquàm ſupremo Iaponij Imperio ſubditis, homagium, & fidelitatis promiſſionem exigeret.

Viſa eſt noua, & inexpectata Legatio Philippinarum Gubernatori Gomezio Perez de Mariñas, timuit tam barbari, tamque potentis vicini potentiam; humaniter Legatos excepit, vtque rem benigno modo cum ipſomet Imperatore componeret, deſtinauit ad eum ſolemnem Legationem; cui R.Patrem Cobos è Prædicatorum Ordine præfecit; Sed eo in via morte prærepto, eidem muneri Venerabilem Dei famulum P.Petrum Baptiſtam Cuſtodiæ S.Gregorij nuper Cuſtodem ſuffecit. Monitus de Proregis electione Vir humilis, duplici & contrario Humilitatis, & Charitatis motu cœpit agitari; prima ipſis ſupra Fratris Minoris Ordinem oblatum ei officium eſſe ſuadebat, altera

acce-

acceptandum ſuggerebat, vt Gentis illius Chriſtianitatem iuuaret. Igitur vt vtriuſque virtutis impulſibus obediret, ſe velut Iaponij Prædicatorem, non vt Oratorem offerebat; volebat Legatione fungi pro Chriſto, non pro Philippo: Itaque cùm res in dubio eſſet, dum Gregorij XIII. Breue videretur obſtare, quo Societatis Ieſu dumtaxat Patribus Iaponij euangelizatio permittebatur; alijs Religioſis prohibebatur, licet ex Sixti V. Indulto ad omnes Orientis Regiones Fratribus Diſcalceatis pateret acceſſus. Voluit Deus ſuper his ſuum manifeſtare conſilium, & Diuinæ mentis arcanum; tunc enim præfatus Imperatoris Legatus Pharanda Gurimon ſequentem Philippinarum Proregi Epiſtolam ſcripſit.

Ego Pharanda Gurimon Inſularum, & Regnorum Iaponij Orator, dico multos in illis Regnis eſſe Chriſtianos, qui Catholicæ legis initia ſuſceperunt; ex penuria autem Miniſtrorum, & Sacerdotum (à quibus doceatur) dilatata non fuit: Ego verò ſcio pergratum futurum Regi Domino meo Cabucondono Taycozanicæ, ſi qui Patres ex iſtis terris in Iaponium traijciant, dummodò ex Sancti Franciſci Ordine ſint; quia ipſi rem nouam & mirabilem viſu, homines tam auſteræ vitæ præbebunt; & eorum miſſionem pro gratia ſibi facta reputabit, & etiam propter rerum mundanarum contemptum (quem profitentur) optimè à Iaponibus excipientur. Quamobrem à Dominatione veſtra peto, vt aliqui ex illis Diſcalceatis mecum veniant, & in nomine Regis mei ipſos fore benè recipiendos polliceor, & benignè cum eis agendum, nec vlla inferetur ipſis iniuria, nullum erit eorum vitæ periculum; quare me ipſum aſtringo, illos ſanos in iſta Ciuitate ad Dominationem veſtram me reducturum.

Iſti Epiſtolæ, quàm compendioſam Diſcalceatæ Reformationis laudem dixerim, placet tres alias à Iaponibus Chriſtianis miſſas ſubiungere; vt toti Populo Catholico pateat, adeò inſitam eſſe hominibus auri, & pecuniæ famem, vt in quocunque Mundi angulo diuiciarum contemptor viuat; de eo ſemper dici poſſit, quod olim ſapiens Salomon proteſtabatur ſe eſſe dicturum, ſi quem huiuſmo-

Digitized by Google

di ſuis temporibus inueniſſet: *Beatus vir, qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia, & theſauris. Quis eſt hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita ſua.* Videamus ergo quomodò laudauerint Iaponenſes, Viros illos Apoſtolicos Diſcalceatos, quos poſt aurum non abire, quos in pecunia & theſauris non ſperare didicerant: Viuebat Manilæ Religioſus quidam nomine Gonſaluus Garzia, qui antequàm Mundo valediceret, decem annorum ſpatio in Iaponio fuerat commoratus; ad eum igitur afflicta Gentis illius Eccleſia frequentibus epiſtolis ſcribebat, quarum originalia Romam, & Madritum traſmiſſa fuere. Trium autem præcipuarum tenorem hìc adnectam.

Nos Chriſtiani Amanguchani, qui tredecim vel quatuordecim millia complemus; temporibus retroactis à Patre Franciſco Xauerio Societatis Ieſu Religioſo baptizati, dicimus; quòd à 12. annis doctrina & Miniſtris caremus, & quia deerant, à quibus noſtri regenerarentur, ſemetipſos alterutrum baptizabant in domo Ioachim, in qua crucem, ſuperpelliceum, & dicti Patris diſciplinam conſeruabamus: Cùmque aliquis Chriſtianus infirmaretur, ipſum ſuperpelliceo induebamus, & Cruci applicabamus, moxque quinquies diſciplina percuſſus, illicò ſanitate priſtina fruebatur. Mortuus eſt magno omnium mærore Ioachim, & dolor additus eſt dolori; cùm poſteà audiens Imperator nos Chriſto, & eius legi ſeruire, è noſtris terris nos expulit relictis quadringentis, qui intelligentes in Inſula Manilæ, reliquiſque Philippinis plurimos Fratres exiſtere, de mittendo ad eos accerſendos conuenimus: Sed Franciſcanos eſſe optamus, quoniam iuxta quod de illis narratum eſt, prauidemus; quòd ſi in Iaponium veniant, innumeras gentes ad Chriſtum conuertent, cùm videbitur ſtatus eorum perfectus, & modus viuendi Apoſtolicæ vitæ ſæpè nobis à noſtro bono Patre Franciſco Xauerio deſcriptæ ſimillimus, nec ſolùm hac vice, nec à nobis dumtaxat, ſed à pluribus pluries poſtulati fuerunt. Fagunſa Imperatoris Cognatus Chriſtianus eſt, & quoniam Doctoribus caret, iuit cum vniuerſo Populo ſuo; vt reperiat, à quibus in Fidei via dirigatur: Cùmque Imperator ex carentia Miniſtrorum, ipſi apoſtaſiam à religione Catholica ſua-

d *dere*

dere vellet; conſtanter reſpondit ſe priùs membratim diſcerpendum, quàm à Chriſto capite diuidendum. Iuſtus Meaci Ciuis, cui pluſquàm octoginta millia vaſſallorum obediunt, pro ſe & ſubditis ſuis Prædicatores enixè deſiderat: Ille verò tam fortiter in Fide perſeuerat, vt maluerit bonis, & honoribus ab Imperatore ſpoliari, quàm ad priſtinam idololatriam reuerti; ipſe igitur & terrarum eius incolæ, Doctores volunt, & præcipuè Franciſcanos.

Secunda Epiſtola non minoris affectus inditium eſt, quæ ſic habetur.

Nos Amacuſani fideles, ego Domina Gracia Regina, & terrarum iſtarum Dominatrix, vxor etiam filij mei Ioannis, & Bartholomæus, ac Cornelius, te Fratrem Gonſaluum Garziam tanquàm filium, & fratrem noſtrum rogamus; vt Fratres tuos moneas, quoniam Religioſorum Sancti Franciſci viuendi modum, & præſertim pecuniæ renunciationem nouimus, quem diuiciarum contemptum non credentes, aliquando deriſimus, cuius nunc veritatem certam habemus: Illos dumtaxat volumus, quia pauperes, & ex eleemoſynis vitam ducentes, quas eis nos ipſi lubenter erogabimus; ſi in meas terras à nonaginta Populis (quorum ſinguli quadringentas, aut ſexcentas domos occupant) habitatas, aduenient. Neminem habeo, à quibus inſtruantur, præter duos è Societate Ieſu Religioſos; vnum Sacerdotem, alterum verò Laicum. Cùmque tot Populi doctrina indigeant, perſecutiones à Gentilibus patiuntur; qui propter deficientiam Prædicatorum, ipſos ab Eccleſia Catholica ſinu abducere, & retrahere conantur. Hæc & multa alia à meis Chriſtianis ad me ſcripta ſunt Anno 1590.

Tertia Epiſtola ſequens eſt.

Nos Chriſtiani qui in Gentilitate verſantes, Idolorum Sacerdotes extitimus, à te Fratre Gonſaluo Garzia benedictam Sancti Franciſci veſtem gerente, in viſceribus Dei petimus; vt

cùm Templa noſtra, & redditus (te ſuadente) ad Chriſtum conuerſi reliquerimus, noſtri miſerearis; qui per deſerta, & montes erramus, ſylueſtribus alimentis viuentes, nemine cõtentes; Et quia ſcimus Fratres ſacratæ illius Religionis deuotiſſimos, & pauperrimos eſſe; ecce obſecramus, vt veniant ad quærendas, & ſaluandas terræ iſtius animas. Chriſtiani Firandi (qui ad tria millia perueniunt) fideles Xiqui, & alij idem poſtulant.

Tam inſtantibus Chriſtianorum Iaponenſium petitionibus Philippinarum Gubernator annuere volens, & diuinam in eis voluntatem conſiderans, omnia ſibi obiecta impedimenta ſuperauit; & benedictum Patrem Petrum Baptiſtam, cum alijs tribus Diſcalceatis Fratribus, nempè Fr. Gonſaluo Garzia linguæ Iaponicæ peritiſſimo; Fr. Franciſco à Sancto Michaele, aut à Parilla, & Fr. Bartholomæo Ruiz ad Imperatoris Iaponici terras delegauit. Igitur propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum die 26. Maij Anni 1593. exurgens Venerabilis Dei Seruus P. Petrus à Gubernatore Legatus, à Prouinciali ſuo Commiſſarius inſtitutus, è Philippinis egreſſus eſt; poſt triginta dies periculis, & laboribus plenas; ad Firandi Portum ſaluus & incolumis vnà cum ſocijs appulit: Qui ſe in vaſtiſſima Regna introductos videntes ad debellandas tartareas poteſtates, non armis viſibilibus; ſed ſpiritualibus zeli, patientiæ, verbi, & exempli inſtrumentis, illicò Deo Omnipotenti cunctorum bonorũ Auctori gratias humillimas retulerunt. Chriſtiani autem luctu, & mœrore ſepoſito gaudentes, illicò pijs Miſſionarijs adfuerunt; illis namque ſpectaculum Deo, & Angelis dignum exhibuere Minores Legati, vili & repetiata veſte induti, pedibus nudis incedentes, mortificationem Chriſti in vultu ferentes, pœnitentiam ore prædicantes, viam Cœli exemplo monſtrantes: Sancta igitur, & pia curioſitas Populos omnes ad Diſcalceatos noſtros videndos mouebat, nullus enim anteà Ordinis Seraphici filius in Iaponium intrauerat; erat tunc temporis deſerta Chriſtianitas, & vidua paſtoribus Eccle-

Digitized by Google

ſia lugebat. Quos enim Sanctiſſimus Indiarum Apoſtolus Franciſcus Xauerius Chriſto filios genuerat, nemo lacte prædicationis educabat: cùm ex edicto barbari Imperatoris Religioſi Societatis Ieſu Patres, ab eius Imperio fuiſſent relegati: Quare deſolata Ieſu Chriſti Sponſa, captiua filia Syon, deſerta Hieruſalem, ad Sponſi ſui amicum Fratrum Minorum Diſcalceatorum Ordinem clamabat; *Adiuua me ſolitariam, & cuius præter te nullus eſt auxiliator alius*. Eſter 14. verſ. 3.

Præceſſerat Seraphicos Oratores Pharanda, vt de eorum acceſſu Imperatorem moneret; gauiſus eſt iſte, & humano modo recipiendos iudicans, Fugen domeſticum ſuum cum equis, & curribus ad eos miſit: Sed qui Chriſti negocia ſibi commiſſa meminerant, Apoſtolico apparatu vti voluerunt; & diſcalceatis pedibus honoris mundani faſtum calcantes; magna tùm Chriſtianorum, tùm Gentilium admiratione ad Imperatoris Aulam contenderunt. Obſtupefactus nouo ſpectaculo Monarcha, & tam puro ſeculi contemptu motus; plurimam in eos reuerentiam & amorem concepit, eoſque veros Chriſtianos ſibi videri teſtatus eſt; quare perhumaniter exceptis, beneuolum in omnibus fauorem repromiſit: Illi verò rebus Chriſti paupertate & humilitate prouectis, Catholici Regis negocio ſapienter & liberè geſto, ab Imperatoris præſentia receſſerunt; & eo ſic annuente & volente, in Imperij caput Meacum ſe tranſtulerunt.

In ea celeberrima Vrbe Conuentum Beatæ *Mariæ* de Angelis dicatum, Imperatoris & aliorum Gentilium Magnatum liberalitate extruxerunt; nec ædificatio Myſterijs vacauit, namque in ſupremo conditæ nuper Eccleſiæ, Altaris tabulario verba iſta ab omnibus viſa fuere; *Filiæ Ieruſalem, nè ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit*. Cuius inſcriptionis enucleando ſecreto, diuerſis ſententijs laboratum eſt; contigit inſuper, vt Templi Idolorum proximi campana, quæ ſtrepitum ſuum ad multa milliaria diffundere ſolebat, eo die (quo nouæ Ædis campana erecta eſt) penitùs obmutuerit, nullumque ampliùs

ſoni-

ſonitum ediderit: Quo ſanè inditio cœlitùs manifeſtabatur, quòd cùm vox turturis in Iaponij terra audiebatur, ceſſare debebat noctuæ cantus; & canente Chriſti Eccleſia, ſilere Dæmonis ſuperſtitio tenebatur. Tunc enim impletum eſt verbum Sophoniæ Prophetæ in cap. 2. verſ. 14. *Vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari; attenuabo robur eius.* Itaque eodem ingreſſus Diſcalceatorum noſtrorum Anno 1593. die 4. Octobris Seraphico Patri S. Franciſco deuota, perfectum & conſummatum fuit ædificium, primumque corporis & ſanguinis Chriſti Sacrificium in Eccleſia oblatū eſt; & à feruidis Miſſionarijs, eorumque coadiutoribus Fr. Martino ab Aſcenſione, & Fr. Franciſco Blanco nuper è Philippinarum Prouincia miſſis, prædicationis exercitium in ipſamet Regia (nemine contradicente) inchoatum eſt: Immò tantus erat in eos ipſius ſupremi Dominatoris affectus, tantaque deuotio; vt ſemel incognitus (media nocte) eorum matutinis Horis adfuerit, & palam Aulicis ſuis dixerit, *pauperes illos, & humiles Fratres non eſſe à Gentilium conuerſione arcendos.* Dein quod in aure audierant Chriſtiani, publicè repetebant; tunc licebat omnibus roſaria, cruces, coronas, imagines, & cætera deuotionis inſtrumenta manifeſtare: Eodem anno, die omnium Sanctorum ſolemnitate percelebri, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Sancta Sanctorum delatum, & repoſitum fuit; Chriſtus autem cultum, & honorem ſibi exhibitum crebris miraculis compenſauit, interque iſta notiſſima ſunt, quòd Angelorum chori collaudantes Deum, & alternis vocibus humanos concentus adiuuantes auditi fuerunt; quòdque cùm in Aede Virginis Matris nulla lampas arderet, apparuere quatuor lucidiſſimæ, totidem illuminationis Prædicatorum noſtrorum annos ſignificantes. Audita fuit eadem cœleſtis Muſica, dùm in feſto Natiuitatis Chriſti B. Commiſſarius Petrus nocturni Sacrificij hoſtiam immolaret.

Tam ſtupendis prodigijs Populi zelus accendebatur, ideò Chriſtiani vt rubiginem tot annorum ſilentio, & timore contractam excuterent, pietatis exercitia duplicabant; & in Ec-

Digitized by Google

cleſiam Fratrum Minorum, & precaturi, & diſciplinam ap-præhenſuri frequenter conueniebant. Interim à pijs Miſſionarijs nihil eorum omittebatur, quibus ſeipſos bonorum operum exempla præberent; excogitauit autem nouam artem illorum charitas, quæ non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, eos mirabiles & toti Nationi amabiles effecit.

Inter omnia mala, quibus humana mortalitas ſubeſt, nullum eſt inter Iapones communius, nullumque ipſis intolerabilius lepra; horrent ad aſpectum leproſi, nec dubitat vxor à marito, nec vir ab vxore; neque Pater à filio, nec etiam natus à Parente lepra infecto recedere: Nulla eos affinitas, nulla ſanguinis cognatio tangit; moritur infœlix, & omni deſtitutus auxilio, qui tam grauem morbũ contraxit. Quod videns pijſſimus Commiſſarius, tactus dolore cordis intrinſecus, licet naturæ ſuæ in peccatis conceptæ amarum eſſet videre leproſos; teſtamentum verò Seraphici Patris ſui Franciſci, tanquàm legitimus eius hæres exequi volens, diuinæ ſe diſpoſitioni commiſit, & ipſe Dominus conduxit eum inter illos, & fecit miſericordiam cum illis: Quod autem videbatur illi valdè amarum, ei conuerſum fuit in maximam animæ, corporiſque dulcedinem. Vndè vt infœlicibus leproſis ſuccurreret, duas ad vtrumque Conuentus ſitus, hoſpitales Domos Sanctis Beatæ Virginis Sponſo, & Matri dicatas, ex Gentilium eleemoſinis conſtruxit; & vni Leonem, alteri Paulum Tertiarios præfecit, quorum charitatem (vt infra videbitur) martyrij gloria coronauit: Suſtentabantur, & curabantur in illis Domibus pluſquàm centum & triginta leproſi, præter alios varijs infirmitatibus languentes; quibus diuinæ Prouidentiæ cura, medicinas & alimenta ſuppeditabat. Si quis autem tantæ humilitatis profunditatem in Viro Dei Petro, & Regis Catholici Legato miretur, illam ſacro amoris incendio tribuat; nam ex Diuo Bernardo, *Amor dignitatis neſcius*.

Quantùm impenſo leproſis officio profecerint Apoſtolici Viri, non facilè dici poteſt; teſtimonium reddebant eis

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani, & Gentiles; iſti laudis, illi imitationis. Fideles enim ſuperata carnis contradictione, libenter lepram videbant, immò & manu contrectabant; quod autem maius eſt, ore & lingua lambebant, Chriſtum propter peccata noſtra quaſi leproſum effectum reminiſcentes: Idololatræ verò cum nullius mundani commodi vtilitate ductos Religioſos agnoſcerent, Chriſtianæ fidei virtutem mirabantur; & ipſemet Imperator ſemel confeſſus eſt, ſe ex eorum zelo, & amore colligere Chriſtum Saluatorem eſſe, & bonorum operum in altera vita iuſtum Remuneratorem. Prætereà feruens Commiſſarius ſcholam inſtruendis pueris aptam ædificauit, in qua lacte ſalutis potabat eos, & ab Idololatriæ veneno retrahebat; ad hæc ſtridebant dentibus in eum Idolorum Sacerdotes, & diſſecabantur cordibus. P. Petrus autem cùm eſſet fortitudine plenus & ſapientia, ad vlteriora progrediens Nangaſachum ſe contulit; vbi & in alijs Iaponij terris vndecim Conuentus & Eccleſias Diſcalceatorum, & ſeptem leproſorum Hoſpitalia à ſeipſo, & à ſuis in breui conſtructa vidit. Horum etiam labore, ac induſtria innumerabilis hominum multitudo, aut in fide ſolidata, aut ad eam conuerſa permanſit; nec mirum, ſi tam modico tempore tam multa perpetrauerint opera; cùm ſit (teſtante Sancto Hieronymo) longum iter per præcepta, breue autem & efficax per exempla.

De initio perſecutionis, & de glorioſo Beatorum Petri Baptiſtæ & ſociorum eius, aliorumque Protomartyrum triumpho.
Cap. VI.

FLorebat mirum in modum Iaponij Chriſtianitas, & intra quadriennij ſpatium ſtupenda incrementa perceperat; ſed ecce cor Regis immutatum eſt, & recedente ab eo Spiritu pacis & amoris, exagitauit eum Spiritus nequam. Quærebat inimicus homo molles Regiæ mentis aditus, & tempora ſeminandi zizanij obſeruabat; prophani Sacerdotes prima in Viros Dei venena euomuerant, nihilominùs influctua-

fluctuabat adhuc Imperatoris animus, & quanquàm ſolitas autem eleemoſynas non ampliùs illis erogari iuſſiſſet, libertatem tamen prædicandi nondum ademerat. Qui igitur artes mille nocendi habet, à totalis deſtructionis propoſito non deſtitit; donec miniſtrantibus materiam Idolorum Sacerdotibus, alijſque Inferni conſiliarijs grauiſſimæ perſecutionis flammas accendit: Imperator ergo ex agno manſueto in furibundum leonem cõuerſus, falſis ac peruerſis domeſticorum, & Principum ſuorum ſuaſionibus aſſentiens; præcepit plantatam in terris ſuis Chriſti Domini vineam radicitùs amputari, & omnes (quotquot eſſent in Iaponij Regnis) Religioſos, & Chriſtianos carceribus mancipari.

Itaque primæ excitati incendij victimæ fuerunt ſex Minores noſtri Diſcalceati, primitiæ Deo & Agno, Iaponij Protomartyres, purpurati Catholicæ fidei teſtes; qui à ſatellitibus capti, cùm à Chriſti confeſſione nullo modo dimoueri potuiſſent, poſt multa carcerum, & longi itineris incommoda, poſt extremæ auriculæ crudeliſſimam abſciſſionem, poſt publicas deriſiones, famem, ſitimque toleratas, pro Ieſu Chriſti nomine extra muros Oppidi Nangaſachi, die 5 Februarij Anno 1597. cum alijs ſeptemdecim Tertitiarijs, eorumque coadiutoribus & familiaribus, & cum tribus Societatis Ieſu filijs, in crucem acti lanceiſque tranſuerberati, glorioſi martyrij palmas obtinuerunt.

Quàm multa prodigia Beatorum paſſiones præceſſerint, quàm læto & hilari animo ad Crucis tormentum acceſſerint, quantam Populi deuotionem, qualem omnis ſexus & ætatis æmulationem commouerint, enarrare non ſuſcipio. Hic ſolummodò cauſam mortis ipſorum verbis Iaponicis ſcriptã Latinæ fidei reddam: *Quoniam iſti homines è Philippinis cum titulo Legatorum venerunt, & Meacum ſe recipientes legem Chriſtianam à me annis præteritis ſub grauibus pœnis prohibitam prædicauerunt; iubeo, vt cum Iaponibus ipſorum legi adhærentibus occidantur, itaque iſti viginti quatuor Nangaſachi crucifigentur. Iterùmque dictam legem prohibeo; vt in omnium notitiam iuſſio mea perueniat, quam executioni mandari volo. Si quis*

autem

autem eam temerariè infregerit, ſe cum tota progenie ſua grauiter puniendum agnoſcat. Primo de Anno de Queicho, die decima Lunæ vndecimæ. Sigillum Regale.

Quibus 24. condemnatis, ſi duos ipſis adauctos in via adiungamus, omnes ad ſupramemoratum viginti ſex numerum attingere reperiemus.

Quibus autem vijs cum palma ad Regna peruenerint hi Beati, & coronas decoris acceperint de manu Dei, hic deſcribendum eſſe exiſtimo; vt & Martyrum honori, & legentium ædificationi conſulatur: Quapropter breuem vitæ cuiuslibet ipſorum hiſtoriam, vel ſaltem nominis, & officij notam aſſignabo. Omnium dignitate primus fuit B. Pater Petrus Baptiſta, ſed ordine mortis poſtremus; vt enim Salomoneam Machabæorum Genitricem, & Sanctam Fœlicitatem ſeptem Fratrum Martyrum Parentem imitaretur, vltimus precatus eſt crucifigi, & diſpoſitione diuina factum eſt, vt filios ſuos ad gloriam præmitteret, & deindè de eorum victoria certus ipſe triumpharet.

Beatus itaque Martyr Philippus, Frater noſter, alios martyrio præceſſit. Iſte in Prouincia Angelorum nouæ Hiſpaniæ Ordini Seraphico aggregatus, manum miſerat ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus fortè non fuiſſet Regno Dei, niſi poſt geſtam in Sina mercaturam, iterùm Chriſti iugo in Prouincia Sancti Gregorij collum ſubdidiſſet: Factus igitur denuò Minor, cùm in nouam Hiſpaniam traijcere vellet; naui (qua ferebatur) in Iaponij littus reiecta, ab infidelibus apprehenſus eſt. Cùmque ſe Chriſtianum & Religioſum liberè declaraſſet, in naufragio præfatæ nauis portum ſalutis inuenit, & admirandum nobis diuini conſilij ſecretum reliquit; dum iactura ratis Sancti Philippi titulo conſecratæ, occaſio ſalutis fuit homini eiuſdem nominis poſſeſſori: Vno verbo qui aduerſantibus ventis, & intumeſcentibus procellis, ad nouam Hiſpaniam appulere non potuerat, inuenit ſecundam poſt naufragium tabulam; ſcilicet crucem, & inuocato nomine Ieſu, in nouam Hieruſalem fœliciter intrauit.

Digitized by Google

Genuit Ordini Seraphico Franciſcum Blancum alma Prouincia Sancti Iacobi Regularis Obſeruantiæ; ſed eum Eccleſiæ & Cœlo Philippini Conuentus educarunt, in quibus domicilium habitationis accepit, & Minoribus Diſcalceatis eſt aſſociatus. Iſte Sanctiſſimæ Virgini Deiparæ addictiſſimus fuit, orationi & pœnitentiæ indefeſſus vacauit; ter ſingulis diebus diſciplina corpus afflixit, puritatem cordis, & linguæ innocentiam ſemper coluit: Cùm in Iaponium tranſiſſet, intra tres menſes ſufficientem confeſſionibus audiendis, linguæ intelligentiam acquiſiuit; ſumma charitate leproſis ſeruiuit. His virtutum, & bonorum operum gradibus, ad crucis mortem peruenit, quam læto & ſereno vultu aſpiciens, & in hæc verba erumpens: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, ſe lanceis transfigendum obtulit, & ad vltimum vſque halitum à diuinis laudibus non ceſſans, ſtolam iucunditatis accepit in ſanguine Agni dealbatam.

Egregium Concionatorem P. Martinum ab Aſcenſione filiæ ſuæ Sancti Gregorij prouida eius Mater Prouincia Sancti Ioſephi dedit. Cantaber erat genere; & Diſcalceatus Ordine, miræ paupertatis, orationis & pœnitentiæ fuit;orabat quotidiè Dominum, vt ſibi (non quidem ad dexteram, vel ſiniſtram ſedere daretur) ſed vt calicem (quem biberat) ipſi guſtandum porrigeret, vt enim verus Crucifixi Diſcipulus eſſet,crucē baiulare poſt eum volebat:Licet enim ſignū Aſcēſionis prognoſticum pręferret in nomine,non tamen in montem transfigurationis,ſed in collem crucifixionis;nō in Thaborem, ſed in Caluarium aſcendere peroptabat. His dum intentus ſupplicationibus viueret, reſponſum accepit à Spiritu Sancto interiùs ei loquente, illum eſſe viuum lapidem Eccleſiæ Iaponicæ conſtructioni deſtinatum: Ad Philippinas igitur tranſmiſſus, Artes & Theologiam docuit; indè in Iaponium intrans, mox à prouido Commiſſario Petro Conuentus Oſacani Superior nominatur. Tandem vt promiſſam ſibi coronam conſequeretur, cruci affixus, & lanceis tranſuerberatus, conuerſa ad Cœlum facie deuotum Populis circunſtan-

Digitized by Google

cumſtantibus ſpectaculum exhibuit; Ipſe autem Martinus pauper & humilis, Cœlum diues ingreſſus eſt, & ad montem beatæ viſionis aſcendit hymnis cœleſtibus honorandus. Sequitur indè benedictus Frater Gonſaluus Garzia, qui cũ pluribus annis corruptibilis mercaturæ commercium in Iaponio exercuiſſet, ad Philippinas ſeceſſit; vbi relictis omnibus, pretioſam Seraphicæ paupertatis margaritam in Diſcalceatorum Conuentu quæſiuit: Habitu autem Franciſcano indutus, cum B. Commiſſario Petro ſocius Legationis & Miſſionis, in Iaponium reuerſus eſt; vt gentes Chriſto lucrifaceret. Cùmque nuper dum in ſeculo viueret, Taycozamæ Imperatori notus fuiſſet; ob magnum diuiciarum contemptum, eidem iterùm notiſſimus, & cariſſimus extitit:Sed cùm furor & ſuperſtitio beneuolentiam Regis ſuffocaſſent, crudeli ipſius edicto compræhenſus, martyrij palma decoratus eſt; & corporis vitam perdens pro Chriſti fide, animam cum Dei gratia ſaluauit, Mundo perditus, Cœlo ſaluus ad immarceſſibilem ſalutem tranſiuit.

Quintus extitit Fr. Franciſcus à Sancto Michaele, nobilitate ingenita clarus, Prouinciæ immaculatæ conceptionis in Hiſpania Profeſſus; ſed altioris perfectionis, & Reformationis zelo ductus,Prouinciæ Diſcalceatæ Sancti Ioſephi voluit aggregari. Laicus erat omni virtutum genere excultus, martyrij autem deſiderio flagrans ad Philippinas mitti poſtulauit; vbi Crucis ſigno hominem Indum viperæ morſu labefactatum è mortis indubitatæ faucibus eripuit, & mulieri agonizanti amiſſum linguæ vſum reddidit, vt Baptiſmum petere, & eius lauacro ſaluari poſſet: Quibus actibus cum ſe alium Raphaelem exhibuiſſet, cùm ſe paupertate, puritate, abſtinentia, & ſenſuum mortificatione dignum Franciſci nomine oſtendiſſet; tandem pro Dei gloria crucifixus, ſanguinis ſui teſtimonio firmauit, quod Propheta cecinit: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat*. Et efficaciùs ingerens paſſione, quam ore (*quis vt Deus*) ſe in cœleſti prælio verum Michaelem eſſe probauit.

Præmiſit filios ſuos cariſſimos feruentiſſimus Dei Seruus

P. Petrus Baptiſta, vt in ſingulis amor paternus cruciaretur, & in omnium victoria triumpharet. Natalium ſplendore corruſcarat, & in Conuentu Arenarum à S. Petro de Alcantara extructo, Fratrum Minorum Diſcalceatorum vitam profeſſus erat; omnium Fratrũ teſtimonio humillimus, obedientiſſimus, pœnitentiæ & orationis amantiſſimus habebatur, qui prædicationis officium cum maximo audientium progreſſu exercuit: Cùm autem ad Philippinas tranſmeaſſet, Cuſtodiæ præfici, & à Philippo II. Catholico Monarcha, Epiſcopatui Camerinarum deſtinari meruit; ſed ſanctiori deſiderio motus, conuerſionem infidelium ambiebat, quarè in Iaponium (licet ægrè accepto Legati munere) profectus eſt; quid ibi pro Dei gloria, fidei Catholicæ exaltatione, Chriſtianorum, & Gentilium ſalute corporis, & animæ patrauerit, ſuperiùs expoſitum eſt. Igitur Petrus Baptiſta cùm gemini ſui Patroni munus impleſſet, cùm (velut olim Apoſtolorum Princeps) infideles multos ad fidei dogmata conuertiſſet, cùm (ſicut Chriſti Præcurſor) pœnitentiam omnibus prædicaſſet, & viam Domini in eremo Iaponij præparaſſet, innocentiſſimam vitam pretioſa in conſpectu Dei morte concluſit; & qui Petri Apoſtoli fidem in genere mortis imitatus eſt, officium quoque Baptiſtæ in patibulo Crucis accepit, dum Iaponum Protomartyr effectus, primus cœleſtis gloriæ viam monſtrauit verbo & exemplo, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*.

Horum martyrio aſſociati fuere tres pueri, Ludouicus, Antonius, & Thomas Iapones; qui nec minis, nec adulationibus à confeſſione fidei potuerunt auerti, nec à chariſſimis Magiſtris ſuis Diſcalceatis noſtris auelli. Hi duodecim, tredecim, & quatuordecim annorum martyrium ſubijſſe traduntur, quò deteſtabilior crudelitas, quæ nec minuſculæ pepercit ætati; immò magna vis fidei noſtræ, quæ etiam ab illa teſtimonium inuenit ætate; fuit nè in illis corpuſculis vulneri locus? & qui non habuerunt, quo ferrum reciperent, habuerunt quo ferrum vincerent; Hi inter cruentas carnificum manus impauidi, hi ſtriden-

tium grauibus catenarum tractibus immobiles,nouum martyrij genus nondùm idonei pœnæ, & iam maturi victoria, certare difficiles; faciles coronari; magiſterium virtutis impleuere, qui præiudicium vehebant ætatis. Flere omnes, ipſi ſine fletu, mirari plerique; quòd tam facilè vitæ ſuæ prodigi, quam nondum hauſerant, iam quaſi perfuncti donarent: Stupere vniuerſi, quòd iam diuinitatis teſtes exiſterent, qui adhuc arbitri ſui per ætatem eſſe non poſſent.

Præter iſtos teneros flores, quos in ipſo pubertatis decore, infidelitatis pruina decoxit; iuuat & nomina aliorum Tertij Ordinis noſtri Martyrum referre: Qui enim participes fuere laborum; quidni erunt & honorum? & qui noſtrorum Diſcalceatorum adiutores in miniſterio fuere, & conſortes in martyrio; quidni erunt & in encomio? Paſſi ſunt ergo fideles Chriſti Athletæ Paulus Suzuqui, cuius breuis & compendioſa laudatio eſt; quòd leproſorum Hoſpitalarius ſummè charitatiuus extiterit, quòd Fratres noſtros in prædicatione, & conuerſione Gentilium inceſſanter adiuuerit. Gabriel Iapo à ſexdecim annorum ætate, Religioſorum noſtrorum obſequio addictus: Thomas Catechiſmi Prædicator, à Fratribus noſtris inſtitutus; Franciſcus à Meaco Medicus, & Fratrum interpres. Ioannes Saquier ab Oſaca, ſanctorum Miſſionariorum domeſticus: Bonauentura à Meaco, cui nihil vnquàm melius venit, quàm cùm à pueritia baptizatus, à fide Catholica per apoſtaſim receſſiſſet, & Idolorum Sacerdotio fungeretur; ſed à Minoribus Diſcalceatis ad ouile Chriſti reductus, & cum eis tandem crucifixus extiterit. Ioannes Quicuya à Meaco, vicinus & domeſticus Fratrum: Leo Caracuma è Boari Regno oriundus, præcipuus Prædicatorum noſtrorum interpres, Vir tantæ Charitatis, vt ſubacta naturæ repugnantia, leproſis irremediabilibus ſeruierit; præter autem conceſſam ipſi martyrij gloriam, Deus bonorum Remunerator, eius corpori tantum decorem contulit, vt quadraginta poſt crucifixionem diebus, vultus eius candidus, & decorus apparuerit. In-

Inſuper Mathias à Meaco, ſuper quem ſors martyrij fœliciter cecidit: Cùm enim alter Mathias Beatorum condemnationis ſocius, tempore eorum incarcerationis abeſſet, & à ſatellitibus requireretur; iſte ſe vltrò obtulit dicens, *Mathiam Chriſtianum quaeritis? ecce me, qui Mathias vocor, & Chriſtum colo, capite me; fides enim concordat cum nomine.* Paulus in Boari Regno natus, familiaritate & amicitia Fratrum donatus, cum ipſis condemnatus, & crucis paſſione coronatus eſt: Coſmas Patroni ſui in vita & morte imitator; ægrotis Hoſpitalis noſtri ſeruiuit, & ſibi martirij gloriam acquiſiuit. Michael Cozaqui pueri Thomæ Martyris Pater, Fratrum domeſticus, & pœnarum haud impar fuit: Petrus Suxequiſa fuit vnus ex illis, qui à ſatellitibus in via (per quam alij Martyres ducebantur) reperti, vinculis alligati, & cæterorum numero adaucti fuerunt; Franciſcus Carpinterus ſecundus adauctus, qui Martyribus perhumaniter compatiens, ipſis meruit aſſociari. Illis Diui Franciſci filijs, tres è ſacratiſſima S. Ignatij familia coniuncti fuere: Primo nomen erat Paulus Michi, Vir planè Apoſtolicus; alij duo Didacus Quizar, & Ioannes Goto nominabantur, qui cùm Societatis Ieſu Patrum domeſtici eſſent, in ipſo paſſionis loco & tempore à Patre Roderico, dictæ Societatis Religioſo, ad ſacra eiuſdem vota admiſſi fuere.

Quemadmodùm autem quamplurima glorioſam Seruorum Dei mortem, prodigia de Cœlo miſſa præceſſerant, ſic & eandem multa miracula ſunt ſubſecuta: Quibus omnibus ad Sanctiſſimum Dominum Vrbanum VIII. relatis, Optimus & Sapientiſſimus Pontifex omnia ad palmam martyrij comparandam requiſita, cauſam ſcilicet, pœnam, & voluntatem in eis reperiens, cùm Sacra Rituum Congregatio cenſuiſſet conſtare de martyrio, & miraculis; ideòque ad actualem illorum Canonizationem quandocùnque deueniri poſſe. Bullam edidit die 14. Septembris Anni 1627. qua præfatos ſex Fratres Minores Diſcalceatos & ſeptemdecim Iapones eorum Diſcipulos, domeſticos, co-

adiuto-

adiutores & familiares , numero Beatorum adſcribens , auctoritate Apoſtolica permiſit ; vt de eiſdem Martyribus , tam ab omnibus Ordinis Diui Franciſci Religioſis vbique exiſtentibus, quàm etiam alijs Eccleſiaſticis & ſecularibus , perſonis Manilenſis dumtaxat (vbi præcipui dictorum Martyrum pro Chriſti fide laborantes valdè profecerunt) Officium , & Miſſa de Communi plurimorum Martyrum , die eorum natalis (videlicet die quinta Februarij) recitari , & celebrari reſpectiuè , liberè , & licitè poſſit , & valeat.

De breui quindecim annorum tranquillitate , de origine nouæ perſecutionis in Iaponio , & de ſucceſſu expulſionis Euangelicorum Miniſtrorum , Cap. VII.

INter alios deuoti Commiſſarij & Martyris Petri Baptiſtæ filios erat Pater Hieronymus à Ieſu ; cuius induſtria & ſolertia, cùm optimè Viro Dei perſpecta eſſet, ipſi mandauerat ; vt (ſe melioribus Chriſtianæ Reipublicæ temporibus reſeruans) lateret , obedierat Patri , & Magiſtro ſuo Hieronymus , & è Iaponio Manilam tranſierat ; vt Prouinciali Philippinarum de rerum ſucceſſu rationem redderet , & nouos Miniſtros ex illo Concionatorum Seminario ſecum reduceret : Incredibilis eſt zelus , quem Protomartyrum exempla animauerant ; ſed cum difficilem acceſſum minæ Imperatoris reddidiſſent , præfato Patri Hieronymo cum vnico tantùm ſocio transfretare liberum fuit : Quorum aduentus diù Tyranni Miniſtros non latuit ; ideò ſocio capto,Hieronymus (qui locorum amphractus nouerat) ſaluus euaſit . Interim moritur barbarus Imperator,& crudeli morbo afflictus ſcelerum ſuorum pœnas luit ; erat illi vnicus octennis filius , quem ſub Liaſu Regis Bandou tutela reliquit : Sed cùm in Principibus confidendum non ſit , Liaſu depoſito Tutoris nomine ; Imperatoris inſignia cœpit , vtque Regni ſui primordia diuitijs firmaret , ſtatuit latens in viſceribus terræ Regni Quanto, aurum effodere.Cûque

que tam difficili labori operarijs aptis careret, indicatum ſibi Patrem Hyeronimum ad ſe vocauit, cui benignè loquens perſuaſit; vt Manilam pergeret, & indè Hiſpanos auri è fodinis eruendi ſcios traduceret, addens inſuper licentiam publicè prædicandi Populo,& plebem baptizandi (exceptis ab hoc beneficio Nobilibus) & Eccleſiam ædificandi: Quam equidem promptè conſtruxit, & in primo Miſſæ Sacrificio in ea celebrato, Gentilem quendam præcipuum, energumenum è Dæmonis poſſeſſione liberauit.

Ad Philippinas autem iuxta Regis præſcriptum tranſiens, optatum ab eo finem conſecutus eſt,& Meacum ad eius præſentiam reuerſus, ipſo permittente Conuentum in ea Vrbe fundauit; & aſpirante pacis & tranquillitatis flatu, intra breue tempus ſeptem Ordinis Seraphici Domus in Iaponicis terris extructæ fuere: Ad quas ſubitò vigilantiſſimus Philippinarum Prouincialis, ſubſidium octo Religioſorum miſit, quorum omnium labore fides Catholica procellis concuſſa, radicari & firmari cœpit; plurimique Gentiles ad eam amplectendam inducti fuere, & multi ab eius apoſtaſia, ad Eccleſiæ Romanæ gremium rediere. Gauiſa eſt hac ſolida pace Chriſtianitas ab Anno 1598. die verò 16. Septembris, qua crudelis & impius Taycozama Imperator occubuit, vſque ad Annum 1613. quo noui Imperatoris ficta manſuetudo in rabiem, & furorem mutata eſt; & ab eo crudeliſſimæ perſecutionis ignis fuit excitatus,& à linguis iniquorum hominum carbones ſuccenſi fuere; quorum præclariores victimas noſtros Philippinarum Diſcalceatos appellare licebit, vt ex plurimis monimentis conſtat, ſed præſertim ex fideliſſima relatione teſtis ocularis Patris Didaci à S. Franciſco, eiuſdem Ordinis in Iaponio Prædicatoris & Commiſſarij, ex qua ſequentis narrationis contextum deſumpſi; vtpotè quæ veritatem ingenuè dicit,& magnam deuotionem inſpirat. Sic autem originem perſecutionis expono.

Antiquus ille hominum Aduerſarius circuiens ſemper quem deuoret, cùm Protomartyrum noſtrorum ſanguine, velut quodam Chriſtianorum ſemine, nouam Iaponicæ terræ

Eccle-

Eccleſiam fœcundatam videret; cùmque in ea timeret impleri, quod Saluator noſter in Iudæa nunciauit: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius Mundi eÿcietur foras.* Suſcitauit homines ſine fide, auaritiæ ſeruientes, turpis lucri cupidos, Batauos ſcilicet, ſiuè Hollandos negociatores; qui non quærentes bonā margaritā, fidem nimirùm, quā per hæreſim amiſerūt, ſed māmonā hæreſis, auaritiæ & inuidię ſtimulis agitati, multa ſuggeſſerunt Agaxozamæ Imperatori (qui nuper Liaſu vocabatur) quibus eius indignationem cōtra Chriſtianos, & præcipuè erga fideles Sancti Euangelij Miniſtros excitarunt: Horum mendacijs & dolis circumuentus Imperator, conuocato ſuorum Conſilio ſtatuit, vt deinceps ſolis Hollādis, & Anglo-Britannis (quos hæreſis ſocios fecerat) negociatio libera, & commoratio tuta in ſuis Regnis daretur; Sacerdotes autem, & Miniſtros Catholicos extra terrarum ſuarum limites eodem edicto iuſſit expelli. Publicatum fuit Tyranni decretum Anno 1613. ſed vſque ad annum ſequentem, non extitit executioni omninò mandatum.

Itaque eo vbique vulgato ibant per omnes Prouincias milites; vt quoſcunque inuenirent huius viæ viros, ac mulieres, omnes in Ciuitatem Nangaſachum perducerent: Illud enim Oppidum totum à Chriſtianis erat inhabitatum, & ob portus ſui commoditatem expulſioni demandatæ facilem exitum dabat. Completum eſt ergo Regis edictum per quendam exercitum ab eo miſſum, qui cum magna violentia Chriſtianos, & Dei Summi Sacerdotes, fideleſque Miniſtros in naues profectioni paratas intrare coegit; vt quidā ad Philippinas Inſulas, alij Macanam maioris Sinæ Vrbem deferrentur: Sed qui olim per medium Iudæorum ſaluus & incolumis ibat, quia prædicationis ſuæ finis, & paſſionis ſuæ tempus nondum aduenerat, voluit; vt fideles Euangelij ſui Præcones ſex Diſcalceati Franciſcani, impiorum militum oculos & manus effugerent, & in ſecreto laterent, nè operarijs deſtitutus Iaponicus ager, ſpinas & tribulos ſub tam malignis influxibus procrearet. Magna profectò fuit illorū

charitas,& laudabilis zelus; videbant oues deuorari proximas; cernebant lupos ore aperto Chriſtiani gregis ſanguinem appetentes, quid facient Paſtores boni? nunquid mercenarij ſunt, vt fugiant: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis; mercenarius autem qui non eſt Paſtor, & cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues*. Latuerunt itaque, nè Iaponium desererent, nè Chriſti ouile paſcuis, nè Dei vineam laboribus, nè Domum Domini cuſtodijs priuarent. Horum autem nomina æternis benedictionibus digna ſilere non decet, iuſtum enim eſt; vt vbique cognoſcantur, & vbique laudentur Venerandi Patres Petrus ab Aſſumptione Prædicator & Commiſſarius, Apollinaris Francus, Ludouicus Gomezius, Ioannes à Sancta Martha, Petrus ab Auila, Didacus à Sancto Franciſco Concionatores, & Fr. Gabriel à Magdalena Laicus, eximia perfectione ornatus; quos è latebris emergentes mira, & ſtupenda pro Chriſto pati,& agere infra videbimus.

De præfatorum ſex Diſcalceatorum in varias Iaponiꝫ partes diuiſione, & de rebus à Patre Didaco à Sancto Franciſco in ſua Regione factis. Cap. VIII.

CVm mei propoſiti non fuerit, graues à Chriſtianis Iaponicis toleratas perſecutiones deſcribere; ad ea quæ Fratres noſtros Diſcalceatos ſpectant, exiſtimo properandum. Cùm igitur Anno 1614. omnes Imperij Iaponici Vrbes ſanguine fidelium maderent, cùm à barbari & iniqui Regis tortoribus nulli ſexui, nulli ętati, nulli conditioni parceretur; poſt expulſos & relegatos omnes (quotquot Nagaſachum congregari poterant) Religioſos, Prædicatores, Clericos Iapones, & adiutores: Noſtri ſex Diſcalceati prodeuntes è latibulo, vt quod in arcano orationis audiuerant, Populis annunciarent; cum ſalutaris obedientiæ merito, in diuerſas Imperij Iaponici partes abiere, in quibus quid egerint, quidue paſſi fuerint, ſucceſſiuè legendum objicietur.

Sors

Sors itaque diuinæ Prouidentiæ Venerabilem Patrem Didacum à Sancto Franciſco Aleacum, Ciuitatem numeroſo Populo celebrem, miſit; ſunt in ea vltra centum viginti millia incolarum, quorum plerique Chriſtianam profeſſionem ſectantur. Quàm iucundè ab illis ouibus Chriſti ſine Paſtore viſibili errantibus receptus fuerit, non facilè dixerim; manebat ille ſucceſſiuè per aliquos dies in domibus eorum, & eos, multoſque alios ſpiritualibus alimonijs reficiebat: Ibi autem per aliquos menſes commoratus eſt, diem, noctemque in operibus charitatis inſumens; modò eſcam ſacræ Communionis, modò ſal prædicationis, modò medicinam Confeſſionis, modò aquam Baptiſmi adminiſtrans; tantaque erat aduenientium multitudo, vt vix exiguum cibo corporali recipiendo, & ſomno neceſſario ſumendo tempus Venerando Confeſſori ſupereſſet.

Sed quoniam à Sancto Chriſoſtomo dictum meminerat, diuini verbi Præcones non ad vnam Ciuitatem, non ad vnam Prouinciam, vel Regnum fuiſſe deputatos; ſed Chriſtum eis dixiſſe: *Euntes in vniuerſum Mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Idcircò conſolatis, & ſufficienter inſtructis Aleaci Chriſtianis, ad Ciuitatem Yendum Imperatoris ſedem perrexit; multos Chriſto filios in ea totius Iaponij Matre pepererant Apoſtolicæ religionis Diſcalceati Minores, & in illam intrantes primi, tres vni, & trino Domino Eccleſias intra, & prope eius ambitum ædificauerant: Tanti operis Promotor extiterat inſignis Dei famulus Fr. Ludouicus Sotellus, Vir planè mirabilis (de quo infra ampla dicendi ſeges occurret) qui exorta perſecutione, cum pluribus à ſe genitis in Chriſto filijs captus & incarceratus, Magnatum & Principum Iaponij, præſertim verò Idatæ Mazamunæ Regis Voxu poteſtate liberatus extiterat, relictis in carcere Chriſtianis Iaponibus, qui deindè varijs tormentis propter fidem cruciati interierunt. Ad illam igitur Eccleſiam Paſtore deſtitutam propter memorandam dicti Patris Ludouici Sotelli Legationem ſuo loco narrandam, properauit feruentiſſimus Pater Didacus à Sancto Franciſco; ſed ob graſſantia

inter Imperatorem, & defuncti Monarchæ filium bella,liber non patebat acceſſus: Quare donec opportunior adeſſet occaſio, Aleaco in Regnum Alini tranſijt, in quo per duos menſes conuerſatus eſt per Ciuitates, & pagos prædicans Euangelium Dei;miram ſanè deuotionem exhibebant fideles terrarum illarum Populi, dum è diſtantibus locis omnis ætatis ſexus, & conditionis viri & mulieres, ad pijſſimum Confeſſorem, die noctùque veniebant. Viſi ſunt, ò pietatis exceſſus! Maritus & vxor, pij certè & feruidi coniuges, nec domeſticæ rei ſollicitudine, nec longi itineris periculo, nec caneſcentis ætatis debilitate retardati, à ſexcentis milliarijs Confeſſionis ſanctæ remedium accepturi veniſſe; in quorum zelo non parua noſtrorum Chriſtianorum confuſio eſt, qui præſentem medicinam reſpuunt, & oblata ſibi Eccleſiæ Sacramenta recipere non curant: Dicet illis in die vniuerſalis Iudicij Chriſtus omnium operum teſtis,& Iudex; vides homo hunc hominem, vides mulier hanc mulierem, iſti contra vos exurgent in iudicium pigritiæ, & puſillanimitatis veſtræ. Tanta autem erat aliquorum innocentia, vt quatuor annorum facta confitentes, vix materiam abſolutionis offerrent;cùmque de mirabili in via mandatorum Dei rectitudine interrogarentur, reſpondebant quòd Confeſſorum penuriam conſiderantes, ſibi ſemper inuigilabant, & carnis appetitus timoris Dei fræno coercebant.

Succeſſere quamplurimi caſus Miſſionario noſtro, quorũ duo, quia rari, ad fidelium ædificationem hic adiungi debent. Venit inter alios nobilis Eques nondum baptizatus, vt à Venerabili Patre abſolutionem culparum reciperet; ſic autem Confeſſori innotuit carentia Baptiſmi, cum enim(iuxta morem) ab eo peteret, à quo fuerit ſpiritualiter regeneratus, reſpondit, quòd tredecim annos natus, à ſuis Patre & Patruo Chriſtianis diù ſollicitatus fuit, vt pro ſalute animæ ſuæ Chriſtianam Religionem profiteretur: Cùmque eorum petitionibus acquieſcere nollet, illi per vim efficere volentes, quod per amorem aſſequi non poterant; eo appræhenſo, capiti eius aquæ poculum infuderunt, dicentes verè

eſſe

eſſe Chriſtianum, & vt talem ab eis ſemper habitum fuiſſe, licet vſque ad trigeſimum ætatis annum in gentilitia ſuperſtitione permanſerit, & exindè Catholicam veritatem ſecutus fuerit. Cùm ergo ſciret optimè doctus & pius Confeſſor, neminem ſaluari inuitum, nec poſſe Baptiſmum conferri omninò reluctanti, nec vllo modo conſentire volenti; eum enixè flagitantem cum filijs, conſobrinis, ac famulis eius, ſacro Baptiſmate regenerauit.

Accidit etiam apud Populum nomine Ychinomiya, vt ad deuotum Patrem ambo Coniuges, ambo iuuenes, ambo forma ſpecioſi pro Confeſſionibus acceſſerint: Qui à Spiritu Sancto edocti, id quod Theologia docet, quòd matrimonium conſenſus, non concubitus facit; virginalis caſtitatis decorem Deo vouerant, & in eadem domo ſpiritu, non carne coniuncti, velut germani manebant. Admirabatur Seruus Dei in tam rudi, tamque parum exculto Populo Summæ virtutis exercitium; ideòque voti cauſam ſciſcitatus, accepit à marito ſic loquente: *Chriſtianus ego, mulierem iſtam gentilem duxi vxorem, quam illicò cum magno mentis affectu rogaui; vt quos nuptiæ coniungebant corpore, eadem Religio copularet Spiritu. Promiſit illa ſe, cùm primùm copia Miniſtri eſſet, Baptiſmi lauacris abluendam; interim ego dum Idololatra vxoris concubitum fugerem, caſtitatem ad tempus quindecim dierum voui, ſteti fidelis Deo (ipſius adiuuante gratia) voui iterùm ad menſem, nihilque rebelle, nihilque contrarium ſenſi, voui tandem ad vitam: Cùmque Coniugem meam ad Religionis veræ profeſſionem ductam viderem, ſuaſi ei & caſtitatem; ſicque priùs Cathecumena, deindè voto continentiæ aſtricta, deniquè baptizata, mecum ab vno anno in pace Dei (quæ omnem ſenſum exuperat) viuit.* Prudens autem Confeſſor volebat cum illis in tam difficili voto diſpenſare, aut ſaltem in aliud commutare; ſed ſperantes quòd ille, qui dederat eis velle, daret & perficere, illã indulgẽtiam admittere noluerunt: Promiſerunt tamen iuxta Patris conſilium, quòd imposterùm ad pœnitentiam accedentes, nouam facerent voti expoſitionem; vt ſi neceſſitas afforet, condigno reme-

remedio prouideretur. Hinc erubeſcant noſtri Europæ Chriſtiani, qui quotidianis prædicationibus admoniti, frequentibus exemplis inſtructi, tot librorum hiſtorijs ſtimulati; quid dicam virginalem, nè quidem coniugalem caſtitatem dubitant violare? Miramur in terris noſtris puriſſimorum coniugum Elzearij Comitis, & Delphinæ ſummam continentiam: & ecce quòd imitari non potuit Europa, ſciens, imitatum eſt Iaponium neſciens. Primùm dum prædicatur, aut legitur; admiratione dignum dicimus, vix imitandum: Et ecce iſti duo ſecuti ſunt, quod fortè non fuerant admirati.

Dum autem in illis Regionibus tantæ ſanctitatis feminæ Pater Didacus à Sancto Franciſco manu aſſidua curaret, vt ea ad maturitatem perduceret; perſeuerabat, immò & creſcebat bellorum incendium. Ibat Imperator cum quatuor filijs ſuis, & exercitu quadringentis millibus militum compoſito; erat ex altera parte Aduerſarius defuncti Imperatoris filius Fideyori, centum & nonaginta millibus armatorum ſtipatus, plenæ erant copijs viæ, quid faciet ſitibundus animarum Didacus? Recordatur afflictos abſentia Miniſtrorum Ciuitatis Yendi Chriſtianos, videt exuberantem Eccleſiæ illius meſſem, Fratrum Minorum Diſcalceatorum laboribus excultam, præ ariditate tabeſcere; meminit illius Ædes, opus eſſe Franciſcanæ familiæ. Excogitauit igitur nouam artem, & vt omnia omnibus fieret, habitum Iaponici militis induit, & ſic velut alter Iacob, ſub Eſau veſtibus apparens, non vt fratri benedictionem paternam præriperet; ſed vt Cœli rorem, & terræ viuentium pinguedinem Chriſtianis, ſimul ac Gentilibus daret; manus quidem & ſimilitudinem Eſau oſtendens, vocem autem Iacob reſeruans, ſe militum turmis aſſociat reuerà Regis Regum, & Supremi Imperatoris miles, ſicque fœlici & pia aſtutia, Yendum cum toto exercitu iuit.

In Domo leproſorum Hoſpitali, media circiter leuca ab Vrbe diſtante, Fr. Ludouici Sotelli conſilio & labore ædificata, hoſpitio receptus fuit. Magnam peperit

ferueu-

feruentiſſimi Prædicatoris aduentus lætitiam, quinquaginta leproſis fidelibus, ſub cura cuiuſdam Hieronymi etiam leproſi, Viri Chriſtiani, ſumma charitate, oratione, & patientia conſpicui, degentibus. Itaque Pater ab eodem Hieronymo recreatus, opportunam inuenit Euangelicæ prædicationi adiunctam Hoſpitali Eccleſiam; eò Chriſtianorum Congregationibus magis aptam, quò à Gentilibus leproſos præ horrore vitantibus, minus cognitam; addidit & futuri prouentus non exiguam ſpem facta, in mentis exceſſu, prædicto Hieronymo Cœleſtis manifeſtatio. Cùm enim quadam nocte intentus oraret, viſa eſt ei dicta Eccleſia, per apertas à quatuor angulis rimas cadere in ruinam; mox verò clauſis ſubitò rimis, muriſque coniunctis, perfectè ſolidari.

Poſtquàm igitur Chriſtianis Yendi incolis nunciatum fuit, miſſum à Deo gregi deſolato Paſtorem; veniebant turmatim omnes, ſed nè multitudo confuſionem pareret, prudens Director ordinauit, vt ſingulis noctibus quindecim ad magis accederent: Sed perfecta Charitas foras mittens timorem, eos intrepidos vltra præſcriptum numerum perducebat. Tranſigebant noctem integram ſanctis operibus intenti, modò eos exhortationibus ſuis feruens Prædicator animabat, modò orationi mentali applicabat, modò vocalibus officicijs exercebat; media autem nocte incruenti Sacrificij hoſtiam conſecrabat, & Chriſti oues Sanctiſſimi Sacramenti communicatione paſcebat: Sicque aduentante die, omnes ad propria remittebat, nè ſerui Dominis ad tempus ſeruitutis deeſſent. Mira quidem erat eorum deuotio, qua corporis neceſſitatem obliti, & periculi præſentis immemores; ſe Deo per gemitus & lachrymas, per ſanctas orationes, per aſperrimas diſciplinas, in odorem ſuauitatis offerebant.

Cùm autem ab Vrbe per noctem egredi mulieres, & in Eccleſiam Hoſpitalis conuenire decentia non ſineret, erat ille deuotus ſexus virorum conſolatione priuatus; ideòque optantes communi bono gaudere, opportunius eſſe dicebant

bant, vt vigilantiſſimus Pater Didacus relicto Hoſpitali in Vrbem ingreſſus, in domo alicuius Chriſtiani occultus, vtrique ſexui inſeruiret. Conſenſit pijs deſiderijs, & habitu Iaponis induto, nocte opportuna in Ciuitatem intrauit & quotidiè fidelium domos viſitans, eos ſua dulci præſentia ſolabatur: Adueniente autem Quadrageſima, ex eorundem Catholicorum conſilio, locum ſingularem Gentilibus incognitum elegit; ad quem pia Congregatio conueniens, omnibus deuotionis & pœnitentiæ exercitijs liberiùs vacaret. Locus ergo tam ſanctæ Societati deſtinatus, fuit angulus quidam ſecretus Palatij Principis Catozamæ à Simone Sabioye, domeſticorum eius Præfecto, Viro Chriſtiano oblatus.

De Patris Didaci, & ſociorum eius incarceratione, & de pœnis in carcere toleratis. Cap. IX.

INimicus homo, qui ab initio Mundi ad finem vſque in agro Domini zizania ſeminare non deſinet, cùm à Venerabilis Patris Didaci prædicatione multa ſibi ſpolia rapi doleret; ſuſcitauit conſeruum dicti Simonis, qui eum Domino ſuo detulit. Sicque poſt celebratum triumphi Dominici in die Palmarum cum magna Populi frequentia Officium, die Martis hebdomadæ ſanctæ Pater Didacus, eiuſque ſocius Ludouicus Iapo, & præfatus Simon appræhenſi fuere; quorum vltimus poſt ſuperatas Patroni blanditias, poſt eluſas eiuſdem minas, mortis ſupplicio damnatus, die 20. Aprilis Anni 1615. decollatus, nobilem Chriſto confeſſionem exhibuit: Pater verò, & ſocius eius in carcerem horrendum fuerunt iniecti. Contigit autem vt alius Patris Didaci comes, & in ſancto miniſterio adiutor (cui nomen Thomas) baptizandæ mulieri occupatus, tempore captionis abeſſet: Domum indè reuerſus, cùm ſe ab alijs diſiunctum videret; imputabat ſibi occultum crimen, quo tam fortunatæ ſortis participandæ redderetur indignus. Itaque ad carcerem acceſſit, tamque importunum

ſe

ſe ſatellitibus fecit, vt eos renuentes ad ipſum cum alijs incarcerandum adegerit; ibique tres Domini Confeſſores *Te Deum laudamus*, alternis vocibus decantarunt, illud pro ſui conſolatione memorantes, ***quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati***.

Itur & ab Imperatoris Miniſtris ad Domum Hoſpitalem, quæ combuſta & penitus deſtructa, expelluntur ab ea Leproſi, & Cuſtos eorum Hieronymus appræhenditur; qui in fide Catholica perſeuerans lætus & hilaris, quòd corporis ſui lepra (quam martyrij impedimentum ſibi fore timebat) non obſtiterit, quin tortores gladios ſuos eius ſanguine purpurarent, glorioſa paſſione triumphauit. Nè autem ei Martyri debitus honor exhiberetur, prætextum mortis illius excogitarunt Iudices, dicentes capite plexum fuiſſe propter incendiarium in Hoſpitali ſuo celatum; & re ipſa feruidus & cœleſtis incendiarius erat Pater Didacus, qui poſt Chriſtum clamare poterat: ***Ignem veni mittere in terram, & quid volo? niſi vt accendatur***.

Ducti quoque fuere tres ſocij, ſcilicet Pater Didacus, Ludouicus, & Thomas ad Iudicem inferiorem, & ab eo ad ſupremum; coram quibus ſtabiles in fide reperti, carceri horrendo mancipati ſunt. Cùm autem per Ciuitatis vias vinculis alligati Ludouicus, & Thomas, ſolutus autem Pater Didacus ob Sacerdotij reuerentiam (etiam inter infideles magnam) ducerentur, iſte depoſita Iaponica veſte, oſtendebat Seraphicam, & ad Populum non credentem, & contradicentem clamabat Chriſti fidem vnicam eſſe ſalutis portam. Animabantur hoc exemplo, & hac voce fideles; & trium Confeſſorum pœnis aſſociari petebant.

Quid in carcere paſſi fuerint explicari non poteſt; ita obſcurus, humidus, arctus, & fœtens erat, fames, ſitis, calor, immunditia, omne tandem genus incommodi, doloris, & mali, in eo ita vigebant; vt ſi quis Infernalium pœnarum imaginem in terra videre voluiſſet, illùc intrandum, & paulìſper ibi remorandum fuiſſet. Audiebantur ibi gemitus languentium, quos inedia, quos fames, quos putri-

da animantia mactabant; cùmque mors (vltima malorum præſentium meta) eos tot ærumnis liberaſſet, viui nouis tormentis cruciabantur: Illicò namque fœtentia corpora, alios penè exanimes reddebant; nec tetris illis odoribus ſtatim finis; ibi enim per ſeptem, aut plures dies inſepulta cadauera remanebant, & ijs tandem ablatis, alij rei in locum eorum ſubſtituebantur. Horrendum præbebant ſpectaculum, Chriſtianæ armaturæ, & patientiæ inermes Gentiles, eodem ergaſtulo clauſi; ſtridebant dentibus, blaſphemia proferebant, & mutuis odijs, ictibus, atque verberibus ſibi inuicem diuturni carnifices erant: Inter illos, velut ouis manſuetiſſima inter lupos, Pater Didacus cum ſocijs ſuis vitam in calamitatibus ducebat; hortabatur omnes ad patientiam, & ad ſperandam requiem Catholicæ Religioni promiſſam, quibus verbis non paucos infideles ad Chriſtum conuertit, & multos ab apoſtaſiæ caſu auertit. Interijſſent fame, & ſiti Pater & adiutores ipſius; niſi aliquorum fidelium manus charitatiua, eos aliquando ſuſtentaſſet: Inter alios autem Seruorum Dei incarceratorum nutritios, erat Vir deuotus Vincentius artifex; qui labore manuum ſuarum, vndè & victum tranſigere, & eis eleemoſynam dare poſſet, operabatur. Iſte à Cuſtodibus denunciatus & captus, in eundem carcerem, ob conſtantem etiam fidei confeſſionem, iniectus fuit.

Qui tam horrendum carcerem, tam fœtidum, totque miſerijs plenum cogitatione percurret, vix credere poterit; quòd in tanta corporum anguſtia, animæ potuerint cogitatus ſuos iactare in Domino: Tamen quia Patris Didaci, & ſociorum eius corda, inter ſpinas tribulationum, ad Deum intenta vigilabant; alios quoque ad ſancta orationis, & pietatis exercitia trahebant. Cùm igitur in eodem carcere centum & quinquaginta tres detinerentur, pijs illorum trium Chriſti Miniſtrorum admonitionibus & exemplis, ſeptuaginta Gentiles, relictis Idolorum vanitatibus, veri Dei cultum amplexi ſunt: quibus omnibus à Confeſſore Ieſu Chriſti Didaco Baptiſmi aqua ablutis, diuinæ gra-

tiæ

tiæ flatus aſpirans, eos inter tot cruciatus & pœnas continuæ meditationis, ac deuotionis dulcedine recreabat.

Sed quoniam veriſſimum eſt, quòd qui piè pro Chriſto viuere volunt; impiorum perſecutiones patiuntur. Factum eſt, vt miſſi in eundem carcerem perditi, & facinoroſi homines (quorum vita & ſalus in deſperatione erant) æternæ etiam beatitudinis ſpem abijcientes, deuoto Patri Didaco (ſi prædicaret) & alijs (ſi concionantem audirent, aut ſi omnes orationis remedio malorum ſuorum acerbitatem lenirent, atque temperarent) grauiſſimas pœnas minabantur; acceſſit quoque ex iſtorum aduentu, nouum aliorum corporibus damnum, ipſi enim ex altero carcere educti, & in iſtum translati, lepram (quam in primo ex cadauerum putredine contraxerant) in ſecundum tulerunt; vbi corporibus ſuper iniecta corpora, viua ægris, ægra corruptis contigua, non minùs intolerabilem, quàm mihi inexplicabilem Inferni ſpeciem repræſentabant. Viuebat tot malis oppreſſus Pater Didacus, & à planta pedis vſque ad verticem non erat in eo ſanitas; & Sancto Iobo ſimilis ipſius patientiam à Deo poſtulabat, & ſe totum cœleſti prouidentiæ commendabat. Et hæc eſt ſumma & compendioſa imago dolorum à Chriſti famulis perpeſſorum; quos aut æquè acerbos in alijs Iaponij carceribus à noſtris infrà recenſendis Fratribus Diſcalceatis, & Tertiarijs toleratos, nè repetitione vtendum ſit, hic vt certiſſimum ſuppono.

De libertate Patri Didaco data, & de ſociorum eius martyrio. Cap. X.

IAm Pater Didacus tetri carceris ſqualorem inuicto quidem animo, ſed tabeſcente præ malis corpore, ſex menſium ſpatio pertulerat; cùm ecce Deus, in cuius manu vitæ noſtræ momenta continentur, Seruum ſuum pro maiori Eccleſiæ Iaponicæ bono conſeruans, voluit eum ab ergaſtulo liberari: Quapropter Iaponi cuidam diuiti & auaro

g 2 miſit

Digitized by Google

miſit in mentem, fauorabilem mercibus ſuis in terras Hiſpanæ ditioni ſubditas acceſſum fore ; ſi prædicto Patri Didaco gratiam liberationis obtineret, & eum ſecum in nouam Hiſpaniam traduceret. Eductus itaque Pater, & à ſocijs, & ſpiritualibus filijs auulſus, quanquàm eos orphanos, & luporum furori expoſitos relinquere doleret eorum lachrymis, & gemitibus motus; tamen ſperans ex ſui abſentia Regis irã fore placandam, nauem intrauit, & poſt continuas maris procellas in ſola plurimorum infidelium transfretantium conuerſione, fœlices ad terras Hiſpanorum appulit.

In Vrbe Mexicana vltra annum commoratus eſt, verſabantur autem continuò ante mentis ipſius oculos derelictæ in Iaponio Chriſti oues, voluebat animo datam fidelibus promiſſionem ſe quamcitiùs ad eos reuerſurum; videbat hos Viri feruentiſſimi motus vulpes Infernalis, quorum vt effectum impediret, ingenioſa quidem, ſed diabolica fraude vſus eſt: Suggeſſit enim animæ Didaci fluctuantis operibus Marthæ ſatis eſſe indultum, tempus eſſe vt vacaret exercitio Mariæ, nimiùm proximi vtilitatibus indulſiſſe, & parùm ſuis; ideòque vt contractas in mundano puluere maculas abſtergeret, ei ſolitudinis amorem, & ſanctæ orationis requiem perſuaſit. Vir autem prudens, & in militia tentationum verſatus, aſpidis morſum latere timuit; ideòque conſilium à Patre luminum poſtulauit, qui ei voluntatis ſuæ ſecretum, optimi Sacerdotis Mexicani D. Loſæ lingua manifeſtauit. Ille enim aliquando à Patribus Ludouico Sotello, & noſtro Didaco viſitatus dixit eis; *oraui nunc parùm, & duo ſacræ ſcripturæ loca veſtris Reuerentijs apta cognoui*. Mox Didaci humeros manu feriens, *locus qui ad te Pater, attinet* (inquit) *iſte eſt; cùm ſederis ad menſam Regis, pone gladium gutturi tuo*. Nec expoſitione ſubiuncta, intellexit Didacus amorem Dei non guſtu, non ſuauitate ſpiritus, ſed operibus, & mandatorum executione probari; namque diuina veritas dicit: *Qui diligit, me mandata mea ſeruabit, & maiorem Charitatem nemo habet; vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Quamobrem cœleſti monitione excitatus, Me-

Digitized by Google

xica ſoluens ad Philippinas Inſulas perrexit; vbi cum corporis morbum animæ ſuæ zelo nociturum timeret, humiliter à Domino crucifixo vires ſuo nomini propagando neceſſarias petijt, & ſtatim impetrauit: Vndè nauem ingreſſus cum duobus peregrinationis & prædicationis ſuæ ſocijs, Patre ſcilicet Antonio à Sancto Bonauentura Concionatore, & Fr. Martino de Pineda Laico Franciſcanis Diſcalceatis; ad Nangaſachi portum die 12. Auguſti Sanctæ Claræ Virgini ſacra, Anno 1618. aduenit.

Præteriti carceris ærumnis, nauigationis geminæ pœnis, morbis, laboribus anteà toleratis, & voluntaria carnis mortificatione debilitatus, in grauem morbum,& anni diuturnitate moleſtum incidit; in quo Chriſtiani eum omnibus ſanctæ charitatis officijs proſecuti ſunt, ab ægritudine liberatus, iterùm ſe ſacri miniſterij laboribus dedit, & exultantem de ſuo, & comitum eius aduentu Eccleſiam fidelium viſitauit, ac roborauit. De ſuorum autem carceris ſupramemorati ſociorum vita, aut morte addiſcenda ſollicitus, didicit præclara nominis Chriſtiani confeſſione emiſſa, eos ad martyrij præmia conuolaſſe; Ludouicus namque inſeparabilis eius comes, moribus incontaminatis, capite abſciſſo, & corpore in partes diſſecto, die 4. Februarij Anni 1617. triũphauerat:Seruus quoque Dei Martyr Thomas eius coadiutor fideliſſimus, die 8. Martij eiuſdem anni, ſimili paſſione ad immortalitatis Aulam tranſierat. Vincentius etiam ligni faber, quem ſuperiùs propter charitatem in Dei Seruos exhibitam incarceratum diximus, die 20. Martij eiuſdem anni, propter fidem à Camboyo Yendi Prorege decollari iuſſus, Charitatis, & Fidei victima, Spei ſuæ terminum acquiſiuerat.

Quartus Patris Didaci Socius, & concaptiuus erat Laurentius Iapo, cuius quia vita mirabilis, conſtantia ſtupenda, fides vbique prædicanda à noſtris Diſcalceatis initium, & progreſſum ceperunt; ideò longiùs hic mihi videntur enarranda. Natus eſt Laurentius ex Suquano Chino Iaponici Imperatoris Medico, à Parente vtroque Gentili in falſis

Idolo-

Idololatriæ ſuperſtitionibus educatus, iamque adoleſcentiæ annos attigerat; cùm eloquentiſſimus Chriſti Præco Pater Ludouicus Sotellus Catholicæ Religionis ſemina in terras illas diſpergeret; voluit curioſus Adoleſcens audire lingua ſua illum loquentem, ſed diuina prouidentia factum eſt, vt curioſitati ſincera voluntas ſucceſſerit, & manantia ab ore Ludouici lac, & mel, ſugere inceperit: Quamobrem (Deo intùs operante) conuerſus, à Venerabili Concionatore Diſcalceato baptizatus eſt; diſplicuit Suquano filij noua conuerſio, ſed nè quem vnicè diligebat, ſibi aliquando eripi videret, ipſum honeſtæ, formoſæ, diuiti, & Gentili fœminæ Matrimonio coniunxit, futurum ſperans, vt nouæ illius Dalilæ artibus, noui Sampſonis conſtantia frangeretur. Sed res præter intentionem ipſius ceſſit; Laurentius enim thorũ nuptialem in delicto Idololatriæ relinquere nolens, charam coniugem ad Baptiſmi lauacra frequenti & ſollicita commonitione perduxit. Obſtupefactus Suquanus Pater Regis iram in ſe vertendam timens, rei familiaris partem ipſi contingentem filio tradidit; vt extra domum paternam in proprio viuens ſibi ſoli oneri eſſet, & interrogatus de fide filij Parẽs domicilij ſeparationem prætenderet: Separatus à paterna domo Laurentius liberiùs Deo ſeruire cœpit, & eo igne accenſus, quo primitiua Chriſtianitas ardebat, cùm vxore fidei, & zeli conſorte bona ſua vendidit, & eorum pretium ad pedes Patris Ludouici Sotelli tulit. Indiſcreto feruore ductos timens Ludouicus, increpauit eos, vt conſtantiam tentaret; ſed ſemper ſeipſis fortiores facti reſponderunt: Maritum leproſis curam, & manum charitatiuam impendere, vxorem verò cum Virginibus Tertiarijs Franciſcanis vitam degere, deliberaſſe. Voto igitur continentiæ emiſſo, Laurentius diem, noctemque in bonis operibus tranſigebat; orationi quoque intentus, diſciplinis, ieiunijs, & cilicijs carnem domabat. Cùm autem Anno 1613. ſupradicta grauis perſecutio in Chriſtianos fuiſſet exorta, captus ipſe in Hoſpitali, & à Patre ſuo (non mortem filij optante, ſed Imperatoris beneuolentiam quærente) accuſatus in Tetrum

Yendi

Yendi carcerem truſus, per quadriennium ærumnas, & calamitates ſumma conſtantia tolerauit; qui continuis admonitionibus conſocios, & contribules ſuos ad fidei Catholicæ veritatem hortari non ceſſauit: Cùm tandem capitali ſententia damnatus fuiſſet, eam Suquanus Chinus ſuſpendi obtinuit, & filium in gratiam Imperatoris reduxit hac vnica conditione appoſita, quòd à fidei noſtræ publicatione abſtineret; ſed Laurentius Deo magis, quàm hominibus placere volens, tam iniquam ſilentij conditionem recuſauit, malens ſibi carceris miſerias extendi, quàm ſub tam graui pacto libertate potiri. Itaque reductus in ergaſtulum, ſquallore loci, ipſaque lepra oppreſſus, die Lunæ 10. Decembris Anni 1617. longi martyrij palmam ſibi præclara morte comparauit.

Franciſcus etiam, & Leo Hoſpitalis Yendi leproſi, propter exhibitum Patri Didaco amorem compræhenſi fuerant; & poſt biennij carcerem pro fide Chriſti acceptum, catenis ligati, liberam Deo animam reddiderunt.

De martyrio P. Petri ab Aſſumptione Minorita Diſcalceati. Cap. XI.

Iste Venerabilis Dei Confeſſor primus extitit, qui ſex Iaponij Protomartyres Diſcalceatos, martyrij imitatione, & coronæ cœleſtis acquiſitione ſecutus eſt; pepererat eum Religioni Seraphicę Prouincia Sancti Pauli Diſcalceata, ante ipſius à Prouincia Sancti Ioſephi diuiſionem ad Inſulas Philippinas, indè ad Iaponij Regna tranſierat: Iam à quinque, aut quatuor circiter annis crudelis in Chriſtianos perſecutio graſſabatur; tamen inter tot Euangelij Præcones nullus adhuc ſermonum ſuorum veritatem ſanguinis ſui teſtimonio firmauerat, nulluſque Religioſus ex incruento vitæ religioſæ martyrio, ad cruentæ mortis paſſionem peruenerat. Quamobrem lætabantur Gentiles exiſtimantes in tam acerbis temporibus neminem Chriſti ouibus pabula miniſtrare, nam duos quos inuenerant, Patrem ſcilicet Dida-

cum

cum, & Patrem Ioannem à Sancta Martha, Minores Diſcalceatos incarcerauerant: Veruntamen Sacerdotes Idolorum alios ſupereſſe veri Dei Presbyteros ex incuria militum nõdum detectos, & clam Euangelij verba ſeminantes, Imperatori denunciarunt; qui illicò ad Regni Vomuræ Proregem fidei Chriſtianæ Apoſtatam ſcripſit, vt diligenter perquireret, & inuentos Dei Seruos appræhenderet.

Peragebat tunc temporis Vomuræ Regnum Seruus Dei Pater Petrus ab Aſſumptione, & continuis laboribus, aſſiduiſq; prædicationibus quamplurimos Eccleſiæ filios dabat: Prædicabat enim fortiter verbo, ſed fortiùs exemplo, erat quippè omnibus ſpeculũ pœnitentiæ, orationis, recollectionis, paupertatis, & omnium veri Religioſi virtutum; vndè & à Fratribus, & à Iaponibus ſummoperè diligebatur: Itaque cùm intra Gubernatoris Nangayæ limites eſſet, finxit prædictus Gubernator ſe ab Apoſtaſia fidei noſtræ reſipiſcere velle, & ideò boni Patris auxilio indigere; quem cùm in Regnum Figen tranſijſse intelligeret, & eius habitationem certò ſciret, nuncium ad Vomuræ Proregem delegauit, qui detectũm Chriſti Prædicatorem indicaret: Miſit & alium ad Patrem Petrum, quo promptùm ad ſe acceſsum, pro ſua cum Deo reconciliatione poſtularet. Non defuere inter Viri Dei amicos & aſſiſtentes, qui latentem ſerpentis fraudem ſuſpicarentur, verùm ille, nè quid ex ſua parte deeſset, libenter ad locum indicatum properauit; nondum autem peracto itinere, nunciatum eſt ei aduentare ſatellites, qui eum vinctũm in carcerem perducerent: Conſilium amicorum fuit, vt fugeret, & lateret, atque periculum euaderet. Noluit humano conſilio Vir pius acquieſcere, ſed inuocato diuino, ipſi oranti in mentem venit; quemadmodùm rumor inter Populos exierat, eis à Sacerdotibus martyria commendari verbo, non monſtrari exemplo, Concionatores velut timidos Paſtores luporum dentes fugere, & eorum morſibus oues exponere: Vndè tam ſanctæ cogitationis auctor Deus, ipſius zelum accendit, & vehementem patiendi amorem ei inſpirauit.

Quamob-

Quamobrem reſumptis fidelium confeſſionibus (quas interruperat) ad Chriſtianos circumſtantes ait: *Filioli mei, ibi vaus Dæmonis eſt; nullum ſuſpicemini malum; ſi tamen Diuina diſpoſitione fiat, vt veniant ſatellites, me fugere non expedit. Quid enim mihi meliùs contingere poteſt, quàm quòd pro nomine Ieſu mortem, & contumeliam patiar; ſi vobis auferar, non deficient Prædicatores, Deus enim centum reddet pro vno: Magna ſanè Domini mei miſericordia erit, ſi mè martyrio dignum efficiat, non aliam ob cauſam ego, & alij per quinquies mille leucarum ſpatiũ, tot maria nauigando ſulcauimus; quàm vt animas veſtras Deo acquirere, noſtras Mundo perdere, Cælo reddere valeamus.* His dictis reſumpſit confeſſiones, & elapſo breui temporis interuallo, ecce barbari ſatellites aduenere; quibus benigna, & iucunda ſalutatione exceptis, ait Pater Petrus, *quem quæritis?* at illi reſponderunt: *Ex Proregis mandato venimus Patrem apprahenſuri: quia in eius terris prædicat; & Populos ad Religionem Chriſtianam conuertit.* His igitur auditis, iſte genua flexit ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & hortatis ad patientiam Chriſtianis, velut ouis innocens ad carcerem trahitur die Sabbathi, octaua Aprilis Anni 1617.

Socium, & comitem pœnæ, præmijque habuit benedictum Dei famulum Patrem Ioannem Baptiſtam è Societate Ieſu, qui in Inſulis de Goto prædicans, à quodam Chriſtiano Iudaicæ perfidiæ æmulo detectus, & venditus die 14 Aprilis eiuſdem anni, in eundem quoque carcerem deductus fuit. Quanta fuerit vtriuſque exultatio in tam fœlici pœnarum conſortiò; quæ fuerint eorum exercitia, quàm diuturnæ orationes, quàm feruentia Sacrificia, quàm aſperæ diſciplinæ, quàm dura ieiunia, quàm ſanctæ confabulationes; Proto-Martyrem, vel (meliùs dixerim) Chriſtum caput Martyrum imitati, Deum pro perſecutoribus exorabant; Miſsas autem quotidiè vſque ad feriam ſecundam poſt feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis celebrarunt: Cùm enim ad diem Sacro-Sanctæ & indiuiduæ Trinitati ſacrum venisſent, poſt impletum ſacrificandi ritum Pater Petrus, interiori Dei admonitu, cognouit ſibi pauca impoſterùm

h pera-

peragenda Sacrificia reſtare; die autem ſequenti orta, Patri Ioanni Baptiſtæ reuelatum eſt, vltimum vitæ ſuæ, & ſacri Miniſterij tempus adeſſe, nec ſe ſociumque ſuum vlteriùs immortalis Agni carne, & ſanguine paſcendos fore: Veritatem exitus comprobauit, namque eadem die 22. Maij Anni 1617. ſententiæ mortis intimationem acceperunt, quam lætis vultibus, & cordibus audientes, illicò flexis genibus alterna voce *Te Deum laudamus* cantarunt, quo finito aſpera diſciplina proximo veluti martyrio præluſerunt; indè alterutrum peccata ſua confeſſi ſunt, mox in profundæ orationis requiem intrantes, animos ab ea non relaxarunt, donec adeundi mortem inſtaret hora. Tunc mutuo ſibi pacis oſculo dato, facta eſt ſancta contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe minor? volebat Pater Petrus, datam Ordini ſuo Minoritatis prærogatiuam, ſibi aſſumere, ideòque ſocium maiorem, & digniorem affirmabat: Ioannes autem Baptiſta, qui in Societate Ieſu didicerat mitem eſſe, & humilem corde, dicebat comiti ſuo vltimum volenti locū, *amice aſcende ſuperiùs*; & quia ſe Sancti Præcurſoris nomen præferre ſciebat, illud Chriſti Domini de Patrono ſuo dictum, ſibi humiliter applicabat, quòd *qui minor eſt, in Regno Cælorum maior eſt illo*. Obediens itaque Pater Petrus exiuit primus è carcere, crucē præ manibus gerens, eiq; ſeraphicam Regulam diſciplinæ ſuæ nodis annexam; exiuit & Pater Ioannes Baptiſta datam ſibi à ſocio crucem cum diurni Officij libro publicè portans. Sicque ad locum martyrij feſtinantes, laudes Diuinas concinere, fideles ad patientiam hortari, Gentiles ad pœnitentiam prouocare non ceſſarunt; donec iuxta patibulum ducti, genua flectentes, breuiter, ſed feruenter orantes, tandem capita ſua tortoribus ſubmittentes, pro Chriſti gloria decollati fuere. Et qui in vita dilexerant ſe, in morte non fuere ſeparati; idem enim tumulus ſacra eorum corpora, & capita ſibi credita ſeruauit.

Diſſeminata eſt vbique fama martyrij, & ad venerandas immolatorum Patrum reliquias, Chriſtiani ab omnibus Iaponici Imperij partibus confluebant; qua veneratione à Pro-

rege cognita, ille diabolico vſus conſilio iuſſit, vt alligatis ad ſacra corpora lapidibus, in mare proijcerentur: Sed quid poteſt humana contra Deum aſtutia? reperta fuere à Gentili homine Patris Petri corpus, & caput in littus maris reducta, quæ Chriſtianis oſtenſa, eorum pietatem, & zelum mouerunt. Quare Confraternitas cordæ Seraphici P. N. S. Franciſci, quæ Nangaſachi erecta vigebat, ea magnis ſumptibus recuperauit; & capite ſibi reſeruato, pretioſum ſacri corporis donum noſtro Ordini fecit.

Magnæ fuit conſolationis, & peculiaris exempli, ſex Beatorũ Protomartyrum, & vtriuſq; Patris Petri ab Aſſumptione, & Ioannis Baptiſtæ pugna & glorioſa victoria: Primi ignem feruoris in corda fidelium immiſerant, iſti duo quaſi ſopitum reſuſcitarunt; namque tam efficacia exempla Chriſtianos animauerunt ad patientiam, & qui ſe anteà ſolo ore, & exteriori quadam profeſſione fideles extitiſſe dicebant, corde ſincero, & fide integra in Deum credere poſteà profitebantur, ſeque vſque ad ſanguinis effuſionem, & omnem creatæ ſubſtantiæ iacturam pro increatæ Veritatis, & incarnatæ Sapientiæ defenſione paratos reſiſtere affirmabant.

De Martyrio Venerabilis Patris Ioannis à Sancta Martha Minoris Diſcalceati, & de fœlici quinque Religioſorum Diſcalceatorum in Iaponiam acceſſu. Cap. XII.

PAtria Viri Apoſtolici Ioannis à Sancta Martha Catalaunia eſt, in Prouincia Sancti Iacobi Obſeruãtum Seraphicum habitum induit, ex qua ad Fratres Minores Diſcalceatos Philippinarum tranſijt, & apud eos domicilium propriæ habitationis accepit; indè ad conuerſionem Iaponicam iuit, breui ſex menſium tempore linguam Nationis illius edoctus, ibi per treſdecim annos inuicta firmitate laborauit. Erat in eo vera perfecti Minoris effigies, erga pauperes, & præſertim leproſos charitate excellentiſſimus, nunquàm otiari viſus eſt, nunquàm aut à prædicatione, aut à confeſſione, aut à ma-

à manuum operatione ceſſabat, Regulæ puritatis obſeruantiſſimus, nudipes ſemper inceſſit, vili & repetiata tunica contentus, paupertatem Seraphicam ad literam obſeruauit. Vno verbo talis erat, qualem Fundator Ordinis Franciſcus & Reformator Petrus proprijs Inſtitutis effingere potuiſſet.

Poſtquàm igitur per treſdecim annos inter Diſcalceatos Iaponij Apoſtolos, & inter eiuſdem Regionis Populum ſummo omnium amore conuerſatus eſſet, die 24. Iunij Patrono ſuo chariſſimo ſacra, Anno verò 1615. propter fidei dilatationem detentus eſt. Contigit autem eius appræhenſio ſequenti modo; cùm Miniſtri Gentiles omnes Sancti Euangelij Præcones è Ciuitate Nangaſacho in alias Mundi partes relegaſſent, acerbam ouium Paſtoribus deſtitutarum ſtragem in Regno Arimæ ediderunt: Qua non ſine vehementi cordis mœrore audita, Vir iſte ſtrenuus, qui in prædicta expulſione cum alijs quinque Fratribus ſuis latuerat, & ſe fidelium neceſſitatibus reſeruarat, ſubitò cucurrit, vt tenellum Chriſti gregem in hoc Arimæ Regno periclitantem iuuaret, & ſolidaret. Quarè quotidiè carceres, & patibula frequentabat, vt pabulo verbi, vt confeſſionis remedio, vt Euchariſtiæ viatico fideles martyrio ſubeundo deſtinatos aleret, ſanaret, & ad patriam cœleſtem duceret. Poſteà in Regnum Vomuræ ſe tranſtulit, infatigabili zelo ſemper nudipes, & pauper totius Regionis loca percurrens; hic octo diebus, ibi quindecim manens, vt omnibus ad ſalutem prodeſſet. Neceſſaria procul dubio fuit huius Viri prædicatio Vomuræ Regni Chriſtianis; illi namque veri Dei Sacerdotes, & verbi ſacri Miniſtros audire non ſoliti, iam omnia fidei noſtræ dogmata dedidicerant, & pleriſque in Apoſtaſiam lapſis, tota Gentis illius Chriſtianitas proximam minabatur ruinam: Quibus malis promptiori, quo potuit remedio, bonus Medicus ſubuenit; immò vt faciliùs Miniſterium ſuum impleret, modeſtia ſua, & doctrina, ſanctaque viuendi ratione ſibi Proregis amorem conciliauerat. Potuiſſet etiam liberè Chriſti Regnum annunciare, firmare, & extendere, niſi falſorum Deorum Sacerdotes inuidia exagitati,

metum

metum Imperatoris Protegi incutientes, ipſum ad feruentiſſimi Patris apprahenſionem induxiſſent? Captus itaque fuit, duréque conſtrictus, & Imperatoris mandato in publicum reorum carcerem Ciuitatis Meaci translatus.

Quanta in eo ergaſtulo pertulerit incommoda, quis dicet? erant in eo loco atrocium criminum rei, morti deſtinati, qui Idololatriæ tenebris obuoluti, & peiores pœnis effecti, deſperationem & malitiam damnatorum imitabantur. Inter eos autem velut Agnus manſuetus inter lupos, patiens Dei Prædicator Ioannes verſabatur; qui die noctùque à laudibus Diuinis non ceſſans, alios ad patientiam pœnarum, ad pœnitentiam ſcelerum, ad deteſtationem Idolorum hortabatur: Illi verò tanquàm multa febre phrenetici in Medicum eos curare volentem inſurgebant, & illum ſputis, colaphis, ictibus, & iniurijs afficientes, nonnunquàm ſemiexanimem relinquebant; quos cruciatus, & ærumnas in ſcripta ad Fr. Ludouicum Gomezium epiſtola, Vir humilis commemorans dicit, ſe tunc incepiſſe veræ, & ſolidæ mortificationis experientiam facere. Tribus igitur annis in tam horrendo carcere tranſactis, venit tandem eius hora, in qua extra Ciuitatem eductus, ſtipatum omni virtutis exercitio martyrium capitis abſciſſione compleuit. Corporis Serui Dei in minutas partes Tyranni iuſſu diſcerpti reliquias, Chriſtiani ſedulò colligere; caput autem in alto ſuſpenſum, & cuſtodibus commiſſum, cum inferiùs ſcripta Iaponicis literis eius ſententia, publicis oculis expoſitum fuit diuerſo Dei, & Imperatoris motiuo; Patris enim cœleſtis voluntas iuſta & ſancta, Chriſtianorum deuotioni conſuluit; Imperatoris verò furor, & rabies, Religionis Catholicæ opprobrium intendit.

Quis non crediſſet vacuam Paſtoribus, & Prædicatoribus Iaponij Eccleſiam penitùs fore deſtruendam? Sed ecce Deus cuius oculi in Seruos ſuos reſpiciunt, voluntatem timentium ſe fecit; & propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum exurrexit, vt adiuuaret eos. Itaque è Diſcalceatorum Præconum Seminario, quinque Sancti Franciſci

filios, in ſuorum auxilium aduocauit; eodem enim anno, quo perſecutio grauiùs ſæuiebat, è Philippinis Inſulis in Iaponium intrarunt intrepidi, fortes, & feruidi Fratres Franciſcus de Barrajas, Didacus à Cruce, Franciſcus à Sancto Andrea, Petrus ab Auila Sacerdotes, & Vincentius à Sancto Ioſepho Laicus: Quorum duo nouiſſimi, facti ſunt primi in coronæ triumphalis aſſecutione: vt ex infrà narrandis patebit.

De Patris Didaci à Sancto Franciſco laboribus, ac Fratribus Diſcalceatis ab eo in diuerſa Iaponij Regna miſſis, nec non de quinque FF. Minorum, & quatuor Tertiariarum incarceratione. Cap. XIII.

EX ſuperioribus recolendum eſt Patrem Didacum à Sancto Franciſco, poſt ſuam è tetro Yendi carcere liberationem, iterùm Diuino zelo animatum, Nangaſachum rediiſſe; Chriſti charitas vrgebat eum ad viſitandam Yendi Eccleſiam, de eius abſentia mœſtam. Itaque die 1. Februarij Anni 1620. aſſumpto Patre Franciſco de Barrajas, ad Regna Orientalia perrexit in Regionem Voſacam habitu Sinenſi induti aduenerunt, & à Chriſtianis ſummo amore hoſpitio recepti, non ſine magno itineris periculo & labore, ad Ciuitatem Yendum contenderunt. Indè prouidus Pater Didacus coadiutorem Patris Franciſci à Galbe, prædictum Franciſcum de Barrajas in Regnum Voxu tranſmiſit.

Mirum fuit, quòd Chriſtiani Ciuitatis Yendi Diuinæ gratiæ præſidio, abſque Sacerdotum, & Miniſtrorum prædicatione, in rebus fidei per quinquennium illibati remanſerint. Confraternitates cordæ Seraphici P. N. S. Franciſci, virorum & mulierum nunquàm magis viguerunt; vnum erat, pro quo Presbyteris indigebant: Quemadmodùm enim ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderabant fideles ad corpus Chriſti, & peccatorum confeſſionem; quorum ſitim, & famem iuſtitiæ Pater Didacus

exple-

explere volens, per ſeptem commorationis ſuæ menſes omnes confeſſione ſanauit, & Communione nutriuit, ac Tertiarium quendam Mathiam nomine Nangaſachum miſit, qui Patrem Didacum à Cruce ad vineam Domini excolendam, Yendum duceret. In ea quidem tam fructiferè laborauit, vt intra vnius anni ſpatium, ſeptingentos veræ vitis Christi palmites, æterno Agricolæ pepererit. Alios quoque operarios Pater Didacus à Sancto Franciſco in cætera Regna diſtribuit, Fr. Franciſcum à Galbe Mongami; Fratres verò Ludouicum Gomez, & Franciſcum à Sancto Andrea Cami reliquit; ipſe autem his Regionibus peragratis, Nangaſachum redire tentauit.

In illis ergo Patris Didaci ſucceſſibus, duo præcipui ſilentio prætermittendi non ſunt: Primum fecit Congregatio quinque cooperariorum ſuorum Diſcalceatorum, ab ipſo Yendum conuocata: res enim vniuerſæ gentis illius Eccleſiæ mira apparuit, quòd è tam raris totius Imperij Iaponici Apoſtolicis Miſſionarijs, ſex in eadem vrbe ex eodem Ordine Seraphico Diſcalceato ſimul niſi fuerint, & quo tempore ſermo Domini erat pretioſus, ſex eiuſdem verbi Præcones in vnum locum conuenerint.

Secundus ex Gentilis, nobiliſque Viduæ conuerſione notatur; erat vni ex primis Yendi Matronis filius vnicus, & vnicè dilectus, qui inſidijs inimici occubuit: Mater afflicta vindictam meditabatur, vtque dolorem communicatione leniret, acceſſit ad Franciſci Xizuque Iaponis diuitis domum, vt Mariam eius vxorem inuiſeret; vix ſimul ambæ mulieres in cubiculum ingreſſæ fuerunt, erumpit in gemitus & planctus deſolata Parens, vltionis media requirit, nec vnquàm dolorem ſuum ſopiri poſſe affirmat, niſi morte homicidæ. Habitabat in ea domo Pater Didacus, iamque tremendum Miſſæ ſacrificium compleuerat; cùm auditis fletibus & querelis mulieris, eam ad ſe vocauit, ipſique Chriſtianæ legis arduum de diligendis inimicis præceptum Saluatoris noſtri verbo, & exemplo tranſmiſſum, Sanctorum Martyrum actionibus confirmatum, & nouiſſi-

mè

mè ſuo, & aliorum Euangelij Prædicatorum pro Imperatore, & pro perſecutoribus orantium; dicto, & facto completum tam efficaciter propoſuit, vt ſubitò ultionis, & doloris oblita Mater, à Venerabili Patre Baptiſmi lauacrum petierit, aſſirmans ſe toto corde iniuriam ſibi illatam dimittere, & omnibus fidei noſtræ articulis eo modo, quo ab ipſomet credebantur, aſſentiri: Itaque cum alijs quatuor mulieribus eius exemplo conuerſis, ſacrum Baptiſma recepit; legant tam difficilem Gentilis fœminæ victoriam Europæi noſtri Chriſticolæ, & erubeſcant. His autem fœliciter peractis Nangaſachum reuerſus Pater Didacus principio Anni 1621. appræhenſos à Gentilibus Patrem Petrum de Auila, & Fratrem Vincentium à Sancto Ioſepho, cum alijs Chriſtianis accepit; quorum hic glorioſa certamina deſcribere, dignum cenſuimus.

Pater Apollinaris Francus, e Prouincia Sancti Iacobi ad Philippinas tranſiens, ſacræ Diſcalceatorum familiæ meruit aggregari; & indè ad Iaponij Miſſionem deſtinari: Cùm autem Nangaſachi Fratrum Commiſſarius eſſet, audito quòd per martyrium Sanctorum Patrum Petri ab Aſſumptione Minoritæ Diſcalceati, Ioannis Baptiſtæ è Societate Ieſu, Ferdinandi à Sancto Ioſepho Auguſtiniani, & Ildephonſi à Nauarreta, è Sancti Patris Dominici Ordine; Eccleſiam Regni Vomuræ Concionatoribus deſtitutam eſſe, quaſi Diuinam vocem dicentem audiſſet, *quem mittam? & quis ibit?* Continuò reſpondit; *ecce ego, mitte me.* Quamobrem, vt erat Vir omnium veri Minoris virtutum ornamentis eximius, habitu Seraphico veſtitus, & religioſo more tonſus, in præcipuam Regni Vomuræ Ciuitatem intrauit; vt ipſimet Proregi Chriſtum annunciaret, & eius incredulitatem exprobraret: Sed cùm cæcutientes Gubernatoris oculi tantum lumen pati non poſſent, die 7. Iulij Anni 1617. Virum Dei Apollinarem cum ſex Iaponibus ſe voluntariè martyrio ſacrificantibus, appræhendi, & incarcerari iuſſit impius Tyrannus.

Inter Iapones Patris concaptiuos fuere duo, nempè Pau-

Paulus à Sancta Clara, & Ioannes ab Yquenda; qui à teneris annis inter Fratres Minores educati, & ideò maximis virtutibus ornati, optauerunt peculiari modo inter Sancti Franciſci filios reputari: Vndè cum Patris Didaci Commiſſarij licentia, Pater Apollinaris Fr.Paulum Minoris Diſcalceati Laici habitu induit; & Ioannem veſte Tertiaria, & vtrumque poſt annum exacti in carcere rigidi Nouitiatus, ex Fratrum noſtrorum ſimul incarceratorum conſenſu, ad emiſſionem votorum recepit.

Eodem deſiderio flagrauit Fr.Franciſcus à Sancto Bonauentura Clericus Iapo: Ille namque à pueritia inter Fratres Minores nutritus, & Patri Apollinari aſſociatus; cùm feruentiſſimus eſſet, nè à Magiſtro ſuo ſeiungeretur, Minoriticam veſtem publicè gerens, in ipſam Proregis Vomuræ Aulam Chriſti nomen inuexit. Ex quo à ſatellitibus captus, & ſimul cum Patre in carcerem iniectus; vitam Ordinis, cuius geſtarat indumentum, profiteri voluit, & cum alijs duobus, elapſo ſæuæ probationis anno, vota Religionis emiſit.

Quod autem ad benedictos Patres Petrum ab Auila Prædicatorem, & Vincentium à Sancto Ioſepho Laicum ſpectat; eorum vitam, & egregia geſta in Chronicis Almæ Sancti Ioſephi Prouinciæ eorum Matris legenda & admiranda relinquo. Notare ergo mihi ſufficiet, quòd cùm ex Hiſpania ad Philippinas, & ex iſtis ad Iaponium acceſſiſſent; vt laboribus intra perſecutionis procellas Chriſtianis ſuccurrerent, poſt tres impenſi auxilij annos, detenti & incarcerati fuere.

Frater Richardus à Sancta Anna, Natione Belga, ſed Prouinciæ Sancti Ioſephi Diſcalceatæ alumnus, homo verè Apoſtolicus; ſicut in Euangelij promulgatione Fratrum ſuorum conſocius, ita & carceris particeps effectus eſt.

Mulierem fortem, quam Sapiens in terra fluente lac, & mel vix inueniri poſſe dicebat, terra Iaponica peperit. Hæc fuit Lucia de Fletes Iaponia viro Luſitano nupta, quæ poſtquàm diù domum ſuam commune Patrum, & Concionatorum

eorum hoſpitium feciſſet; poſt demonſtratam in curandis eorum infirmitatibus, in ſubleuandis neceſſitatibus, in alendis veſtiendiſque corporibus eximiam charitatem: Cùm audacter ad loca ſupplicij Martyres hortatura accederet, cùm vitia Populorum argueret; tandem vt tot laborum mercedem aliquando conſequeretur, in carcerem coniecta, Tertij noſtri Ordinis Soror in eo fieri voluit.

Capti ſunt eodem tempore Pater Richardus à Sancta Anna, & Soror Lucia. Cùm autem Patris ſocius & adiutor, Leo Iapo hora detentionis abeſſet, domum reuerſus cucurrit ad carcerem, & tamdiù Cuſtodes ſollicitauit; donec Magiſtro ſuo aſſociatus, cum eo, in ſpiritualis gaudij ſignum, *Te Deum laudamus*, decantauit.

Dum igitur exacta vbique fidelium Prædicatorum perquiſitio fieret, dumque plurimi ab Imperatoris ſatellitibus in Nangaſachi carcerem fuiſſent incluſi, impij Iudicis præcepto omnes tam Religioſi, quàm ſocij, & Miniſtri eorum in horrendum Vomuræ ergaſtulum transferuntur. Illud ſanè Domum religioſam, & Eccleſiæ Chorum vnita tot piorum Confeſſorum virtus effecit; & dicere poſſumus, quòd per illam gemini carceris captiuorum vnionem, Omnipotens Dominus diſperſiones Iſraelis congregauit.

De glorioſo FF. Min. Diſcalceatorum, Tertiariorumque incarceratorum martyrio. Cap. XIV.

SAcrorum Chriſti vinctorum numerus ad quindecim triū Patrum Franciſci, Dominici, & Ignatij filios perueniebat. Erant ex Seraphici Patris domo ſex Fratres Minores Diſcalceati, & duo Tertiarij; quorum nomina, etſi ſcripta ſint in libro vitæ, hìc tamen iuſtum eſt ſcribere: Primus igitur Pater Apollinaris Francus, qui carcerem horrendum in domum probationis religioſæ conuerterat; & Nouitios ſuos ſupra memoratos in eo, tanquàm in Conuentu verſari docebat. Prætereà erant Patres Richardus à Sancta Anna, Petrus ab Auila diuini verbi Præcones, Vincentius à Sancto Ioſe-

Ioſepho Laicus, Franciſcus à Sancto Bonauentura Clericus Iapo; Paulus à Sancta Clara Laicus, Ioannes ab Yquenda, & Leo à Saziuma Tertiarij: Erant ex Sancta Prædicatorũ familia ſeptẽ Religioſi, & ex ſacro Societatis Ieſu Cœtu duo; illorum omnium erat cor vnum, & anima vna. Tandem poſt longas calamitates dies liberationis illuxit, dies ſolutionis è carne mortali apparuit, dies triumphi, & coronationis aduenit, & illuſtrium Chriſti Confeſſorum ſupplicio 9. Septembris Anni 1622, aſſignata eſt. Hoc nuncio nullum vnquàm iucundius exceptum, exultauere Serui Domini; quia dies ſanguinis appropinquabat; vnica tantùm ſententiæ capitalis circumſtantia affligebantur, quòd ex Imperatoris edicto quilibet in Regnum, vel Ciuitatem, in cuius territorio fuerat captus, deducendus eſſet.

Itaque è carcere Vomuræ viginti tres, tam Religioſi, quàm ſeculares educti ſunt in Ciuitatis Nangaſachi martyrio deſtinata deducendi; vt vbi coronas in lachrymis prædicationis ſeminauerant, eas in exultatione martyrij meterent. Ibant igitur quaſi innocentes agni ad occiſionem ducti quatuor pauperis, & humilis Franciſci filij, Richardus à Sancta Anna, Petrus de Auila Sacerdotes, Vincentius à Sancto Ioſepho Laicus, & Leo Saziuma Tertiarius: Sancti autem Patris Dominici Alumni Franciſcus à moralibus Ildephonſus à Mena, Angelus Ferrerius, Hyacinthus Orfanellus, & Ioſeph à Sancto Hyacintho Presbyteri Europæani; & tandem ex Sacratiſſima Domini Ieſu Societate Patres Carolus Spinola Sacerdos, & Sebaſtianus Quimura Iapo Profeſſus. Hi omnes cum duodecim alijs Iaponibus Chriſtianis vincti, & equis impoſiti ad ſupplicium ferebantur, & ſinguli occurrentibus in via Populis veritates Catholicas prædicabant.

Dubitari ſanè non poteſt, quin fuerit vna omnium Fides, vna omnium Spes, magna etiam omnium Charitas: ſed quoniam inter cœleſtes Spiritus, diuinæ ſanctitatis proclamandæ prærogatiua Seraphinis præ cæteris tribuitur, teſte Propheta; *ſilentibus alijs Cæli habitatoribus, duo Seraphim*

clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus: Ita inter illos Sanctorum Patrum, Dominici, & Ignatij filios, quos ſcientia Cherubinis, quos conſtantia Thronis, quos miracula Virtutibus, quos omnium bonarum qualitatum inſignia cæteris Angelorum Choris pares efficiebāt; audiebantur duo Seraphini Patris Seraphici filij, verbo & opere clamantes, & Chriſti crucifixi ſanctitatem annunciātes: Pater enim Petrus ab Auila Minor Diſcalceatus, quia voce fortiori & acutiori præditus, quia in lingua Iaponica prę cæteris verſatus, illam Prophetæ ſententiam recolens; *Clama nè ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Annunciabat Populo ſcelera eorum, & domui Iaponicæ peccata eorum; præterea Chriſti Domini fidem prædicabat, & prætereuntes ad pœnitentiam, & conuerſionem hortabatur: Frater autem Vincentius à Sancto Ioſepho, quaſi alter Seraphim clamabat non verbo, ſed facto (habent enim opera vocem ſuā) & vexillum rubrum ſacratiſſimo IESV nomine inſignitum ferebat.

Veniebant quoque Nangaſacho ad eundem martyrij locum Chriſtiani mactandi, inter quos præcipuè relucebat Lucia Soror noſtra Tertiaria, quæ (vt erat feruentiſſima) ignitis verborum iaculis aliorum corda feriebat, ad palmam inuitabat, & Canticum Virginis Matris hilari voce concinebat; ob quem fidei zelum alapas, & contumelias graues à ſatellitibus tolerauit, & quod Mulieri deuotæ grauius fuit, eam habitu Tertij Ordinis noſtri (quem publicè gerebat) ſpoliarunt. Factus eſt igitur numerus omnium tam è Ciuitate Nangaſacho, quàm Vomura deductorum, quinquaginta ſex; Religioſorum ſcilicet, Tertiariorum, virorum, mulierum & infantium: Quorum vigintiquinque, nempè omnes trium Ordinum Religioſi, duo Tertiarij noſtri, inuicta Mulier Soror Lucia, & quidam alij Chriſtiani lento incendio cremati fuere; reliqui autem capitis diminutione necati. Tam raro crudelitatis & patientię ſpectaculo præſens aderat innumera multitudo Gentilium & Chriſtianorum, Paganos aut curioſitas, aut malitia perduxerat; Catholici autem, vt

Martyrum exemplo animarentur, & eorum reliquijs ditarentur, aduenerant: Sed impia tortorum ſæuitia ſacros cineres in mare demerſit, reliquias auferens fidelibus, & exempla relinquens. Contigit autem tam celebre martyriū die 12. Septembris Anni 1622.

Si crudelis in iſtos Martyres perſecutorum inſania deſæuijt, non pepercit alijs in carcere Vomuræ reſeruatis; inter quos erant Fr. Apollinaris Francus, & filij ſpirituales ipſius, Fr. Franciſcus à Sancto Bonauentura Clericus; Fr. Paulus à Sancta Clara Laicus, & Ioannes ab Yquenda Tertij Ordinis Profeſſus: Qui omnes poſt longas captiuitatis ærūnas crudeli flamma deuorantur, vt autem paſſionum circumſtantiæ laterent, Imperatoris Miniſter prohibuit; nè quis ſub pœna mortis, ad locum incendij accederet, nec vllo modo Martyrum reliquias, & cineres veneraretur. Deus autem voluit, vt ex ipſorum carnificum relatione nobis cōpertum eſſet, miram fuiſſe omnium; ſed præcipuè Patris Apollinaris conſtantiam: Cùm enim morti proximus, & omni robore deſtitutus audiſſet Gentilis vocem ipſi dicentem; vt Idoli Amidæ opem imploraret, reſumptis ſubitò viribus (nè ſilentio ſuo aliquid ſuperſtitioni, & falſitati dediſſe videretur) bis alacriter repetijt: *Nolo, nolo*. Proiecti ſunt omnium cineres in mare, nè à fidelibus colligerentur.

De Patris Franciſci de Galbe Minoris Diſcalceati, & Franciſci Tomayo nobilis Iaponis martyrio.

Cap. XV.

ARs eſt artium ars amoris (inquit Bernardus) nihil enim eſt ingenioſius Amante, mille habet pura dilectio operandi vias; pleni ſunt Bibliorum libri Sancti amoris adinuentionibus, ſed noſtro tempore mirabilem charitatis artem in feruenti Patre Franciſco de Galbe Eccleſia mirata eſt. Valenciæ Regno Vir tantus originem debet; à teneris annis virtuti & literis deditus, ab Illuſtriſſimo vrbis Valenciæ Archiepiſcopo Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptus, & animarum

marum curæ poſteà præfectus eſt: Sed qui ad perfectionem Euangelicam aſpirabat, in arcto & paupere Diſcalceatorum Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ Conuentu Sancti Ioannis de la Ribera nominato, Ordinem Minorum intrauit; qui poſtquàm propriæ perfectioni vacaſſet, aliorum vtilitatibus ſeruire volens, ad Philippinas mitti curauit, indè miſſionibus Apoſtolicis deditus in Iaponium tranſiuit. Sed cùm in ſupradicta omnium Sacerdotum, & Prædicatorum expulſione Nangaſachô Manilam redire coactus fuiſſet; occulti talenti impatiens, iterùm in Iaponium reuerti meditatur: Quarè Malacham pergit, & in opportuna nauigatione iter optatum aggredi tentans, timore nautis, & mercatoribus ab Imperatore Iaponij incuſſo impeditus fuit. Quid faciet feruens Prædicator? O miram amoris adinuentionem! habitum Aethiopis induit, & nigrum colorem vultui ſuperinduxit; ſicque ſe remigem triremis locauit, & hac fœlici arte per mille labores, per mille pericula ad Iaponij littus acceſſit, vbi cùm miros fructus produceret, tandem martirij coronam percepit: Proditus enim à falſo Chriſtiano, foris fidele, intus Idololatra; in carcerem deiectus eſt, & cum Patre Hieronymo ab Angelis Societatis Ieſu, & alij quinquaginta & vno fidelibus, die quarta Decembris 1623. ignis combuſtione, in odorem ſuauitatis Deo oblatus eſt.

Magnum ſanè fructum peperit Chriſto in Iaponij agris religioſa Minorum Diſcalceatorum familia, plurimos genuit Eccleſiæ filios; ſed inter eos, ſicut nobilitatis, ita & virtutis palma Franciſco Tomayæ Iaponi debetur. Patria eius Firoxima Regni de Aqui primaria Ciuitas, Parentes nobiles & diuites, ingenium optimum fuit; Patris Apollinaris Franci doctrina conuerſus, Chriſtianæ profeſſioni nomen dedit, ab eoque baptizatus omnium contribulium ſuorum corda ſua pietatis exemplo ad virtutem mouebat: Contigit autem vt in generali Chriſtianorum perquiſitione, cum Miniſtri Imperatoris ad domum illius veniſſent; ſciſcitantibus an aliqui fideles, in ea latitarent (abſente tunc temporis Franciſco) reſponderit eius ædis Præpoſitus, neminem ibi Chri-

ſto

ſto ſerũlentem commorari. Commotus hac ſibi relata ſerui ſui diſſimulatione Dominus, epiſtolàm ad Iudicem ſcripſit, in qua ſe veri Dei, & Chriſti eius adoratorem profitebatur; effectum tam ingenuæ confeſſionis cruentum timentes amici, & cognati eius; ipſi ſuadere conabantur, vt paululùm tempori cedens ab Vrbe diſcederet: Sed ipſe nè quid inconſulto magni conſilij Angelo faceret, vacabat orationibus, ieiunijs, diſciplinis, & aduocato ad ſe Confeſſore ſuo, diuinis ſe Sacramentis muniebat.

Dum hæc ageret, dumque de martyrij dilatione conquereretur ad Deum, cuperetque diſſolui, & eſſe cum Chriſto; diuina ei claritas interiùs illuxit, monuitque diem tam deſideratum adeſſe: Quare accerſito iterùm Confeſſore ſuo Patre Franciſco à Sancto Andrea Minore Diſcalceato, generali peccatorum confeſſione præmiſſa, ſacro ſe Euchariſtiæ cibo roborauit die decima ſexta Februarij Anni 1624. Qua die miſſus à Iudice Miniſter ad eum acceſſit, vt Chriſti fidei renunciandum iuberet: Sed Franciſco conſtantiore facto, mortis iterùm illi condemnatio intimatur, eique præcipitur; vt iuxta Nobilium morem, ſibi ipſi vitam adimeret, indecorum enim Nobilibus Iaponibus videtur mortem aliena manu recipere. Ille autem in Schola veritatis edoctus, malens vt ſeruus obedire Chriſto, quàm hominibus placere, & ſeculo conformari; ſe ſe vltrò alterius dextra feriendum obtulit. Qua conditione à ſatellitibus acceptata; generoſus Dei Miles in ſecretum cubiculum intrauit, & inita noua cum Matris, & fratrum lachrymis lucta, veſtem Seraphicam (pro tam ſolemni occaſione reſeruatam) aſſumpſit, manuque Crucifixum & librum deuotionis gerens, ad carnifices remeauit: coram quibus alijſque circunſtantibus adſtans, genua flexit, & imaginem Beatiſſimæ Virginis Matris puerum Ieſum in ſinu geſtantis oſtendens, palàm & liberè conteſtatus eſt filium Mundi Creatorem, & Generis humani Saluatorem eſſe; Matremque Deiparam poſt partum Virginem permãſiſſe, & vtriuſque adiutorio (gratia nempè filij, & interceſſione Parentis)

Digitized by Google

tis) ſibi coronam ſalutis retribuendam ſperare: His dictis ſiluit, & orationem feruentem incipiens, capitis decollatione ad æternæ contemplationis dulcedinem migrauit; eius reliquiæ à Chriſtianis collectæ, à pio eius directore Patre Franciſco à Sancto Andrea, Nangaſachum in domum cuiuſdam fidelis, tranſlatæ fuerunt. Miraberis Chriſtiane, tam proceram perfectionis Cedrum; ſed cogita quæſo à Fratre Minore Diſcalceato in Eccleſiæ ſolo fuiſſe plantatam.

De vita & martyrio Patris Ludouici Sotelli, & de pretioſa morte ſociorum eius, aliorum Diſcalceatorum quatuor, & octo Tertiariorum. Cap. XVI.

SI quis labores, fructus, & mortem Viri iſtius Apoſtolici attentè conſideret, ipſum plus omnibus Iaponij Prædicatoribus ſuo tempore viuentibus, laboraſſe cognoſcet. Hiſpanus natione fuit, Hiſpali ex nobili Sotellorum familia natus, in Salmanticenſi Academia literis egregiam operam dedit, & diuino illuſtratus lumine in Prouincia Sancti Ioſephi Fratrum Minorum Diſcalceatorum in Conuentu de Caluario, Seraphico Ordini aggregatus eſt; ibi aliquot annis ſumma cum laude tranſactis, audito inſigni Beatorum ſex noſtrorum Iaponij Protomartyrum triumpho, velut olim Diuus Antonius ad Marochenſium Martyrum, ipſe ad Iaponienſium imitationem aſpirare cœpit: Quare ad filiam Matris ſuæ, Sancti Gregorij Philippinarum Prouinciam, cum Superiorum licentia ſe contulit; ibi altioribus exercitijs præludens, Apoſtolico Miniſterio ſe ſe accinxit, & ſeruiendis Iaponij Chriſtianis (qui ad Philippinas multi confluxerant) diligenter vacauit. Mox vt in ſolitudine Dei ſibi loquentis ſecretum audiret, in Conuentum Sancti Franciſci de Monte ſolitarium, & à Populi concurſu remotum ſe recepit; vbi noctes tranſigebat inſomnes, orationibus intentus, & diſciplinis aliorum manibus ſæpiſſimè adhibitis, vt ſe Iaponij flagellis præpararet:

raret: Tandem in terras alienigenarum gentium petranſijt, & Anno 1602. in Iaponium appulit; vbi cùm permultos Eccleſiæ gremio Populos adunaſſet, cùm multa Deo viuo, & vero delubra conſtruxiſſet, cùm admirabili virtute, & ſingulari eloquentia omnium ſibi animos deuinxiſſet; poſt decem annorum prædicationem tam fructuoſam, tamque facundam, vt Chriſtiani & Gentiles publicè dicerent ſe nunquàm ſimilem ei Concionatorem audiuiſſe, in calamitoſis illis perſecutionis temporibus captus, & carceri mancipatus fuit. Ex quo Mazamunes Rex Voxu Anno 1613. eripuit eum, & deindè pro ſe Oratorem ad Pauli V. Pontificis Maximi Sanctitatem, & ad Philippi III. Catholici Maieſtatem, pro magno Reipublicæ Chriſtianæ incremento delegauit; quo munere ſumma cum Eccleſiæ lætitia perfunctus eſt. Reſtant adhuc publicis Tabulis conſcripta, & Typis mandata, apud Summum Pontificem delegationis acta in audientia publica diei tertiæ Nouembris Anni 1615. & in Aula Palatij Quirinalis, ex qua in Capellam Pontificiam intratur, inter alias imagines in Supremis parietibus depictas, celebriorum tam eximij Pontificatus ſucceſſuum repræſentatiuas: prædicti Patris Ludouici Sotelli, & nobilis Equitis Iaponis Faxecuræ Rocuyenonis, ab eodem Mazamune Rege delegati, figuræ viuis coloribus expreſſæ conſpiciuntur.

Igitur cùm tam glorioſa commiſſione perfunctus eſſet, & maximè Chriſtianæ fidei propagatio ex obedientia à præfato Rege ſummo Eccleſiæ Rectori exhibita immineret; ecce quòd inimicus homo Regni ſui tyrannici deſtructionem, & poteſtatis tenebrarum diſſipationem timens, Imperatoris Iaponici mentem magis ac magis in Chriſtianos commouit, ex quo prudentiſſimo Oratori Ludouico liber in Regnum Voxu non patuit acceſſus: Quamobrem diù in terris Hiſpanicæ dominationi ſubiectis retentus, interim ſibi Fr. Ludouicum à Sancto Franciſco, inſignis Martyris Iaponis filium, Ordinis Seraphici Diſcalceati Profeſſum, & Ludouicum Baba Iaponem in peregrinatione comites aſſociauit;

uit; tandem orta nauigandi occaſione habitu ſecularis Hiſpani veſtitus, vnà cum ſocijs Iaponico more indutis, in Siucuſi naue ad Imperium Iaponicum transfretauit. Agnitus à nauis Patrono Proregis Nangaſachi indignationem timente (grauis enim impendebat pœna in eum, qui ſua in naui Sacerdotes & Religioſos tranſtuliſſet) indicatus Gubernatori; cuius iuſſu illicò omnes apprǽhenſi, & in eius conſpectum fuere deducti: Pater autem Ludouicus non mortem fugiens, ſed Eccleſiæ bonum quærens, ipſi manifeſtauit ſe à Rege Voxu ad Romanum Pontificem fuiſſe delegatum. Sed cùm plus in animo Gubernatoris timor Imperatorij furoris, quàm Regis Voxu ſibi alioquin amici, amor & gratia valuiſſent, non eum dimiſit; ſed vt iuſſa Monarchæ impleret, in carcerem Vomuræ transferri mandauit, in quo graues ærumnas & morbos perpeſſus, poſt duorum annorum ſpatium cum ſocijs ſuis gemino Ludouico, die Dominica 25. Auguſti (qua feſtum Sancti Ludouici Chriſtianiſſimi & inuictiſſimi Franciæ Regis ab Eccleſia celebratur) cumq; Seruis Dei Patribus Petro Vazquez à Sancta Catharina Beati Patris Dominici filio, & Didaco Carballo Societatis Ieſu alumno; crudelis incendij flamma, in eodem igne (quo priùs feruentiſſimus Dei famulus Pater Apollinaris Francus, & alij fuerant paſſi) crematus eſt. Proiecti ſunt deindè in mare cineres, nè à Chriſtianis colerentur.

Inſuper Anno 1627. die 17. Auguſti in horrendo Nangaſachi theatro, ſequentes pro fide Chriſti victimæ combuſtæ fuerunt. Primus & quaſi aliorum anteſignanus fuit Venerabilis Domini Confeſſor Pater Franciſcus à Sancta Maria Prædicator è Montaluanexo oriundus, Prouinciæ Sancti Ioſephi filius, & cum ipſo pariter immolati ſunt Fratres Bartholomæus Iaruel, & Antonius à Sancto Franciſco Iapones Laici; eodem die ſimili ſupplicio interiere Gaſpar Vaez, & Franciſcus Gayo Iapones Tertiarij; Eodē etiā rogo combuſti triumphauere Maria dicti Gaſparis vxor, & in Tertio Ordine Soror: Thomas, Michael, Lucas, & Ludo-

uicus,

uicus Tertij Ordinis filij. Mirum profectò, quòd quantò plus tortorum immanitas creſcebat, tantò fidelium conſtantia augebatur; omnis ætas Chriſto Domino teſtimonium fidele reddebat: Namque in eadem Ciuitate Nangaſachi, die ſecunda Auguſti eiuſdem anni, Martino Gomez Tertiario noſtro pro fidei confeſſione caput amputatum fuit; cùm priùs ſpectator extitiſſet victoriæ filij ſui ſexennis, propter Chriſti Domini gloriam occiſi.

Eodem anno, die verò 22. Septembris obdormiuit in Domino Venerandus Pater Ioannes à Sancto Philippo Confeſſor Prouinciæ Diſcalceatæ Sancti Pauli Profeſſus; cui quoniam voluntas martyrij non defuit, quòd etiam grauiſſimos pro Dei honore, & hominum ſalute labores ſuſtinuit, in iſto breui Heroum Diſcalceatorum Elogio, locus denegari non debet. Ille enim poſt multos annos in prædicatione, & Gentilium conuerſione tranſactos, graui morbo afflictus in montem Fimitonguæ ſeceſſit; cùmque mortis ſuæ tranſitum adeſſe cognouiſſet, rogauit humiliter Dominum, nè eum (qui Sacramentis adminiſtrandis indefeſsè laborauerat) eorum participatione deſtitutum relinqueret: Voluntatem timentis ſe fecit Deus, & orationem pauperis exaudiuit; namque ipſi vita ad triduum prorogata, Sacerdotem Tertij Ordinis miſit, qui Sacramenta Confeſſionis, Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis ei contulit. Poſteà quaſi alterū Simeonem Chriſtus dimiſit Seruum ſuum in pace: & eum ad ſalutaris ſui viſionem intuitiuam perduxit.

De pluribus alijs Fratribus Diſcalceatis, & Tertiarijs in Iaponio, & alibi propter Chriſtum peremptis.
Cap. XVII.

ANno 1630. die 28. Septembris, Thomas à Vomura, Tertij Ordinis Profeſſus, viuus in ignem coniectus, holocauſtum vitæ ſuæ obtulit Creatori; proxima mortis illius occaſio fuit charitas, quam ergà benedictum Fr. Gabrielem à Magdalena hoſpitem ſuum exercebat.

Qualis & quantus Vir fuerit prædictus Fr. Gabriel à Magdalena vix exprimi poteſt: Ille fuit vnus ex illis Apoſtolicis Viris, qui in publica Euangelij Præconum expulſione Anni 1613. latuerat; licet detectus in Sinam relegatus fuiſſet, vno tamen anno vix elapſo in Iaponium regreſſus eſt, in qua ab eo tempore feruentiſſimè laborauit. Ille igitur, quem charitas medicinam docuerat, cùm in diuerſis Imperij Iaponici partibus amoris ſui veſtigia reliquiſſet; cùm omnium, etiam Gentilium, æſtimatione plurimi duceretur, die tertia Septembris Anni 1633. captus, nullius adulationibus, aut promiſſis à fide alienari potuit; quarè tandem diù quæſitam, toties ereptam martyrij palmam accepit; iuſſu enim Tyranni in aquas calidiſſimas iniectus, debebat illicò caloris vehementia ſuffocari; ſed diuino robore ſuſtentatus, viſus eſt in feruentibus aquis tanquàm in ſuaui balneo recreari; immò quod mirabilius eſt, euanuit è circumſtantium oculis, & in domo Gubernatoris intra vrbem Nangaſachum ſeptem leucis ab aquis diſtantem apparuit, & à Miniſtris quæſitus, rurſùm in eas rediijſſe conſpectus eſt: Illinc itaque eductus in ardentiſſimum rogum inijcitur; vbi flexis genibus, & brachijs extenſis, immobilis orando perſeuerans ſuauiter expirauit. O verè beatus homo, cuius vita continuis mortificationibus, abſtinentijs, pœnitentijs, orationibus, laboribus, & bonis exemplis contexta, tam glorioſæ mortis termino concluditur.

Cum eodem Ven. Seruo Dei Gabriele à Magdalena compræhenſus fuit inclytus Dei famulus Pater Hieronymus à Cruce, Sacerdos in Iaponio natus, & Tertio Ordini aggregatus. Euangelium feruentiſſimis verbis prædicabat, & efficaciſſimis vitæ ſuæ exemplis ſuadebat, puriſſimi Sacrificij hoſtiam innocentibus manibus contrectabat; & boni Sacerdotis, ac ſancti Concionatoris partes implebat: Tandem immanis carceris ærumnas paſſus, viuus igni obiectus, animã ſuam ſicut incenſum in conſpectu Domini exhalauit.

Fidelis & antiquus Dei Seruus Pater Ludouicus Gomez, optati tandem carceris pugnam, & deſiderata mortis victoriam

ctoriam

ctoriam conſequitur. Iſte vſque ad decrepitam octoginta annorum ſenectutem in Sacramentorum adminiſtratione, & innumerabilium Gentilium conuerſione occupatus, Iaponij Regiones percurrerat; pericula frequenter expertus, ea ſemper (præter intentionem) euaſit. Sed nondum eius hora venerat, donec (Deo permittente) captus cum duobus adiutoribus ſuis Iaponibus in carcerem Vomuræ intruſus eſt; ex quo deindè cum ſocijs ſuis, & benedicto Patre Sebaſtiano Vyera Societatis Ieſu concaptiuo ſuo, in tetrum Yendi ergaſtulum translatus fuit. Ibi auctis ærumnis, & pœnis, nouo martyrij genere; ligatis ſcilicet ad trabes pedibus, capitibuſque deorſum in ſubterraneas ſpeluncas pendentibus, deficiente ſenſim halitu; illuſtres hi Martyres ſpiracula vitæ à Creatore accepta, propter Redemptoris gloriam emiſerunt.

Die 18. Octobris Anni *1630.* Petrus Xenday, & Thomas Sacuioro Tertiarij, pro Chriſti nomine Nangaſachi capitis abſciſſione triumphauere.

Cùm autem ab Anno *1630.* omnis inferendi in Iaponium Euangelij porta Chriſtianis Prædicatoribus recluſa fuerit, vix ab hoc tempore ſciri potuerunt egregia noſtrorum facta; Verùntamen à Fr. Antonio à Sancta Maria Prouinciæ Sancti Pauli Alumno, qui tunc à Philippinis in Sinam traiecit, accepimus; quòd cùm in Ciuitatem nominis Dei acceſſiſſet, ipſi à plurimis Luſitanis, & Iaponibus propter fidem è Iaponio expulſis, narratum eſſe octo Seruorum Dei martyrium; nempè prædictorum Fratrum Gabrielis à Magdalena, Ludouici Gomez, Hieronymi à Cruce Sacerdotis Tertiarij, Dominici hoſpitis prædicti Hieronymi, & martyrij conſortis, duorum Iaponum Ludouici Gomezij Diſcipulorum. Et tandem Fratrum Aegidij de Queſada Theologiæ Lectoris, Prouinciæ Carthaginenſis Alumni, & in Diſcalceata Sancti Gregorij Immatriculati, & Ioannis de Torrella Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ filij, qui duo è Philippinis in Iaponium ingreſſi, Anno *1633.* compræhenſi; ſimili (quo Pater Ludouicus Gomez) ſupplicio occubuere.

Pater

Pater Sebaſtianus à Sancto Ioſepho, nobili ex proſapia natus, & Prouinciæ Sancti Pauli Diſcalceatæ Profeſſus. Vir arduarum virtutum, martyrij à teneris annis amantiſſimus in Philippinas pertranſijt; vbi quinque Principes infideles ab Inſularum illarum Prorege captos, ad Chriſti fidem perduxit: Indè ad Molucas pergens, ad Inſulam Mathæi dictã peruenit, in qua gentis illius Reginam ad Catholicam profeſſionem amplectendam inclinauit; ſed nondum conſummata eius conuerſione, ab impio & Mahumetano Inſulæ Tagolandæ Duce ſpiculis confixus, Patroni ſui mortem, & tryumphum imitatus eſt. Die 18. Iunij Anni 1610. truncum eius corpus in aquas demerſum, cùm eis ſupernataſſet, cilicium lumbis eius inhærens rigidè acuminatum oſtendit; quod Vir Dei ad vltimum vſque agonem retinuerat; flagellum quoque ipſius à barbaris ludibrio habitum, in mare quotiès reiectum, totiès ad littus eminenter elatum eſt.

Egregij Patris Sebaſtiani ſocius fideliſſimus Fr. Antonius à S. Anna Laicus, eiuſdem Prouinciæ Sancti Pauli Profeſſus, Vir Crucis auidiſſimus; in Inſulas Molucas cum Patre Sebaſtiano tranſiuit, & poſt multos labores, ab eodem ſicario & carnifice captus & in Inſulam Tagolandæ deductus, mulierum furori mactandus exponitur; à quibus dentibus, vnguibus, ferris, cultriſque dilaniatus, longi & crudelis martyrij pœnas ſuſtinuit. Morienti caput abſciſſum eſt; corpus verò in aquas depreſſum mergi non potuit.

Fratres Blaſius Palomino, & Ioannes de Palma; ille Granatenſis, iſte Sancti Ioannis Baptiſtæ Prouinciæ Profeſſus; Sed vtroque Philippinarum Sancti Gregorij Prouinciæ iure habitationis acquiſitus. Cùm Gentium conuerſionem zelarent, ad Molucas miſſi, poſt graues ærumnas, & pœnas pro Deo toleratas; tandem Anno Domini 1614. ſexta die Ianuarij ab Idololatris occiſi, ad æternas delicias cõuolarũt.

Fr. Franciſcus à Sacta Maria fœcundiſſimæ Martyrũ Matris Prouinciæ Sancti Ioſephi filius; vnus fuit ex ſanctis Miſſionarijs; qui cum Patre Petro ab Alpharo ad Philippinas pro fundanda Sancti Gregorij Cuſtodia tranſierunt. Iſte igitur

tur; cùm linguas exterarum Nationum addiſcere non poſſet, pro dono linguarum acceperat à Deo omnium dona virtutum; quare contemplationi cæteriſque religioſæ vitæ exercitijs vacans, precabatur quotidiè Dominum, nè propter impedimentum loquelæ, martyrij corona priuaretur: Exauditus eſt pro ſua humilitate, namque cùm à Sancti Gregorij Cuſtode in Hiſpaniam ad poſtulandum à bona Matre Fratrum ſubſidium mitteretur, fortè in Inſulam Burnei appulit, à cuius Rege Mahumetano benignè exceptus fuit; ſed cùm Vir feruentiſſimus eius ſalutem ſitiret, vtebatur ſocij ſui (quanquàm parum in lingua verſati) interpretatione, & Regi infideli Mahumeticæ legis inſaniam liberè prædicabat. Iratus & furore accenſus Princeps, verbi diuini Præconem multis iniurijs & contumelijs affecit, mox impios ſicarios miſit; qui repertum in oratione Franciſcum, lanceis & gladijs transfigentes & diſſecantes, caput ipſi amputauerunt; & corona martyrij dignum effecerunt. De pluribus alijs Martyribus amplè diſſeritur in Chronicis Prouinciarũ Diſcalceatorum; quapropter eos hic omiſimus.

De Prouincia Sancti Pauli fundatione & de Viris illuſtribus ab ea productis. Cap. XVIII.

CVm Prouincia Sancti Ioſephi procellis in eam ſuſcitatis libera, Reformationis ſuæ ramos in vtramque Caſtellam, & Andaluſiam diffudiſſet; viſum eſt ſapientibus, & pijs Patribus; nè aliquando propria mole diſſolueretur, & à rigida viuendi forma declinaret, in duas partes eſſe diuidendam, quò faciliùs à gemino Miniſtro Diſcalceato, & & pedeſtri duplex Prouincia viſitari, & regi poſſet. Igitur eorum ſapiens & matura deliberatio, ad Catholicum Regẽ Philippum III. defertur, qui benignitate ſua approbauit eam, & Clemens VIII. authoritate Apoſtolica confirmauit ſuis literis in forma Breuis, cuius initium eſt; *Cùm ſicuti chariſſimus filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus exponi Nobis nuper fecit; Prouincia Sancti Ioſephi Fratrum Diſcalceatorum nuncupatorum, Ordinis Minorum Obſeruantiæ Regularis,*

in partibus Hiſpaniæ iam olim auctoritate Apoſtolica erecta, inſtituta; ac plures per Sedem Apoſtolicam confirmata, & approbata tot Conuentus, ſeu loca ex pauciſſimis initijs (annuente Domino) pepererit, totque ſicut oliua fructifera in vinea Domini nouellas ex ſe protulerit &c. Dat.10. Martij Anno 1594. Pontificatus noſtri Anno III.

Iſto Breui munita Sancti Ioſephi Prouincia ad Capitulum in Conuentu Medinæ del Campo proceſſit, in quo nouæ Prouinciæ ſub titulo Sancti Pauli erectæ, Fr. Claudius de Martyribus (Vir planè eximius) Prouincialis Miniſter eligitur; Diffinitores inſtituuntur,& quæcunque neceſſaria erant, perficiuntur. Quãquàm igitur iſta S.Pauli Prouincia,nũquàm alteri ſubiecta, ſed tanquàm germana ſoror ab ea ſeparata fuerit; tamen quia Sancti Ioſephi Prouincia ipſi Miniſtrum, & alios Officiales dedit, negari non poteſt, quòd eo reſpectu non ſit Mater Prouincia Sancti Ioſephi, quæ partu electionis ſui Diffinitorij,Prouinciam SanctiPauli in lucem edidit. Siquidem dicta Prouincia Sancti Pauli, vt diuiſa diceretur,fuit primitùs à Prouincia Sancti Ioſephi per Diffinitorium ipſius in Prouinciam, Apoſtolica auctoritate, erecta.

Prouincia itaque Sancti Pauli in Caſtella Veteris ſexdecim à principio Conuentus accepit, nunc autem viginti ſex conſtat; in quibus omnibus intacta ſemper, & illibata remanſit Obſeruantiæ Regularis puritas, & tradita à Patre ſuo Sancto Petro de Alcántara Reformationis ſtatuta viguerunt: Quare multos huc vſque produxit Viros miræ perfectionis gloria, & prodigiorum ſplendore, & doctrina illuſtres.

In Conuentu Segouiæ Venerabilis Patris Antonij à Sancta Maria doctiſſimi,pijſſimique corpus aſſeruatur. Lauream Doctoris vtriuſque Iuris in SalmanticenſiAcademia adeptus, Romæ quoque in magna ſcientiarum æſtimatione aliquos annos tranſegit; reuerſus in Hiſpaniam, eccleſiaſtica munera dignè, & laudabiliter obiuit. His tandem relictis omnia Mundi bona cum paupertate Seraphica commutauit, &

habitu

habitu inuentus vt Minor, omnibus eius virtutibus effulſit, quibus eximiæ ſibi virtutis nomen apud Chriſtianos compa-rauit, in Regulam noſtram, omnibus Religioſis zelatoribus acceptiſſimum Manuale ſcripſit.

Eiuſdem Salmanticenſis Vniuerſitatis Doctor Pater Di-dacus de Vera, ſimplicitatem Minoriticam in Conuentu Caluarij Fratrum Diſcalceatorum profeſſus eſt; nemo pau-perior, humilior & auſterior illo, & nemo Sanctis Patribus inopi Franciſco, & pœnitenti Petro ſimilior fuit: Totius Ordinis Diffinitor Generalis factus, ad grauiſſima eiuſdem dubia ſoluenda ſæpiſsimè conſulebatur; moritur deni-que miraculis clarus, & Auilæ ſepelitur. Poſt ſeptem autem annos à morte eius elapſos, inuentum eſt cerebrum ipſius ita integrum & recens, quaſi nondum ſpiritus infor-matione priuatum.

Conuentum Caluarij Salmanticenſis Ciuitatis honorant, & ditant reliquiæ eximij Theologiæ Doctoris, Fratris noſtri Diſcalceati, pauperrimi & Viri prodigiorum fama conſpi-cui, Patris nempè Didaci à Sancto Franciſco.

Vt vno tandem verbo ſanctæ iſtius Prouinciæ laudes cō-plectar, dicam in ea nullum eſſe Conuentum, qui multis Dei famulis apud ſe educatis, aut tumulatis non gaudeat. Produxit etiam quamplurimos alios doctrina conſpicuos, in-ter quos ſufficiat recenſere diligentiſſimum eius, & Prouin-ciæ Sancti Ioſephi Chroniſtam Patrem Martinum à Sancto Ioſepho, qui alijs ſcriptis Ordinem ſuum illuſtrauit; & huic addere liceat Patrem Mathæum à Natiuitate ſcholaſticarũ quæſtionum, expoſitionum, & moralium librorum Scripto-rem celeberrimum, qui prætereà Cathedram Crucis, & Mi-neruam Euchariſtiæ, ſeu lignum vitæ, in publicum miſit.

De fundatione Prouinciarum Diſcalceatorum S. Didaci, Ma-tris Dei, & Sancti Petri de Alcantara. Cap. XIX.

CVm ad aures Summi Eccleſiæ Rectoris Gregorij XIII. zelus & deuotio Prouinciæ Diſcalceatæ Sancti Ioſephi

veniſſent, pius & ſollicitus Chriſtianæ familiæ Pater per Apoſtolicum Breue conceſſit; vt ab eiuſdem Prouinciæ Fratribus Conuentus & domicilia in omnibus Hiſpaniæ, & Indiarum Regnis fundari liberè poſſent,& dictę Prouinciæ Miniſtro ſubijci. Itaque Anno 1580. quidam ipſius Religioſi propagandæ fidei Catholicæ zelo moti, in nouam Hiſpaniam nauigauere, quos Mexicanus Prorex humaniter recepit, ijſque conſtruendi Monaſterij locum conceſſit, quem Sãcto Didaco dedicarunt; moxque creſcente Populi deuotione & affectu, Fr. Petrus à Monte Conuentum alium à primis duodecim Diſcalceatis Prouinciæ Sãcti Gabrielis Fratribus, vulgò Apoſtolis Americæ nominatis, derelictum habitare cœpit, & Sanctæ Mariæ Angelorum ſubmiſit; & ex ijs Cuſtodiam Sancti Didaci, ſub Philippinarum Sancti Gregorij regimine inſtituit: Quam poſteà Clemens Papa Octauus anno ſui Pontificatus octauo in Prouinciam erexit, eique Fr. Gabrielem Baptiſtam primum Miniſtrum præfecit; & eam omnibus gratijs & priuilegijs, Sanctorum Ioſephi & Gregorij Prouincijs conceſſis,decorauit. Iſta autem Prouincia decem Conuentibus compoſita, clariſſimis Religioſis plena; tota Euangelij propagationem, in Dei gloriam, & animarum ſalutem procurandam occupatur.

Me ſuperiùs narraſſe memini, quemadmodùm Pater Petrus ab Alpharo Prouinciæ Sancti Ioſephi filius, primuſque Cuſtodiæ Sancti Gregorij Cuſtos,in Sinam Chriſti Euangelium intulerit; & ab ea eiectus, Macaum pertranſierit, vbi à Mercatoribus Luſitanis ad fundandum Conuentum inductus fuit. Cùm igitur in ea Vrbe fructus maximos ipſe, & ſocij eius producerent, & ipſos Sacerdotes Idolorum à cultu prophano, ad veri Dei ſeruitutem conuerterent. Mortuus eſt Pater Petrus, & fidelis eius adiutor Fr. Ioannes de Peſaro incœpti ſpiritualis ædificij curam ſuſcipiens, aliũ Conuentum, & Chriſtianæ doctrinæ Scholam, ac Seminarium in Vrbe Malaca ædificauit: Eodẽ tempore,ideſt Anno 1581. Pater Hieronymus Burgenſis Commiſſarius, è Philippinis veniens, Malacam intrauit; & conuocato Capitulo, in duorum

rum

Digitized by Google

rum Conuentuum Cuſtodem Fr. Ignatium de Loyola ſocium ſuum elegit.

Sic autem noua Cuſtodia prædicationibus, & Apoſtolicis laboribus intenta, per tres annos remanſit; donec iubéte Philippo II. Catholico Monarcha, Reuerendiſſimus Pater Gonzaga Ordinis Generalis, viginti Religioſos Diſcalceatos Luſitanos ad eam occupandam & implendã tranſmiſit; quoniam ad Portugalliæ ditionem ſpectare dicebatur. Fundatores autem ipſius in Philippinas Inſulas receſſerunt; illa verò intra breue ſpatium Prouinciæ Matris Dei nomen & prærogatiuam accepit; quanquàm autem eam Reuerendiſſimus Gonſaga Prouinciæ Obſeruantum Sancti Thomæ Indiarum Orientalium pro viſitatione ſubmiſerit, tamen vſq; adhuc in habitu & Inſtituto Diſcalceatorum perſeuerauit, & ijs ſemper annumerata fuit. Sexdecim Conuentibus conſtat, ſeptem habet Collegia, & centum viginti tres Parochias regit; tot autem fructus conuerſionum ex labore ipſius Eccleſia Sancta percepit, vt Illuſtriſſimus Ordinis Hiſtoricus Gonſaga dixerit: *Nec facilè explicari poteſt, quot ex idololatris, ſuperſtitioſiſque illis Gentilibus, ab iſtis Fratribus fidelium albo aſcripti ſint.*

Prouinciæ Sancti Petri de Alcantara in Regnis Granatæ, & Murciæ initium dedit Alexander VII. Põtifex Maximus Anno 1661. Cùm enim deuota Sancti Ioannis Baptiſtæ Prouincia, intra longiores terminos concluderetur; nec à Miniſtro iuxta Regulam noſtram, & Diſcalceatorum morem ambulare debente, ſemel in anno (vt par eſt) viſitari poſſet: In celebrata apud Murciæ Conuentũ Cõgregatione, Præſidente R.P. Ioſepho Ferrerio Prouinciæ Vicario, de ea in duas diuidenda conuentum eſt, & reſeruato in vna Præcurſoris patrocinio, & nomine; alteri titulum, & præſidium Sancti Petri de Alcantara impoſitum fuit, nè aliqua illarum portento pœnitentiæ ad exemplum & tutelam careret. Nouem ergo Conuentus noua iſta Prouincia accepit, & quanquàm ſorori ſuæ primogenitæ, pretioſiſſimas Beati Paſqualis Bayloni & aliorum reliquias ceſſerit; tamen apud ſe magni meriti cu-

mulata corpora poſſidet: In Granatenſi enim Conuentu Venerabilis Dei Serui Fr. Martini Belzunze, virtutibus & miraculis in vita, & poſt mortem inſignis, corpus iacet.

Noſtro igitur tempore vndecim Conuentibus in Granatę, & Murciæ Regnis componitur, nouiſſimè vnum Neapoli in Italia acquiſiuit; quem Excellentiſſimus Petrus de Arragonia Regni Neapolitani Prorex, de iſtius Prouinciæ Fratrum, zelo, modeſtia, pœnitentia, atque Regulari Obſeruantiā certus à SS.D.N. Papa Clemēte IX. obtinuit; vt Religioſi Diſcalceati Hiſpani verbo & exemplo non ſolùm milites Hiſpanos, ſed etiam omnes illius populoſæ Ciuitatis incolas ad bonum hortarentur, & prouocarent. Pijſſima denique, & Seraphici Inſtituti zelantiſſima Prouincia Arrabidæ Diſcalceatorum in Regno Luſitaniæ fundata, ſe Sancti Petri filiam fatetur: Ex eius enim vita clariſſimè patet, quòd Fr. Martinus à Sāncta Maria adſcito ſibi coadiutore operis S. Petro, dictæ Prouinciæ fundamenta iecit.

Ecce igitur, Chriſtiane Lector, breue Compendium, & ſuccinctam expoſitionem fructuum poſthumorum pœnitentis, extatici, pauperis, & humilis Viri Sancti Petri de Alcantara; ecce ſplendorem ab eo Eccleſiæ Catholicæ collatū, en ornamenta ab eo data Ordini Seraphico. Iſte eſt ſeptem Prouinciarum Fundator, pluſquàm triginta Diſcalceatorū, & ferè innumerabilium Tertij Ordinis Martyrum Pater; ipſe eſt tot Confeſſorum, tot diuini verbi Præconum, tot Virorum Apoſtolicorum Magiſter: Qui ſi Sanctam Matrem Eccleſiam proprijs, & filiorum ſuorum meritis exornauit, ea ſe in illum munificam, & liberalem exhibuit; quot enim ab Anno 1517. defunctos, è Religione Seraphica Beatos declarauit; tot Sancti Petri de Alcantara ſpiritus flores, & fructus agnoſcit.

Iam illa viginti tres Iaponij Protomartyres, duoſque clariſſimos Hiſpanij Confeſſores, ipſum Sanctum Petrum, & Beatum Paſqualem Baylon, intra Beatorum agmina collocauit; & pro futuris in breui temporibus, ab eiuſdem Eccleſiæ benignitate ſperatur, quòd (diuino ipſi irradiante umine) multos alios è Diſcalceatorum familia Viros, in

Do-

Domum Patris cœleſtis introductos fuiſſe declarabit, & vt tales Populo Chriſtiano venerandos obijciet. Laudemus itaque Dominum in Seruis ſuis Diſcalceatis, & eius diuinam Prouidentiam in Sancti Ioſephi Prouinciæ fundatione miremur, quæ tot impulſibus concuſſa non cecidit; ſed ſolidior & conſtantior permanens, ſex aliarum Diſcalceatæ Reformationis Prouinciarum Mater effecta eſt, & à Sancto Petro paruis initijs fundata, & velut granum ſinapis terræ Hiſpanicæ demandata, creuit in magnam arborem, & omnibus alijs Seraphici horti oleribus maior euaſit.

Vnum hìc monere velim, nimirùm quòd Pater Fr. Mathæus Baſſo videns in Italia quoſdam Religioſos Diſcalceatos Prouinciæ S. Gabrielis, aliàs de Caputio nuncupatæ, qui Caputium aliquantulùm pyramidale, ſeu acuminatum gerebant, & rigoroſam pœnitentiam, ac paupertatem, quam à S.Petro de Alcantara didicerant, manifeſtabant; Spiritu maioris perfectionis ductus, ad eorum imitationem Congregationem PP. Capucinorum fundare cœpit Anno 1525. vt refert P.Ioannes à Trinitate in Chron.Prouinciæ S.Gabrielis. part.1. lib.1. cap.12. pag.78.

De fructibus à Sancto Petro de Alcantara in Carmelitarum Reformatione productis. Cap. XX.

CHaritas (inquit Apoſtolus) non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti; ideòque Sanctus Petrus præſagiens ex ſuſcepta à Sancta Virgine Thereſia Carmelitarum Reformatione, magnum diuini nominis honorem prouenturum, eam omnibus animi ſui viribus iuuit, & fouit: Quot peregrinationes ſuſceperit, quot epiſtolas ſcripſerit, quot controuerſias ſuſtinuerit, quantùm denique pro tam Sancto fine laborauerit, non referam; cùm eloquentiſſimis, & accuratiſſimis verbis omnia ab ipſo facta, & dicta in eius vitæ hiſtoria contineantur. Sufficiat ergo mihi aduertere iſtam quoque Carmelitarum vtriuſque ſexus Reformationem, plurimò Sancti Patris noſtri Petri cu-

ræ, & labori debere; atque ita non immeritò eam inter eximios tanti Viri fructus recenſeri, in cuius veritatis teſtimonium non extranea, ſed domeſtica ſanctæ illius Religionis verba ſubiungam.

Sancta igitur Mater Thereſia capite 36. vitæ ſuæ de Conuentus ſui fundatione diſcurrens, de Sancto Petro de Alcantara ſic loquitur: *Ipſe fuit qui totum fecit, qui ſi in tali occaſione non adfuiſſet (vt iam dixi) concipere non poſſum quomodò fieri potuiſſet; quia Vir iſte Sanctus per paucum tempus hic manſit, nec credo commoratum eſſe octo diebus, iiſque ſemper infirmum; poſteà in breui Dominus eum ad ſe ſuſtulit. Videtur quòd diuina Maieſtas eum vſque ad iſtius negotij finem conſeruarit, quoniam à plurimo tempore (neſcio an à duobus annis) valdè infirmabatur.*

Et quia in duorum teſtium reuelatione veritas confirmatur, addam ingenuam & diſertam R.P. Franciſci à Sancta Maria Carmelitæ Diſcalceati, & ſui Ordinis Chroniſtæ Generalis, confeſſionem: Ille igitur relatis ſupra ſcriptis S. Thereſiæ verbis, hæc addit Tom. 1. lib. 1. cap. 43. num. 4. *Benè iuxta iſtud debet noſtra Reformatio multam in fundatione ſua partem tribuere iſti magno ſanctæ paupertatis amatori, iſti nouo Paulo in pænitentia, iſti renato Antonio in oratione, & iſti Eliæ in ſuperandis difficultatibus: Multùm glorietur eum habere inſignis Noſtræ Matris coadiutorem, illum plena voce nominat Patrem propter fauorem, quem in occaſionibus præteritis, & in iſta præſente dedit Sanctæ; & propter conſilia, quibus eam etiam mortuus adiuuabat. Deindè ſemper mea Religio recordetur, quòd iſte Sanctus Pater totum fecit, iuxta quod dicit Noſtra Sancta Mater; & maiorem difficultatem fundandi abſque redditu ſuperauit, cui omnes ferè alij aduerſabantur: Ille ſententias multorum reduxit, ille Sanctam animauit, vt firma in intento ſuo permaneret, ille Epiſcopum vicit, vt Breue admitteret, & ſe paupertatis abſque redditu Protectorem efficeret; & cùm omnia perfeciſſet, Auila egreſſus eſt, & breui poſt fundationem tempore mortuus eſt 18. Octobris illius anni; & à corpore ſeparatus, Sanctam viſitauit, & illa vidit eum ingredientem*

dientem in Cœlum, abſque quòd per Purgatorium tranſiuiſſet.

Tertium tantæ veritatis teſtem R.P.Riberam Societatis Ieſu, doctiſſimum & pijſſimum Virum omittere nequeo. Ille itaque Sanctæ Thereſiæ coæuus maximas eius difficultates in fundando Auilæ Monaſterio recenſens, ſic lib.1. cap.17. loquitur: *Qui magis in hoc fecit, fuit Sanctus Frater Petrus de Alcantara, ſua magna auctoritate illud approbans, & propter tantam familiaritatem, & poteſtatem, quam apud Epiſcopum & alios, qui adiuuauerunt, ſibi comparauerat; quòd ſi ille tunc temporis ibi non adfuiſſet, fortè iſtud non fuiſſet factum: Non manſit autem pluſquàm octo diebus, & per eos multùm infirmus, & parùm abindè Dominus ſuſtulit eum, ad retribuendam ei coronàm ſanctorum eius laborum, & magnæ amplæque pœnitentiæ, & mortificationis. Videtur quòd non propter aliam rem eum in Mundo detinebat, quàm ad iuuandam, & terminandam rem iſtam; dein eum ad ſe vocandum.*

Meritò igitur Petrus præclariſſimam vtriuſque ſexus Inſtituti Carmelitani Reformationem, veluti geminum Sanctæ Matris Thereſiæ partum aſpiciens, illi dicere poteſt, quod olim Iacob à filio ſuo Ioſepho popoſcit: *Duo ergo filij tui, qui nati ſunt tibi mei erunt; Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben Simeon, & reputabuntur mihi*. Si quis autem iſtum duplicem Fratrum Minorum, & Carmelitarum Diſcalceatorum fœtum videns, à Sancto Petro requirat; *Qui ſunt iſti?* Reſpondebit: *Filij mei ſunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco*. Gaudeat itaque tuis, ò Sanctiſſime Petre de Alcantara, Eccleſia fructibus, adhæreat Religio noſtra tuis veſtigijs, confidat Populus Chriſtianus tuis ſuffragijs; vno verbo, omnes quotquot in hac valle lachrymarum viuimus, tantum Virum veneremur, imitemur, & precemur. Amen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

LAVS DEO.

PRO-

PROTESTATIO AVTHORIS.

QVoniam præter communem omnibus Chriſtianis Eccleſiæ Catholicæ obediendi neceſſitatem, ſpeciali Regulæ Seraphicæ vinculo adſtringor pedibus eiuſdẽ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditus eſſe; ideò ea (qua par eſt obſequentiſſimi filij in Apoſtolicam Sedem obſeruantia) Decretis Sanct. mem. Vrbani Papæ VIII. inhærendo præſentem librum humillimè ſubijcio, & proteſtor, quòd ſi quæ in recenſendis Sācti Petri de Alcantara poſthumis fructibus ſcripſi, quæ adhuc Apoſtolicæ Sedis examen, approbationem, & iudicium deſiderent; illa tantùm affirmare velim tanquam humanam, & priuatam hiſtoriam ſola fide ſuffultam, quam Authores, à quibus eadem hauſi promerentur. Nullumque proindè hoc nouo teſtimonio probationis gradum, quouis etiam longiſſimi temporis curſu mox intercedente obtenturam; & tandem declaro, quòd ſi aliquos nondum à Sancta Matre Eccleſia canonizatos, aut beatificatos; Sāctos vel Beatos nominaui, non intendi vllo modo ſanctitatem, aut beatitudinem perſonis attribuere; ſed tantùm laudationis modo, eorum geſtis adſcribere.

Ita eſt Frater Tiburtius Nauarrus.

LEgi, & ea (qua potui diligentia) librū hunc percurri iuſſu Reuerendiſſimi Patris Hyacinthi Libelli S. Palatij Apoſtolici Magiſtri, cùmque nil contra Catholicam fidem, aut bonos mores, ſed potiùs omnia ad fidei exaltationem, & ſtudiorum profectum vtilia inuenerim, typis mandari poſſe cenſeo. In quorum &c. Datum Romæ 11. Martij 1669.

Michael Angelus Lapius.

IN-

INDEX CAPITVM.

De fœcunda S. Petri de Alcantara ſanctitate, & de fundatione Prouinciæ S. Ioſephi. Cap.I. pag.7
De viris, pietate doctrina, & miraculis illuſtribus à Prouincia Sancti Ioſephi productis. Cap.II. 11
De Prouincia S.Ioannis Baptiſtæ Diſcalceata, & de fructibus ab ea emanatis. Cap.III. pag. 15
De Prouincia S.Gregorij in Inſulis Philippinis fundatione. Cap.IV. 18
De ingreſſu Fratrum Minorũ Diſcalceatorum è Prouincia S. Greg ry in Iaponium. Cap.V. 22
De initio perſecutionis, & de glorioſo Beatorum Petri Baptiſtæ & ſociorum eius, aliorumque Protomartyrum triumpho. Cap.VI. 31
De breui quindecim annorum tranquillitate, & de origine noua perſecutionis in Iaponio, & de ſucceſſu expulſionis Euangelicorum Miniſtrorum. Cap.VII. 39
De præfatorum ſex Diſcalceatorum in varias Iaponij partes diuiſione, & de rebus à Patre Didaco à Sancto Frãciſco in ſua Regione factis. Cap. VIII. 42
De Patris Didaci, & ſociorum eius incarceratione, & de pœnis in carcere toleratis. Cap.IX. 48
De libertate Patri Didaco data, & de ſociorum eius martyrio. Cap.X. 51
De martyrio P.Petri ab Aſſumpſione Minoritæ Diſcalceati. Cap.XI. 55
De martyrio Venerabilis Patris Ioannis à Sancta Martha Minoris Diſcalceati, & de fælici quinque Religioſorum Diſcalceatorm in Iaponium acceſſum. Cap.XII. 59
De Patris Didaci à S. Franciſco laboribus, ac Fratribus Diſcalceatis ab eo in diuerſa Iaponij Regna miſſis, nec non de quinque FF. Minorum, & quatuor Tertiariorũ incarcratione. Cap.XIII. 62
De glorioſo FF. Min. Diſcalceatorũ, Tertiarorũq; incarceratorum martyrio. C.XIV. pag. 66
De Patris Franciſci de Galbe Minoris Diſcalceati, & Frãciſci Tomayo nobilis Iaponis mar-

tyrio. Cap.XV. 69
De vita & martyrio Patris Ludouici Sotelli, & de preſioſa morte ſociorum eius, aliorũ Diſcalceatorum quatuor, & octo Tertiariorũ.C.XVI. 72
De pluribus alijs Fratribus Diſcalceatis, & Tertiarijs in Iaponio, & alibi propter Chriſtũ peremptis.C.XVII. 75
De Prouinciæ Sãcti Pauli fundatione, & de Viris illuſtribus ab ea productis.C.VIII. pag. 79
De fundatione Prouinciarum Diſcalceatorum S. Didaci, Matris Dei, & S. Petri de Alcantara, Cap.XIX. 81
De fructibus à S. Petro de Alcantara in Carmelitarum Reformatione productis, Cap.XX. 85

Breuis notitia Beatorum in Iaponio Martyrum.

B. Philippus à Ieſu, ſiuè de las Caſas. pag. 33
B. Franciſcus Blancus. 34
B. Martinus ab Aſcenſione. ib.
B. Gonſaluus Garzia. 35
B. Franciſcus à S. Michaele, ſiuè de la Parilla. ibid.
B. Petrus Baptiſta. 36
B. Ludouicus puer Iapo. ibid.
B. Antonius puer Iapo. ibid.
B. Thomas puer Iapo. ibid.
B. Paulus Suzuqui. 37
B. Gabriel Iapo. ibid.
B. Thomas Iapo. ibid.
B. Franciſcus à Meaco. ibid.
B. Ioannes Squier ab Oſaca. ib.
B. Bonauentura à Meaco. ibid.
B. Ioannes Euicuia à Meaco. ib.
B. Leo Canacuma. ibid.
B. Matthias à Meaco. 38
B. Paulus Ibariqui. ibid.
B. Coſmas Taquia. ibid.
B. Michael Cozaqui. ibid.
B. Petrus Suxequiſa. ibid.
B. Frãciſcus Carpinterus. ibid.

Alia Venerabilium Dei Seruorum etiam in Iaponio Martyrum.

P. Hieronymus à Ieſu pa. 89
P. Didacus à S. Franciſco 43. & ſeqq. 62
Hieronymus Iapo. 47.49
Si-

Simon Sabioye. 48
Ludouicus Iapo. ibid 53
Thomas Iapo. ibid.
Vincentius Iapo. 50.53
Laurentius Iapo. 53
P. Ludouicus Sotellus. 54.72
Franciſcus Iapo. 55
Leo Saziuma. ibid. 66.67
P.Petrus ab Aſſumptione.ibid.
P. Ioannes à S. Martha. 59
P. Franciſcus Barajas. 62
P.Franciſcus à Galbe.ibid. 69
P.Ludouicus Gomez.61.63.76
P.Frãciſcus à S.Andrea.63.72
P.Petrus de Auila. 64.65
Fr. Vincentius à S.Ioſepho.ibi. & ſeqq.
P. Apollinaris Francus. ibid.
Er. Paulus à S.Clara. ibid.
Ioannes ab Yquenda. ibid.
Fr. Franciſcus à S. Bonauentura. ibid.
Fr. Richardus à Sancta Anna. ibid.
Lucia de Fletes. ibid.
Franciſcus Tomayo. 70
Fr. Ludouicus à S.Frãciſco.73
Ludouicus Bada, ſiue Doxico. ibid.
P. Franciſcus à S.Maria. 74
Fr. Bartholomaeus Iaruel. ibid.
Fr. Antonius à S.Franciſco. ib.
Gaſpar Vaez. ibid.
Franciſcus Gayo. ibid.
Maria Iaponica. ibid.
Thomas Iapo. ibid.
Michael Iapo. ibid.
Lucas Iapo. ibid.
Ludouicus Iapo. ibid.
Thomas à Vomura. 75
Fr. Gabriel à Magdalena. 76
P.Hieronymus à Cruce. ibid.
Petrus Xenday. 77
Thomas Sacuioro. ibid.
Fr. Antonius à S.Maria.ibid.
Dominicus Iapo. ibid.
Fr.Aegidius de Queſada. ibid.
Fr. Ioannes de Torella. ibid.
P.Sebaſtianus à S Ioſepho. 78
Fr. Antonius à S. Anna. ibid.
Fr. Blaſius Palomino. ibid.
Fr. Ioannes a Palma. ibid.
Fr. Franciſcus à Sancta Maria. ibid.

Digitized by Google

MENDA			EMENDA
	In vita		
	pag.	*verſ.*	
quas tandem	57.	11.	& tandem
; quæ Dominica	ibid.		, quam Dominica
ſnueni	45.	32.	iuueni
Brenas	119.	9.	Arenas
Anno 1631.	134,	5.	Anno 1562.
ei ſentiunt	137.	32.	ei ſeruiunt
Velaſco	157.	5.	Velaſquez
quatuor , & medij latitudinem , trium altitudinem ; quæ	185	18	quatuor & medij , latitudinem trium;altitudinem , quæ
ſupellectile petra , ſedile aut ſtratum prę-ſtabat ,	ibid.	20	ſupellectile cortex, aut tabula pro ſedili ac ſtrato erant ,
Bibliothecam .	ibid.	22.adde	prę-ſtabant .
capiebat ;	190.	20.adde	Vinum
Borgia	229.	29.	dele
diſtribueret)	233.	6. adde	reliquam orationi , ac ſpiritualibus
auri	247.	12.	cruri
conſolatione	ibid.	19. adde	;
ad S. Petri	294.	14.adde	Sacellum
lętatur ;	319.	11.	litatur ;

In fructibus poſthumis.

In præfatiuncula.

exponantur .	pag.	verſ.	exponerentur .
tu			te
perduxit			perduxerit .
potuit ,	11.	5.	potuerunt ,
memorandum ;	ibid.		memoranda ;
Mouerat	18.	20.	Nouerat
Manilenſis dumtaxat	39.	5. adde	Diœceſis
D. Loſæ	52.	25.	Patris Franciſci Loſſa
qui ſex	55.	21.adde	Beatos

Leuioribus ignoſce.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google